THEOLOGIA
SCHOLASTICO-DOGMATICA
JUXTA MENTEM
D. THOMÆ AQUINATIS
AD USUM DISCIPULORUM
EJUSDEM ANGELICI PRÆCEPTORIS
ACCOMMODATA

PER F. VINCENTIUM LUDOVICUM GOTTI
Ordinis Prædicatorum, Sacræ Theologiæ Magiſtrum, Doctorem Collegiatum, & in Patria Bononienſi Univerſitate Controverſiarum Fidei Publicum Profeſſorem.

TOMUS II. IN PRIMAM PARTEM
De Deo, Attributis, & Viſione Dei.

BONONIÆ MDCCXXVII.
Ex Typographia Bononienſi Sancti THOMÆ AQUINATIS.
SUPERIORUM PERMISSU.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

CATALOGUS

Eorum, quæ hic Secundus Tomus in Primam Partem pertractat.

❧❧❧

TRACTATUS DE DEO, EJUS EXISTENTIA, NATURA, ET ATTRIBUTIS.

QUÆSTIO PRIMA.

De Exiſtentia Dei.

DUBIUM PRIMUM.

An Deum exiſtere, ſit per ſe notum?

§. I. *Aliqua prænotantur.* pag. 2.
§. II. *Prima, & ſecunda aſſertio.* 4.
§. III. *Tertia aſſertio.* ibid.

DUBIUM SECUNDUM.

An de Exiſtentia Dei dari poſſit ignorantia invincibilis?

§. I. *Aliqua prænotantur.* 7.
§. II. *Statuuntur aſſertiones.* 8.
§. III. *Solvuntur objectiones.* 10.

DUBIUM TERTIUM.

An Deum eſſe, ſit demonſtrabile?

§. I. *Deum eſſe, non eſt demonſtrabile à priori.* 12.
§. II. *Deum eſſe, eſt demonſtrabile à poſteriori.* 13.

DU-

Digitized by Google

DUBIUM QUARTUM.

Expenduntur demonſtrationes, quibus probatur, Deum eſſe.

§. I. *De Atheiſmo.* 14.
§. II. *Prima D. Thomæ demonſtratio ex motu.* 15.
§. III. *Secunda ratio ab efficientia.* 17.
§. IV. *Duæ aliæ D. Thomæ rationes.* 19.
§. V. *Poſtrema D. Thomæ ratio.* 21.
§. VI. *Ultimò perſtringitur Atheus ex S. Auguſtino.* 23.

QUÆSTIO SECUNDA.

De unitate Dei.

DUBIUM PRIMUM.

An Deus neceſſariò debeat eſſe unus?

§. I. *Dei unitas aſſeritur.* 24.
§. II. *Aliis rationibus unitas Dei demonſtratur.* 26.
§. III. *Quædam ſolvuntur.* 27.

DUBIUM SECUNDUM.

De Polytheiſmo, & Idololatria.

§. I. *Cultus falſus, ejuſque ſpecies.* 29.
§. II. *Idololatriæ, ſeu Polytheiſmi origo.* 30.

DUBIUM TERTIUM.

De falſitate Idololatriæ Paganorum.

§. I. *Variæ opiniones Paganorum circa cultum Idolorum.* 32.
§. II. *Refutantur omnes præfatæ de Diis opiniones.* 33.
§. III. *Pro Paganis aliqua adducuntur.* 38.

Digitized by Google

DUBIUM QUARTUM.

De Polytheiſmo, & Idololatria Hebræorum.

§. I. *De Idololatria Vituli in Deſerto.* 43.
§. II. *Quid adoraverint Hebræi in Vitulo Aureo?* 44.
§. III. *Referuntur fundamenta Voſſii, & Calvini, & refutantur.* 46.
§. IV. *De aliis ſpeciebus Polytheiſmi apud Hebræos.* 49.

DUBIUM QUINTUM.

De Polytheis apud Chriſtanos.

§. I. *Polythei apud Chriſtianos recenſentur.* 50.
§. II. *Refutantur prænarrati errores.* 53.
§. III. *Adverſariorum motiva diſſipantur.* 56.

QUÆSTIO TERTIA.

De Eſſentia Dei.

DUBIUM PRIMUM.

Utrum Deus ſit Corpus?

§. I. *Error Antropomorphitarum.* 62.
§. II. *Veritas Catholica.* 63.
§. III. *Antropomorphitarum fundamenta.* 64.

DUBIUM SECUNDUM.

An Deus ſit compoſitus?

§. I. *An ex materia, & forma?* 66.
§. II. *An ex Deo, & Deitate?* 67.
§. III. *An Deus componatur ex Eſſentia, & Eſſe?* 71.
§. IV. *Alia genera compoſitionum à Deo excluduntur.* ibid.
§. V. *Deus an in compoſitionem aliorum veniat?* 74.

DU-

DUBIUM TERTIUM.

Quodnam ſit conſtitutivum Metaphyſicum Dei?

§. I. *Quædam prænotantur.* ibid.
§. II. *Statuitur aſſertio.* 75.
§. III. *Solvuntur argumenta.* 77.

DUBIUM QUARTUM.

An in Deo ſint omnes perfectiones, & quomodo?

§. I. *Quædam prænotata.* 81.
§. II. *Reſolutiones quæſiti.* 82.
§. III. *An Deus, & Creatura ſimul ſint aliquid melius, & perfectius, quàm Deus ſolus?* 84.

QUÆSTIO QUARTA.

De Divinis Attributis.

DUBIUM PRIMUM.

Quomodo Attributa inter ſe, & ab Eſſentia Dei diſtinguantur?

§. I. *Varietas errorum, & opinionum.* 86.
§. II. *Error Gilberti de diſtinctione reali.* ibid.
§. III. *Palamæ, & Palamitarum error.* 89.
§. IV. *Error Eunomii.* 90.
§. V. *Opinio Nominalium.* 92.
§. VI. *Opinio Scoti.* 95.
§. VII. *Rationes Scoti.* 97.
§. VIII. *Opinio S. Thomæ, & Communis.* 105.
§. IX. *Diſtinctio rationis inter prædicata Divina, qualis ſit.* pag. 107.

DU-

DUBIUM SECUNDUM.

An Deus ſit ſummè, & per eſſentiam bonus?

§. I. *Quædam præmittuntur.* 109.
§. II. *Reſolvitur Dubium.* 110.

DUBIUM TERTIUM.

An Deus ſit ſimpliciter in genere entis infinitus?

§. I. *Reſolvitur Dubium.* 113.
§. II. *Reſolutio aliquorum.* 114.

DUBIUM QUARTUM.

An Deus ſit immenſus?

§. I. *Quædam præmittuntur.* 115.
§. II. *Statuitur veritas.* 117.
§. III. *Varii modi, quibus Deus eſt in rebus.* 118.

DUBIUM QUINTUM.

An rectè inferatur Dei præſentia in rebus ſecundùm eſſentiam, quia in omnibus operatur eſſe?

§. I. *Reſolutio Dubii.* 120.
§. II. *Rationes Scoti ſolutæ.* 122.
§. III. *An Deus actu ſit in ſpatiis imaginariis?* 125.

DUBIUM SEXTUM.

An Deus ſit omnino immutabilis?

§. I. *Aſſeritur veritas.* 129.
§. II. *Solvuntur contraria.* 130.

Digitized by Google

DUBIUM SEPTIMUM.

An Deus ſit æternus ?

§. I. *Quid ſit Æternitas?* 132.
§. II. *Æternitas eſt duratio Dei propria.* 134.

TRACTATUS DE VISIONE DEI.

QUÆSTIO PRIMA.

De Poſſibilitate Viſionis Dei.

DUBIUM PRIMUM.

An Deus naturaliter videri poſſit ab aliquo oculo creato ?

§. I. *Præmittuntur aliqua.* 136.
§. II. *Reſolvitur de oculo Corporis.* 137.
§. III. *Reſolvitur de oculo mentis.* 138.
§. IV. *Solvuntur Objecta.* 140.

DUBIUM SECUNDUM.

An poſſit Deus talem ſubſtantiam creare, cui ſit connaturale videre Deum ?

§. I. *Status dubii aperitur.* 141.
§. II. *Reſolutio Dubii.* ibid.
§. III. *Reſpondetur objectis.* 142.

DU-

DUBIUM TERTIUM.

An ratione naturali cognoſci poſſit, viſionem Dei eſſe poſſibilem; & an hæc poſſit naturaliter appeti?

§. I. *Reſolvitur prima pars.* 144.
§. II. *Reſolvitur ſecunda pars.* 146.
§. III. *Solvuntur aliqua contra hanc ſecundam partem.* 147.

DUBIUM QUARTUM.

An ſaltem viribus ſupernaturalibus viſio clara Dei intellectui creato poſſibilis ſit?

§. I. *Errores referuntur.* 149.
§. II. *Aſſertio Catholica.* ibid.
§. III. *Sanctus Joannes Chryſoſtomus defenditur.* 151.
§. IV. *Alia objecta ſolvuntur.* 153.

DUBIUM QUINTUM.

An Deus poſſit videri oculo corporeo ſupernaturaliter?

§. I. *Referuntur ſententiæ.* 155.
§. II. *Statuitur Concluſio.* 156.
§. III. *Solvuntur argumenta ab auctoritate.* 158.
§. IV. *Solvuntur argumenta à ratione.* 160.

QUÆSTIO SECUNDA.

De Exiſtentia Viſionis Dei.

DUBIUM PRIMUM.

An aliqui in hac vita fruiti ſint clarâ Dei viſione?

§. I. *Oſtenditur, hoc poſſibile eſſe.* 162.
§. II. *Statuitur aſſertio.* 163.
§. III. *Solvuntur oppoſita.* ibid.

DUBIUM SECUNDUM.

De Millenariorum errore.

§. I. *Status Quæſtionis proponitur.* 167.
§. II. *Catholica veritas contra Millenarios.* 168.
§. III. *Millenariorum fundamenta.* 169.

DUBIUM TERTIUM.

An Viſio clara Dei, & Beatifica differenda ſit Sanctis uſque poſt extremum Judicii diem?

§. I. *Quædam prænotanda.* 172.
§. II. *Statuitur Veritas, & probatur.* 173.
§. III. *Reſpondetur objectis.* 175.
§. IV. *Joannes XXII. Vindicatur.* 177.

QUÆSTIO TERTIA.

De uno Beatificæ Viſionis principio, nempe ſpecie intelligibili.

DUBIUM PRIMUM.

An Beati videant Deum per aliquam ſpeciem creatam?

§. I. *Aliqua prenotantur.* 180.
§. II. *Reſolvitur de ſpecie impreſſa, & expreſſa.* 181.
§. III. *Solvuntur Argumenta.* ibid.

DUBIUM SECUNDUM.

An ſit poſſibilis ſpecies creata, quæ Deum, ut eſt in ſe, repræſentet?

§. I. *Ratio controverſiæ.* 183.
§. II. *Reſolutio difficultatis.* ibid.
§. III. *Solvuntur argumenta contraria.* 185.

QUÆ-

Digitized by Google

QUÆSTIO QUARTA.

De Lumine Gloriæ.

DUBUIM PRIMUM.

An Intellectus creatus ad videndum Deum aliquo creato lumine indigeat?

§. I. *Quid nomine Luminis Gloriæ intelligatur?* 189.
§. II. *Reſolutio Dubii.* 190.
§. III. *Solutio objectionum.* 191.

DUBIUM SECUNDUM.

An ſaltem de potentia Dei abſolura poſſit intellectus creatus ſine Lumine Gloriæ videre Deum?

§. I. *Reſolutio Dubii.* 193.
§. II. *Solutio Objectionum.* 194.
§. III. *Mens D. Thomæ.* 196.

DUBIUM TERTIUM.

An intellectus creatus propriâ, & nativâ virtute ſaltem partialiter proximè influat in Viſionem Dei; an verò tota virtus proxima habeatur à Lumine Gloriæ?

§. I. *Quibuſdam prænotatis referuntur ſententiæ.* 198.
§. II. *Statuitur aſſertio.* 199.
§. III. *Adverſariorum rationes.* 200.

DUBIUM QUARTUM.

An videntium Divinam Eſſentiam unus alio perfectiùs videat?

§. I. *Refertur error.* 204.
§. II. *Catholica veritas.* ibid.
§. III. *Joviniani fundamenta.* 205.

DU-

DUBIUM QUINTUM.

Unde ſumatur inæqualitas in videndo Deum?

§. I. *Referuntur opiniones.* 208.
§. II. *Sententia D. Thomæ.* ibid.
§. III. *Sententia D. Thomæ roboratur ratione.* 209.
§. IV. *Reſpondetur oppoſitis.* 210.

QUÆSTIO QUINTA.

De Objecto Viſionis Beatificæ.

DUBIUM PRIMUM.

An Deus ab intellectu creato comprehendi poſſit?

§. I. *Quędam prẹmittuntur.* 212.
§. II. *Statuitur aſſertio.* ibid.
§. III. *Solvuntur argumenta.* 214.

DUBIUM SECUNDUM.

Quid Beati in Deo videant: an Deum ſimul unum, & trinum: & an aliter de poſſibili contingere queat?

§. I. *Reſolvitur prima pars.* 216.
§. II. *An de facto videant, quæ virtualiter in Deo ſunt?* pag. 217.
§. III. *An de potentia Dei abſoluta poſſit Beatus videre unum prẹdicatum Divinum abſolutum, ſive relativum ſine alio, vel abſolutum ſine relativo?* 218.
§. IV. *Reſpondetur Scotiſtarum momentis.* 220.

DU-

Digitized by Google

DUBIUM TERTIUM.

Quænam præter Deum Beati in Verbo videant?

§. I. *Quid ſit videre Creaturas in Verbo?* 223.
§. II. *Enumerantur res, quæ à Beato videntur.* 224.
§. III. *An Beati videant in Deo omnia Decreta Dei?* 229.

Vidit

Digitized by Google

Vidit D. Auguſtinus Maria Alfieri Clericus Regularis Sancti Pauli, & in Eccleſia Metropolitana Bononiæ Pœnitentiarius pro Eminentiſſimo, & Reverendiſſimo Domino D. Cardinali Jacobo Boncompagno Epiſcopo Albanenſi, Archiepiſcopo Bononiæ, ac Sacri Romani Imperii Principe.

Die 15. Februarii 1727.

IMPRIMATUR.

Fr. Vincentius Maria Mazzoleni Inquiſitor Generalis Bononiæ.

THEO.

Digitized by Google

THEOLOGIÆ SCHOLASTICO-DOGMATICÆ.

TRACTATUS DE DEO

Ejus Exiſtentia, Natura, & Attributis.

DEI nomen latinis exprimit ens perfectiſſimum, ſupremam omnium rerum cauſam, à ſe exiſtentem, à nullo dependentem, à qua ut à primo principio omnia pendent, & ad quam ut ad ultimum finem omnia ordinantur. Hoc nomen Deus, teſte Damaſceno *lib. 1. de fide c. 12. modò 9.* à nomine Græco *Theos* derivatur, quod vel *currere, & confovere* ſignificat, vel *urere*, vel *omnia perſpicere*. Primam derivationem indicavit Sapiens *lib. Sapien. c. 8. v. 1.* de Sapientia dicens: *Attingit à fine uſque ad finem fortiter*. Secundam Apoſtolus ad *Hebr. 12. v. 29. Deus noſter ignis conſumens eſt*. Tertiam idem Apoſtolus *ibid. c. 4. v. 13. Non eſt ulla creatura inviſibilis in conſpectu ejus: omnia autem nuda, & aperta ſunt oculis ejus.* Quia verò hoc nomen Deus conſiderari poteſt, tum ex parte ejus, ad quod ſignificandum impoſitum eſt, tum ex parte ejus à quo eſt impoſitum. Si primo modo conſideretur, docet D. Thom. *1. p. q. 13. art. 8.* quod eſt nomen naturæ; impoſitum enim eſt ad ſignificandam naturam divinam prorſus incommunicabilem. Si verò ſecundo modo conſideretur, videtur eſſe nomen operationis; nam ex operatione Dei nimirum à ſumma ejus circa omnia providentia, cognitione, conſervatione fuit impoſitum: unde ait D. Baſilius *Epiſt. 14. Ab eo, quod omnia excitarit, aut certè pervideat omnia, & contempletur, Deus dicitur.* Cumque divina operatio in creaturis participatione, vel miniſterio aliquatenus participari poſſit: inde Reges, qui Vicariâ Dei poteſtate cæteris imperant, Dii in ſcriptura dicuntur Pſalm. 81. *Ego dixi Dii eſtis*. Moyſes, qui ad monendum verbo, & miraculis Pharaonem à Deo delegabatur, Deus vocatur *Exod. 3. v. 1. Ecce conſtitui te deum Pharaonis*. Denique omnes, qui aliquam divinæ celſitudinis participationem habent, ac in aliqua eminenti dignitate ſunt poſiti, vel ut juſtitiam ſuo nomine exerceant, vel aliud quidpiam excellens, Dii dicuntur *Pſal. 81. v. 1. Deus ſtetit in Synagoga Deorum*, & Exod. 22. v. 28. *Diis non detrahes*. Hinc eſt, quòd ex hac parte *Dei* nomen per quandam analogiam aliis communicari poteſt. Cæterum, quia Judicium de nominibus non debet eſſe ſecundum id, à quo impoſita ſunt, ſed ſecundùm id, ad quod ſignificandum ſunt inſtituta: propterea eſto nomen Deus à divina operatione ſit impoſitum, cum Deus ſolùm ex ſuis operationibus, & effectibus nobis innoteſcit; tamen quia ad ſignificandam veram, ac ſubſtantialem naturam ſummam, quæ uni vero Deo convenit, eſt inſtitutum: ideo *Deus* eſt nomen naturæ, nomen prorſus incommunicabile ſecundùm veritatem, etſi ſecundum falſam opinionem pluribus à Paganis communicatum fuerit. Hiſce de Dei nomine prænotatis. Quæremus, an res ſignificata per hoc nomen Deus verè, ac de facto exiſtat, an una ſit, vel plures: deinde, quid ſit. Tandem quænam ejus attributa, ſeu quaſi proprietates ſint.

QUÆSTIO I.

De exiſtentia Dei.

IN hac quæſtione hoc determinandum proponimus: an reverà Deus exiſtat, ſeu an inter omnia entia realiter exiſtentia admittendum ſit aliquod ſupremum ens, à quo cætera, ut à ſuo principio dependeant, & in quod ut ad ſuum ultimum finem referantur. Etſi namque cæteræ vulgares ſcientiæ ab objecti ſui exiſtentia plerumque præſcindant, ne fortè cùm illa ſit contingens, & mutationi obnoxia, ſcientiæ certitudini, ac infallibilitati detrahat, & officiat: nihilominus Theologia, quæ habet Deum pro ſuo objecto, in detegenda, & ſtabilienda Dei exiſtentia abſque periculo immorari poteſt, cum enim Deus non contingenter, ſed neceſſariò exiſtat, ſitque unum ex prædicatis ipſius eſſentialibus exiſtentia, non ſolùm certitudini Theologiæ non obeſt agere de illius exiſtentia, ſed etiam Dei eſſentia detegi non poteſt, niſi priùs ejus exiſtentia innoteſcat. Addo quòd cùm omnis cognitio Theologica divinam revelationem ſupponat, & in ea fundetur, quæ haberi non poteſt, niſi Deo exiſtente, meritò nobis priùs conſtare debet, Deum exiſtere, quàm ullam certam cognitionem Theologicam aſſequi poſſimus. His ergo præſuppoſitis ſtatuitur.

DUBIUM I.

An Deum exiſtere ſit per ſe notum.

§. I.

Aliqua prænotantur.

I. NOt. 1. Divinam exiſtentiam, ſeu Deum exiſtere nobis viatoribus ſolum triplici viâ poſſe certò innoteſcere: nimirum aut per naturalem intelligentiam, ſive lumen primorum principiorum, quo nobis innoteſcunt prima principia indemonſtrabilia; aut per fidem, & divinam revelationem; aut denique per diſcurſum. Nobis enim ſolùm triplex lumen affulget, quo detegere poſſimus veritatem. Nempe lumen fidei ſupra nos: naturalis intelligentia intra nos: diſcurſus qui fit à nobis, & experientia, quæ habetur ex iis, quæ ſunt circa nos. Certum ergo eſt ad Dei exiſtentiam cognoſcendam, aut detegendam experientia, nos manuduci non poſſe: etenim cum hæc circa ſenſibilia verſetur; quomodo ad cognoſcendum, Deum eſſe, qui omnino ſpiritualis, & ab omni materia defæcatiſſimus eſt, ducere nos poſſet? Hinc cùm aliqui Deum per experientiam invenire ſibi adulati fuerint, in turpiſſimos errores inciderunt: nam vel Deum habentem corpus ſibi finxerunt, ut *Antropomorphitæ*, vel nihil aliud præter ſenſibile adeſſe exiſtimantes, Deum eſſe negarunt, ut Athei. Quapropter reſtat, ut divinæ exiſtentiæ certam cognitionem ſolùm haurire poſſimus, vel ab aliquo teſtificante fide digno, & ſic per lumen fidei; vel ab ingenito ſingulis intelligentiæ lumine, vel denique ab ipſo diſcurſu.

II. Certum eſt, lumine fidei conſtare nobis, Deum exiſtere: hoc enim demonſtrant S. Scripturæ textus innumeri, quibus Deus, nedum alia, ſed & ſui ipſius exiſtentiam revelavit, & teſtificatus eſt. Ex quo enim Deus mentiri non poſſit, dum dicit ſe exiſtere, certi ſumus, ita eſſe; & inſuper quia non poſſet revelare, niſi eſſet. Sed hunc modum cognoſcendi Dei exiſtentiam hìc ſupponimus. Quare ſolùm quærimus, an lumine naturalis intelligentiæ, etiam cognoſcatur, vel ſolo diſcurſu ad certam ejus exiſtentiæ cognitionem deveniamus: ideoque ſtatuimus Dubium, an hæc propoſitio Deus eſt ſit lumine naturali per ſe, & immediatè nota. Unde

III. Adverto 2., propoſitionem objectivam, de qua hìc loquimur; aliam eſſe per ſe, & immediatè notam, quæ ſcilicet cognitis terminis ſtatim innoteſcit

ſcit abſque ullo medio: & aliam, quæ non eſt per ſe nota, ſed eget alio, quo tanquam medio per diſcurſum certè innoteſcat. Primi generis ſunt propoſitiones, in quibus prædicatum eſt de eſſentia ſubjecti, ſeu in quibus prædicatum immediatè convenit ſubjecto. Secundi generis ſunt, in quibus prædicatum non eſt de eſſentia, nec immediatè convenit ſubjecto.

IV. Rurſus ex D. Thoma hac 1. *p. q.* 2. *art.* 1. aliqua propoſitio dici poteſt per ſe nota dupliciter, nimirum, vel ſecundum ſe, & etiam quoad nos: vel ſecundùm ſe tantùm, non verò quoad nos. Illa dicitur per ſe nota ſecundum ſe, & etiam quoad nos, in qua prædicatum non ſolùm includitur in eſſentia ſubjecti, ſed inſuper natura ſubjecti, & prædicati à nobis diſtinctè cognoſcitur, adeò ut cognito ſubjecto, & prædicato ſtatim cognoſcamus exercitam connexionem eorum ad invicem. Illa verò eſt per ſe nota, quidem ſecundùm ſe, non verò quoad nos, in qua prædicatum includitur quidem in eſſentia ſubjecti tanquam eſſentialiter immediatè illi conveniens, quia tamen naturam ſubjecti, ac prædicati diſtinctè non cognoſcimus, eſſentialem connexionem eorum inter ſe non ſtatim certò penetramus, ſed ad hoc indigemus diſcurſu.

V. Hujus diviſionis neceſſitas ſic evincitur: nomine enim propoſitionis per ſe notæ in ſe, non autem nobis, intelligimus illam, quæ licèt ex ſua natura non egeat medio, ſeu priori aſſenſu, ut certò cognoſcatur; illud tamen exigit indiſpoſitio, & ignorantia noſtri intellectus, qui non poteſt ſtatim & ex ſola apprehenſione terminorum cognoſcere connexionem prædicati, & ſubjecti inter ſe: ſed de facto dantur tales propoſitiones, ergo dandæ ſunt propoſitiones per ſe notæ in ſe, non autem nobis. Minor explicatur exemplis. Hæc propoſitio: *Relatio eſt, cujus totum eſſe eſt ad aliud ſe habere* cum ſit propoſitio, in qua prædicatum eſt de eſſentia ſubjecti in ſe caret medio, quo probari poſſit; & conſequenter in ſe eſt per ſe nota: tamen ex ignorantia noſtra, auditâ dictâ propoſitione, non ſtatim illi aſſentimur, niſi nobis per effectus, vel per exempla declarentur termini. Similiter in unaquaque ſcientia dantur propoſitiones, quæ licèt ex ſua natura ſint per ſe notæ, & proinde indemonſtrabiles; quia tamen conſtant ex terminis ſignificantibus quidditates ſolùm notas tractatoribus illius ſcientiæ, ſi proponantur alicui talis ſcientiæ ignaro, non poterunt ab illo extorquere indubitatum aſſenſum, niſi priùs per exempla termini explicentur; puta ſi mihi ignaro Geometriæ aliquod principium Geometricum proponatur, ſecundum ſe quidem indemonſtrabile, ejus tamen terminos ego ignorans, eorum inter ſe connexionem penetrare non valebo, niſi mihi explicentur.

VI. Hoc totum confirmatur. Aliquæ enim ſunt propoſitiones, quæ conſtant terminis ita univerſalibus, & communibus, ut ſufficiat illos apprehendere; ſtatim enim res per illos ſignificatæ cognoſcuntur, ut verbi gratia: *Quodlibet eſt, vel non eſt; Omne totum eſt majus ſuâ parte:* & iſtæ ſunt per ſe notæ non tantùm in ſe, ſed etiam reſpectu omnium. Aliæ verò ſunt propoſitiones conſtantes ex terminis, de quibus plerique confuſam habent cognitionem, nec ſufficientem ad penetrandam eorum connexionem: ut iſta *omnes recti anguli ſunt æquales:* & iſtæ licèt ſint per ſe notæ in ſe nec egeant medio, non ſunt tamen per ſe notæ nobis, qui egemus aliquo medio, ut eis aſſentiamur.

VII. Adverto 3. ex eodem D. Thoma citato in *reſp. ad primum*, Deum dupliciter conſiderari poſſe, uno modo ſub quadam communitate, & confuſione, in quantùm ſcilicet eſt hominis beatitudo, vel ſub bono generaliter continetur, eo ferè modo, quo cum videmus hominem à longè venientem, eum ſub quadam confuſa, & univerſali notione apprehendimus, quatenus ſcilicet eſt ens, vel corpus, vel vivens, vel animal. Alio modo poteſt Deus conſiderari ſub

Digitized by Google

ratione particulari Deitatis, prout ſcilicet eſt primum ens, prima cauſa, natura omnium perfectiſſima, ex qua omnia ſuum principium habent. His præmiſſis.

§. II.

Prima, & ſecunda aſſertio.

VIII. Dico 1. Deum exiſtere eſt per ſe notum ſecundùm ſe. Ex ſuperiùs notatis conſtat. Illud enim ſuapte naturâ eſt per ſe notum, in quo enunciatur aliquid, quod eſt immediatè de eſſentia non ſolùm phyſica, ſed metaphyſica ſubiecti, in eaque eſſentialitèr includitur: ſed in hac propoſitione *Deus eſt* enunciatur exiſtentia, quæ eſt immediatè de eſſentia Dei, non ſolùm phyſica, ſed metaphyca, & in ea eſſentialiter includitur: ergo &c. major patet, ideo enim hoc dictum *homo eſt animal rationale* eſt per ſe notum, quia in eo enunciatur rationale, quod eſt de eſſentia metaphyſica hominis. Minor etiam conſtat quia eſſentia primi entis, ſeu entis à ſe in ſui ratione formali metaphyſica includere debet exiſtentiam. Ex quo diſces differentiam inter exiſtentiam, & cætera Dei attributa, quòd iſta ſunt de eſſentia Dei phyſica, omnia enim divina phyſicè, & realiter ſunt Deus, at exiſtentia eſt de eſſentia Dei etiam metaphyſicè.

IX. Dico 2. Deum eſſe, conſiderato Deo ſub ratione confuſa, & communi beatitudinis, eſt per ſe notum etiam nobis. Probatur. Nobis enim naturaliter inſita eſt cognitio Dei, quo modo naturaliter nobis inſitus eſt appetitus beatitudinis, ſed naturaliter nobis inſitus eſt appetitus beatitudinis ſub generali notione beatitudinis; ergo naturaliter inſita nobis eſt cognitio Dei ſub ratione generali boni, & confuſa beatitudinis. Sed hoc, ait D. Thomas hìc *ad primum*, non eſt cognoſcere ſimpliciter Deum eſſe, ſed tantùm ſecundum quid, nimirum aliquid eſſe, quod hominis appetitum ſatiare poſſit, ſicut quando aliquis hominem videt à longè venientem, non cognoſcit illum ſub ratione particulari hominis, & ſimpliciter, ſed ſecundum quid, & confusè, nempe ſub ratione communi, vel entis, vel viventis, vel animalis.

§. III.

Tertia Aſſertio.

X. Dico 3. Deum eſſe non eſt propoſitio per ſe nota nobis, ſeu quoad nos. Ita S. Thomas tum hìc *art. 1., tum 1. contrag. cap. 11., quæſt. 10. de verit. a. 12., & in 1. ſent. diſt. 1.* Cujus hæc eſt ratio. Illa propoſitio eſto per ſe nota ſecundum ſe, non tamen eſt nota nobis, in qua prædicatum eſt quidem de eſſentia ſubiecti, tamen nos nec naturam ſubiecti perfectè aſſequimur, & eâ adhuc nobis explicatâ, adhuc ſolo lumine innato ſaltem certò non penetramus connexionem ejus cum prædicato: ſed ita nobis contingit in caſu; dum enim apprehendimus Deum, quia illum non apprehendimus quidditativè, ſed ſolùm connotativè ad creaturas, non ſtatim connexionem ejus eſſentialem cum exiſtentia certò cognoſcimus, niſi ad hoc per aliquid nobis notius diſcurrendo manuducamur.

Dices tamen 1. Nulla res poteſt cogitari ſine ſua quidditate, ſed eſſe eſt quidditas Dei, ergo Deus non poteſt cogitari ſine eſſe.

XI. Reſpondeo 1. Quòd licèt nulla res cogitari poſſit abſque eo quod eſt de ſua quidditate, abſtractione poſitivâ, ſeu (ut loquitur D. Tho. *quæſt. 21. de vert. art. 1.*) per modum enunciationis, ita ut una negetur de altera: poteſt tamen abſtractione merè negativa, ſic nimirum, ut cogitetur una, aliâ non cogitatâ; quomodo eſto poſſimus Deum cogitare ejus bonitatem non cogitando, Deum tamen cogitare non poſſumus non eſſe bonum, ut D. Tho. *quæſt. 4. de potentia art. 4. ad 8.*

XII. Reſpondeo 2. Magis ad caſum præ-

præſentem ex D. Tho. *quæſt. 21. de veritate art. 12. ad 4.* ea, quæ ſunt de quidditate cogitari poſſe non ſolùm ſeparatim, ſed etiam eſſe ſeparata, quando nimirum ignoratur prædicatum eſſe de quidditate ſubiecti. Multi autem ignorant, vel ſaltem lumine principiorum non omnibus conſtat, exiſtentiam eſſe de quidditate Dei.

XIII. Dices 2. Et replicabis, non poteſt cogitari Deus, quin concipiatur eſſe id, quo majus cogitari non poteſt, ſed id, quo majus cogitari non poteſt, non poteſt concipi ſine exiſtentia, aliàs non eſſet id, quo majus cogitari non poteſt; ergo &c.

Reſpondeo cum D. Tho. hic ad 2. negando 1. majorem. *Nam fortè ille, qui audit hoc nomen, Deus, non intelligit ſignificari aliquid, quo majus cogitari non poſſit; cum quidam crediderint Deum eſſe corpus*. Cæterum datâ majori, cum eodem S. Doctore dico ad minorem, quòd dato etiam, quòd quilibet intelligat, hoc nomine Deus, ſignificari illud, quo majus cogitari non poteſt, de cujus quidditate ſit eſſe, non tamen propter hoc ſequitur, quod intelligat, id, quo majus cogitari non poteſt, & cui eſſentiale eſt eſſe, in rerum natura exiſtere; poteſt enim cogitari nihil ejuſmodi eſſe in rerum natura, quo majus cogitari non poſſit, ſed hoc eſſe tantùm in apprehenſione ſic cogitantis. Videatur *quæſt. 21. de verit. art. 12. ad 2. & in 1. ſent. diſt. 3. quæſt. 1. art. 2. ad* 4. & ſanè Atheus, dum concipit Deum, vel non concipit id, quo majus cogitari non poteſt, & de cujus quidditate ſit exiſtere, vel cogitat, hoc, quo majus cogitari non poteſt, in rerum natura non eſſe, & propterea negat, Deum reverà eſſe extra ſuam cogitationem. Et ratio eſt, quia nomen ſignificat eſſentiam rei ſolùm ſignatè, & ut eſt in apprehenſione, ad differentiam Verbi, quod eam ſignificat ut exercitè, & actu exiſtentem.

XIV. Probatur ulterius Concluſio ratione ejuſdem S. Doctoris hìc in argumento *ſed contra*. Illa propoſitio cujus oppoſitum aliquis cogitare poteſt non eſt per ſe nota quoad nos: ut conſtat in primis principiis, quæ à nemine negantur, & de quibus nulla eſt dubitatio: ſed oppoſitum hujus propoſitionis *Deus eſt* aliquis cogitare poteſt, & de facto Athei cogitaverunt: ergo non eſt per ſe nota quoad nos. Minor patet ex Pſalmo 52. *v. 1. Dixit inſipiens in corde ſuo, non eſt Deus*.

XV. Probatur 3. Deus cùm ſit prorſus immaterialis, & obiectum à ſenſibus remotiſſimum non poteſt immediatè movere intellectum noſtrum ad ſui cognitionem, ſed mediatè tantùm, & per ſpecies, ac ſimilitudines rerum ſenſibilium: ergo hæc propoſitio *Deus eſt* non poteſt eſſe nobis immediata, & per ſe nota, ſed tantùm mediatè, & cognoſcibilis ex rebus ſenſibilibus juxta illud Sapientiæ 13. *v. 5. A magnitudine ſpeciei, & creaturæ, cognoſcibiliter poterat creator horum videri*; & illud Pauli Rom. 1. 20. *Inviſibilia enim ipſius à creatura Mundi, per ea quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur*.

XVI. Dices tamen: illa cognitio eſt per ſe nota, quæ à natura nobis inſeritur, atqui cognitio exiſtentiæ Dei à natura nobis inſeritur, ut infra dicemus, ergo eſt per ſe nota: major patet: non enim aliunde eſt per ſe nota nobis veritas primorum principiorum.

XVII. Confirmatur. Per ſe notum nobis eſt, veritatem exiſtere: ſed Deus eſt veritas, ergo per ſe notum eſt, Deum exiſtere. Maior probatur. Nam vel certò conſtat, veritatem eſſe: & ſic habetur intentum, vel certò conſtat veritatem non eſſe: & ſic datur hæc veritas, quod veritas non ſit.

XVIII Reſp. majorem eſſe veram, ſi illius propoſitionis termini etiam naturâ docente diſtinctè innoteſcant, & neceſſaria appareat eorum connexio. Secùs vero ſi ſolùm confusè termini veniant in mentem, nec eorum connexio nobis certò innoteſcat, ut de hac veritate *Deus eſt* nobis contingere jam dixi.

XIX. Reſpondeo 2. diſting. minorem cognitio exiſtentiæ Dei nobis inſeritur

à na-

à natura, immediata nimirum cognitio, nego: mediata ſolum, concedo. In hoc ergo ſenſu dici poteſt naturalitèr inſita cognitio exiſtentiæ Dei; vel quia omnibus naturaliter inſertum eſt aliquid, ex quo per diſcurſum pervenire poſſit ad certam notitiam Dei. Vel quia per principia nobis innata hanc de facili poſſumus aſſequi. Vel quia de exiſtentia Dei ſolo lumine naturæ, etſi non certam, dubiam tamen, quâ ſuſpicari poſſumus Deum eſſe cognitionem habemus, quâ excitatur intellectus ad quærendam per diſcurſum cognitionem certam, & tollendam à ſe dubietatem. Videri poteſt S. Doctor *l. 1. ſent. diſt. 3. quæſt. 1. art. 2. quæſt. 10. de verit. art. 12. ad primum & opuſc. 70. quæſt. 1. art. 3. ad 6.*

XX. Ad confirm. dico, argumentum peccare in forma, procedit enim ab univerſali ad particulare affirmativè, nimirum à veritate in communi ad veritatem in particulari. Quare ſicut non ſequitur *animal exiſtit: ſed homo eſt animal, ergo homo exiſtit*, quia poſſet animal exiſtere in Bruto, licèt homo non exiſteret: ita non ſequitur in caſu quia apud Atheos veritas exiſtit, & ſi non exiſtat Deus. Addo; nobis non eſſe per ſe notum, quod Deus ſit veritas. Marcion enim, & Manichæi eſtò blaſphemè, admittebant unum Deum, qui eſſet author malorum, & parens mendacii.

XXI. Dices 2. Hæc propoſitio *Deus eſt, vel non eſt*, eſt nobis per ſe nota: ergo etiam iſta Deus eſt.

Reſpondeo negando conſequentiam: quia ad cognoſcendam primam propoſitionem ſufficit cognoſcere vim diſiunctivæ, ſeu contradictionis, quæ regulatur principio nobis per ſe noto. *Quodlibet eſt, vel non eſt*. At ad cognoſcendam ſecundam, oportet determinatè cognoſcere connexionem hujus ſubjecti Deus cum exiſtentia, ad quod ſine diſcurſu certò non pervenimus, ut dictum eſt.

XXII. Dices 3. Iſta propoſitio *Deus eſt colendus* eſt per ſe nota etiam nobis, cùm ſit primum principium ſynderesis; ergo & iſta Deus exiſtit, quia iſta ſupponitur ad illam tanquam fundamentum ejus.

Reſpondeo conc. anteced. negando conſ. licèt enim cognitio practica ſupponat cognitionem ſpeculativam: non tamen oportet, ut, ſi cognitio practica ſit immediata, etiam cognitio ſpeculativa talis ſit: Hoc enim principium *Parentes ſunt colendi* eſt immediatum: licèt non cognoſcamus immediatè, quinam ſint parentes noſtri, ſed per diſcurſum, & relationem aliorum. Ita quamvis non cognoſcamus immediatè dari Deum, ſed per diſcurſum tantùm, nihilominùs hæc propoſitio *Deus eſt colendus* eſt immediata, & primum principium practicum.

XXIII. Replicabis: eſtò ex quo Parentes ſint colendi non cognoſcamus, quinam ſint parentes noſtri immediatè, tamen immediatè cognoſcimus parentes dari: ergo ex quo hæc cognitio Deus eſt colendus eſt immediata, licèt non cognoſcamus quis nam ſit Deus, cognoſcimus tamen immediatè dari Deum.

Reſp. ex hac propoſitione Parentes ſunt colendi ſequi quidem Parentes dari, at non de facto exiſtere, ſed ſi exiſtant eſſe colendos: ita ex hac propone Deus eſt colendus, non ſequitur Deum abſolutè exiſtere, ſed ſi exiſtat eſſe colendum. Addo diſcrimen eſſe quod Parentes, quicumque ſint, colendi ſunt; at Deus colendus, eſt ſolus verus Deus: hunc autem verè dari nobis per ſe non innoteſcit, ſed per diſcurſum.

XXIV. Dices 4. Puer perveniens ad uſum rationis tenetur pro primo inſtanti ſe convertere ad Deum juxta doctrinam D. Thomæ: ſed pro eo primo inſtanti non poteſt notitiam Dei per diſcurſum acquirere, cùm ad hanc vix per longum tempus Theologi devenerint, ergo &c.

XXV. Reſpondeo 1. Puerum pervenientem ad uſum rationis teneri ſe convertere ad Deum, non ut cognitum diſtinctè, & in particulari, ſed confusè

ſub

Digitized by Google

ſub ratione nempe beatitudinis, & finis ultimi, quo pacto diximus abſque diſcurſu cognoſci poſſe. Secundò dico quod cum primum inſtans uſus rationis ſit inſtans, non phyſicum, ſed morale, datur locus, ut partim ex diſcurſu, qui facilis eſt, partim ex iis, quæ à parentibus audivit, poſſit aſſurgere ad cognitionem Dei etiam in particulari, maximè quia credi poteſt, eum ſpeciali lumine à Deo illuſtrari: quod in iis, qui nutriuntur in fide Catholica potiſſimum contingere credimus.

Quæ hactenus diximus, de nobis Viatoribus intelligi debent. Si enim de Beatis ſermo ſit, his procul dubio per ſe notum eſt, Deum eſſe. Ita D. Thom. 3. *contragentes cap.* 11. *Sicut nobis* (inquit) *eſt per ſe notum, quod totum ſua parte ſit majus, ſic videntibus ipſam divinam eſſentiam per ſe notiſſimum eſt, Deum eſſe, ex hoc, quod ſua eſſentia eſt ſuum eſſe. Sed quia ejus eſſentiam videre non poſſumus, ad ejus eſſe cognoſcendum, non per ſe ipſum, ſed per ejus effectus pervenimus.*

DUBIUM II.

An de exiſtentia Dei dari poſſit ignorantia invincibilis.

§. I.

Aliqua prænotantur.

I. Cum ex dictis notitia exiſtentiæ Dei haberi non poſſit niſi per diſcurſum, & dentur aliqui homines agreſtes, ac in ſilvis educati, adeo hebetis ingenii, ut vix diſcurſum aliquem formare poſſint, pluſque ferarum more vivant, quàm hominum, qualem etiam nunc eſſe partem Tartarorum, Caraibarum, & Canadenſium, teſtantur, qui eas regiones penetrarunt. Locus aperitur præſenti Dubio, an ſcilicet iſtis ignorantia, quam habent de exiſtentia Dei, ſit inculpabilis, & propterea invincibilis. Pro hoc

II. Noto 1. Quod licèt exiſtentia Dei ſub ratione particulari Deitatis non ſit nobis per ſe nota, per ſe tamen nota eſt exiſtentia ſub ratione communi Beatitudinis, ex qua ſicut moveri poteſt quilibet ad deſiderandam beatitudinem ſaltem in generali, ita excitari poteſt ad quærendum quodnam ſit in particulari ſuæ beatitudinis objectum.

III. Noto 2. Quod etſi exiſtentia Dei in particulari ſub ratione primi entis, primæ cauſæ, primi proviſoris per ſe, & ſine diſcurſu certò non innoteſcat, negari tamen non poteſt, quin identidem in quolibet naturaliter oriatur aliqua cogitatio aliquam ſaltem ſuſpicionem, aut dubium pariens de Dei exiſtentia, quod dubium ſi advertere velit, poſſit homo à ſe tollere. Hac de cauſa ſæpius Patres docent cognitionem Dei eſſe nobis *inſitam, ingenitam, implantatam*, & ut ait Damaſcenus *lib.* 1. *de fide cap.* 3. *inſeminatam*. Hac de cauſa in repentinis, & motibus indeliberatis cum humana deſtituitur ope, nemo eſt, quamvis barbarus, qui Deum non invocet, & ad Deum non confugiat. *Quis autem* (ait Tertull. lib. de Teſtimonio animæ c. 5.) *ejuſmodi eruptiones animæ non putavit doctrinam eſſe naturæ, & congenitæ, & ingenitæ conſcientiæ tacitæ commiſſa?* huic antea præmiſerat: *hæc teſtimonia animæ quantò vera, tantò ſimplicia*. Et infra. *Magiſtra natura, anima diſcipula: quidquid aut illa edocuit, aut iſta perdicit, à Deo traditum eſt, magiſtro ſcilicet ipſius magiſtræ*. Et in Apologetico c. 17. poſtquam ait quod animadum *reſipiſcit ut ex crapula, ut ex ſomno, ut ex aliqua valetudine.... Deum nominat* exclamat. *O teſtimonium animæ naturaliter Chriſtianæ!* Hinc poteſt quodammodo dici per ſe notum, nobis, Deum eſſe. Cui ut obſervat D. Thom. 1. *contrag. c.* 2. accedit etiam conſuetudo, quâ homines ab incunabulis ſoliti ſunt nomen Dei audire & invocare: conſuetudo autem, & præcipuè quæ eſt à principio obtinet vim naturæ; ea enim quibus à pueritia animus imbuitur, ita firmitèr tenentur, ac ſi eſſent naturalitèr indita.

IV.

Digitized by Google

IV. Huc reſpexit S. Ambroſius *lib. 1. contrag.* cum ait: *Hanc eſſe ſcientiam naturalem, ſinè qua nemo naſcitur; adeò ut cuilibet ingenitum ſit & affixum, ac in utero matris impreſſum, ac inſitum, eſſe Regem, ac Dominum cunctorum quæcumque ſunt moderantem &c.* Hoc idem agnovit Epicurus ipſe, qui ut Cicero refert *lib. 1. de natura Deorum. Vidit quod in omnium animis Deorum notionem impreſſiſſet ipſa natura.* Unde idem Cicero *lib. 1. de legibus. De hominibus*, inquit, *nulla gens eſt, neque tam immanſueta, neque tam fera, quæ non, etiamſi ignoret, qualem Deum habere deceat, tamen habendum ſciat.* His ergo præ oculis habitis.

V. Noto 3. Ignorantiam eſſe duplicem ſecundùm Theologos, nimirum *vincibilem*; & *invincibilem*. Vincibilis eſt, quæ adhibitâ morali diligentiâ vinci, ac ſuperari poteſt, ſeu quæ naturæ viribus, & ordinariis gratiæ auxiliis ſuperari poteſt. Invincibilis autem eſt, quæ nullâ morali diligentiâ, ſeu nec naturæ viribus, nec ordinariis gratiæ auxiliis vinci, ac ſuperari poteſt. Prima cenſetur voluntaria, ſive in ſe, ſive in cauſa, & indirectè; unde culpabilis eſt, nec à peccato excuſat, juxta illud prophetæ Pſalm. 35. v. 4. *Noluit intelligere, ut benè ageret.* Secunda verò involuntaria eſt tum in ſe, tum in cauſa, & proinde inculpabilis eſt, & à peccato excuſat.

VI. Noto 4. Quod non eſt neceſſe, ut illa cognitio, quâ ignorantia vinci debet ſit omnino evidens, & demonſtrativa; ſed ſufficit, quod ſit probabilis, & quod nulla occurrat ratio evidens, quæ ſuadeat oppoſitum; quare ad vincendam ignorantiam ſatis eſt illa cognitio, quæ habetur per relationem, aut inſtructionem alterius, vel per aliquam probabilem conjecturam, etiamſi pariat ſolum ſuſpicionem, aut dubium.

VII. Status itaque præſentis Dubii eſt, non, an quis invincibiliter carere poſſit demonſtrativâ exiſtentiæ Dei cognitione, ſed an carere poſſit quâcumque etiam probabili conjecturali cognitione, aut ſuſpicione de Dei exiſtentia, ut nihil appareat reddens oppoſitum ſaltim probabile: ad operandum enim moraliter non requiritur certitudo metaphyſica, ſed ſufficit quæcumque cognitio: ideoque non eximitur à peccato, qui carens certitudine metaphyſica, ſe teneri ad operandum, habens tamen aliqualem, & ſaltem moralem, non operatur, vel habens dubium, dubium deponere negligat.

VIII. Procedere etiam quæſtio poteſt, aut de tota vita, aut ſolum pro brevi tempore. Aliqui enim Theologi auſi ſunt ſcribere, nonnullos homines poſſe per totam vitam laborare ignorantiâ invincibili exiſtentiæ Dei, ideſt carere cognitione non ſolum demonſtrativâ, ſed quacumque cognitione de Dei exiſtentia. Alii dixere, ejuſmodi ignorantiam, eſto non per longum, ad breve tamen tempus reperiri poſſe; ſive hoc ſit primum inſtans uſus rationis, ſive aliud vitæ tempus.

§. II.

Statuuntur aſſertiones.

IX. Dico 1. Nemo perveniens ad uſum rationis laborat ignorantiâ invincibili exiſtentiæ Dei, quatenus continetur ſub bono in communi, & ſub objecto beatitudinis. Probo quia in multorum ſententia homo perveniens ad uſum rationis, eſto non teneatur ſe convertere ad Deum, ut cognitum diſtinctè, & in particulari, tenetur tamen ſe convertere ad Deum, ut cognitum confusè, quatenus ſcilicet eſt objectum beatitudinis, aut finis ultimus honeſtus, ergo quilibet tenetur Deum ſaltem ſub hac ratione cognoſcere: ſi autem tenetur poteſt. Quod ſi pro eo inſtanti ad Deum non advertat, & ignoret, ignorantia ei non erit invincibilis, ſed vincibilis, & culpabilis.

X. Dico 2. Probabilius videtur, neminem

minem

Digitized by Google

minem pervenientem ad uſum rationis laborare ignorantiâ invincibili Dei, etiam ſub ratione particulari conſiderati. Ratio eſt primò, quia, ut ſupra dictum eſt, teſtimonium conſcientiæ de Dei exiſtentia tacere non poteſt, quin primo illo inſtanti, quo homo incipit deliberare de ſe ipſo, aliquam de Deo cogitationem, aut certam, aut ſaltem probabilem non ſuggerat, ita ut ſi ad eam attendat, ſi ſe ipſum, aut creaturas reſpiciat, ad Dei cognitionem ſtatim eum perducat; Tam evidens enim eſt creaturarum cum Creatore connexio, ut, qui ex animo attenderit, ne momento quidem temporis eſſe poſſit ſine cognitione Dei, vel demonſtrativâ, vel ſaltem conjecturali, & probabili. Addo, Deum ipſum ſe ſuo lumine cuique tunc demonſtrare, juxta illud Joann. 1. *v. 9. Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc Mundum*, & adeo illuminat, ut ſi tale lumen ſequens ad Deum ſe convertat, ad talem converſionem ſequatur infuſio gratiæ habitualis remiſſivæ peccati originalis, ut docet D. Thom. 1. 2. *quæſt.* 89. *art.* 2. Quod certè non contingeret, niſi talis eſſet converſio, quâ Deum expreſsè cognitum, imò etiam ut gratiæ authorem efficacitèr ſuper omnia diligeret.

XI. Dico 3. Nemo in vitæ ſuæ decurſu neque ad breve tempus poteſt Deum invincibilitèr ignorare. Hoc probat S. Paulus *Rom.* 1. *v.* 19. 20. ubi de Gentilibus, & Barbaris loquens ait. *Quod notum eſt Dei, manifeſtum eſt in illis, Deus enim illis manifeſtavit.* Sed quomodo? *Inviſibilia enim ipſius à creatura mundi per ea, quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur: ſempiterna quoque ejus virtus, & divinitas; ita ut ſint inexcuſabiles.* Si ergo Deus etiam Barbaris per ea, quæ ab ipſo facta ſunt, ita manifeſtat ſe, ſuam virtutem, & divinitatem, ut ſi ad eam non attendant, & ignorent, ſint inexcuſabiles, ſupponit Paulus, de Deo non poſſe dari ignorantiam excuſabilem, & invincibilem; ſed ſub tanto lumine Deum non videre, eſſe culpabile. Propterea David omnes Deum ignorantes ſine ulla exceptione pronunciat reos, dignos irâ Dei, & pœnâ. *Effunde* (inquit pſ. 78. v. 6.) *iram tuam in gentes, quæ te non noverunt.* Et Tertullianus tantùm abeſt, ut excuſet eos, qui ignorantiâ Dei laborant, quin eam ignorantiam, ſummam delictorum appellat. *Et hæc eſt* (inquit apologet. c. 17.) *ſumma delicti nolentium recognoſcere, quem ignorare non poſſunt.* Recolantur quæ ſuperiùs in ſecundo notabili dicta ſunt.

XII. Adeſt quoque ratio Theologica. Si quis enim invincibiliter, & inculpatè etiam per breve tempus Dei ignoraret exiſtentiam, aut ignorare poſſet, quantùmcumque is flagitioſus eſſet, nullius peccati mortalis foret reus: nam peccati mortalis gravitas, & malitia petitur ex injuria, quæ Deo irrogatur: atqui ille homo flagitioſus nullam injuriam, ac offenſam Deo irrogaret, ſiquidem nullam injuriam, & offenſam irrogare poteſt ei, quem invincibiliter, & inculpatè ignorat exiſtere: ergo &c.

XIII. Roboratur hæc ratio. Romæ die 24. Auguſti anno 1690. ab Alexandro Papa VIII. damnata fuit hæc theſis, ſeu propoſitio. *Peccatum Philoſophicum, ſeu morale eſt actus humanus diſconveniens naturæ rationali, & rectæ rationi: Theologicum verò, & mortale eſt transgreſſio libera divinæ legis. Philoſophicum quantumvis grave, in eo, qui Deum, vel ignorat, vel de Deo actu non cogitat, eſt grave peccatum: ſed non eſt offenſa Dei, neque peccatum mortale diſſolvens amicitiam Dei, neque pœnâ æternâ dignum:* Atqui admiſsâ contrariâ ſententiâ Theſis illa immeritò damnata fuiſſet, nam in eo, qui invincibiliter Deum ignoraret, omnia ejus flagitia eſſent peccata purè Philoſophica, ſeu contra rectam rationem, ſed non Theologica, ideſt non contra Deum, non offenſa Dei, neque ejus amicitiam diſſolventia,

neque pœnâ æternâ digna: imò ſi, dum eſſet infans, conſecutus fuiſſet gratiam habitualem, & Dei amicitiam, quamvis poſtea apud barbaros educatus innumera flagitia commiſiſſet, manſiſſet ſemper in gratia, & amicitia Dei, & non ſolùm non eſſet dignus pœnâ æternâ, ſed cum tali ignorantia decedens, vitam æternam, ut infantes, conſequeretur.

XIV. Hæc ratio urget, nedum contra eos, qui opinantur, hominem poſſe totam vitam tranſigere, aut ſaltem ad longum tempus cum ignorantia invincibili exiſtentiæ Dei, ſed eos etiam, qui docent, id poſſe per breve tempus. Nam iſte, qui per breve tempus Dei exiſtentiæ ignorantia laborare ſupponitur, poſſet eodem brevi tempore innumeris flagitiis conſenſum præbere, ac proinde illa flagitia pro eo brevi tempore non eſſent peccata mortalia, nec Theologica, nec diſſolverent Dei amicitiam, quam homo ille adhuc puer in baptiſmo conſecutus fuiſſet. Et ſi eo brevi tempore decederet, non eſſet propter flagitia pro eo tempore admiſſa, pœnâ æternâ damnandus.

§. III.

Solvuntur objectiones.

XV. OBiicies 1. Cognitio exiſtentiæ Dei non poteſt niſi per diſcurſum haberi, ſed dantur homines, præſertim apud barbaros, & infideles, adeo ſtupidi, ut ejuſmodi diſcurſus incapaces ſint: ergo iſti ſaltem ignorabunt inculpatè Deum. Maior patet ex præcedenti Dubio: minor quoque apparet: multi enim connexionem creaturarum cum Dei exiſtentia præ ruditate ingenii penetrare non poſſunt: imò multi ex rebus hiſce viſibilibus oppoſitum demonſtrare conati ſunt.

XVI. Reſpondeo 1. diſting. maj. cognitio certa, & demonſtrativa conc. maj. cognitio probabilis, & conjecturalis: nego maj. & ſimiliter diſtinctâ min. nego conſeq. ad tollendam enim ignorantiam invincibilem non eſt neceſſaria cognitio evidens, & certa, ſed ſufficit aliqua cogitatio probabilis, aut conjecturalis, vel quæ habetur per inſtructionem, aut relationem aliorum. Dato autem, aliquos adeo agreſtes, & plumbeos eſſe, qui non ſtatim ad certam cognitionem exiſtentiæ Dei pervenire poſſint; illis tamen non deeſt lumen, ad quod ſi attendere velint, aliquam de exiſtentia Dei cogitationem, vel ſuſpicionem, aut cognitionem conjecturalem concipiant, quæ ad tollendam ignorantiam invincibilem ſufficit. Addo, plerumque Deum noſſe poſſe per relationem, aut inſtructionem aliorum maximè parentum.

XVII. Reſpondeo 2. negando min. teſte enim Divo Paulo citato, inviſibilia Dei manifeſtat Deus omnibus etiam Barbaris per ea, quæ facta ſunt: itaut, ſi non attendant, ſint inexcuſabiles. Neque ad tollendam prorſus ignorantiam invincibilem de Deo neceſſe eſt, ut hæc propoſitio *Deus eſt* ſit nobis per ſe nota, ſed ſufficit, ut apprehenſis terminis aliqua cogitatio, eſto ſolùm probabilis, de Deo nobis oriatur, cui attendentes manuducamur ad Dei exiſtentiam per diſcurſum quærendam, & certò acquirendam; qui diſcurſus adeo patens eſt, & facilis, ut nemo hebetudinem ingenii pro excuſatione allegare poſſit. Sicut nemo ignorantiam invincibilem de præceptis Decalogi, ut de adulterio, pro excuſatione allegare poteſt; quamvis ea ex communiſſimis principiis per diſcurſum deducta ſint, ut docet D. Thom. 1. 2. *quæſt.* 100. *art.* 1. & 3. Quòd ſi aliqui ex tali diſcurſu oppoſitum exiſtentiæ Dei potius intulerunt, id eorum inſipientiæ, & malitiæ potiùs, quâ id, quod videre poterant, aut certè videbant, ignorare voluerunt, quàm inculpatæ ignorantiæ tribuendum eſt, Deum enim negabant reclamante in contrarium conſcientiâ, ideoque hanc

bla-

blaſphemiam licèt corde conciperent, pudebat tamen ore proferre: unde Pſalm. 13. v. 1. dicitur: *Dixit inſipiens in corde ſuo: non eſt Deus*. Super quæ D. Aug. in dictum Pſalm. (& in Pſ. 52.) *Nec ipſi*, inquit, *ſacrilegi, & deteſtandi quidam Philoſophi, qui perverſa, & falſa de Deo ſentiunt, auſi ſunt dicere: non eſt Deus. Ideò ergo dixit in corde ſuo, quia nemo hoc audet dicere, etiamſi auſus fuerit cogitare*.

Obiicies 2. Puer educatus in ſylvis poſtquam adeptus eſt uſum rationis indiget aliquo temporis intervallo, ut ex creaturis concludat exiſtentiam Dei: ergo illam pro ſaltem brevi tempore invincibiliter, & inculpatè ignorabit.

XIX. Confirmatur. Quia illi puero, cum diſcurrere incipiet, occurrent ſtatim dubia, & pravæ educationis præjudicia, quâ nihil unquam fortè audivit de Deo, imò oppoſitum. Sed ejuſmodi dubia, ac præjudicia, puer ille, præcipuè ſi hebes ſit ingenio, uni-co momento expugnare non poterit: ergo &c.

XX. Reſp. In opinione illorum, qui putant, puerum pervenientem ad uſum rationis ſolummodò teneri cognoſcere Deum confusè, quatenus continetur ſub obiecto beatitudinis, non verò diſtinctè, & ſub ratione Deitatis, argumentum propoſitum nullam vim habere. Verùm quia hæc opinio videtur admittere ignorantiam invincibilem exiſtentiæ Dei in particulari, & ſub ratione Deitatis ſaltem pro illo inſtanti eſſe poſſibilem. Ideo

XXI. Aliter reſpondeo negando antecedens. Nam puer ille in eo primo inſtanti, quo deliberare incipit, ſi ſe ipſum interroget, & ad vocem conſcientiæ ſuæ attendat, ſentiet in ſe naſci cogitationem aliquam de Dei exiſtentia, quâ excitatus, ſi ad ea, quæ videt, reſpiciat, omnia Deum eorum factorem eſſe clamantia audiet. Adverto tamen primi inſtantis nomine non ſumi primum inſtans mathematicum, & indiviſibile, ſed inſtans temporis morale, quantum requiritur ad deliberandum, quod ex pluribus inſtantibus mathematicis conſtare poteſt, ideoque capax diſcurſus; quare etſi ſumto illo inſtanti initiativè, ad Dei notitiam perveniſſe puer ille nondum concipiatur, in toto tamen inſtanti conſummativo perveniſſe facilè dignoſcetur.

XXII. Ad confirmat. Dico nec dubia inſurgentia, nec præjudicia pravæ educationis impedire poſſe, quin conſummato illo inſtanti puer ille acquirere poſſit cognitionem exiſtentię, vel certam, vel ſaltem probabilem ſufficientem ad ignorantiam invincibilem excludendam.

XXIII. Obiicies 3. Et replicabis. Ergo ſaltem puer ille præfata dubia, & præjudicia propriis viribus vincere non poterit, ſed indigebit ſpeciali auxilio gratiæ, ergo ignorantiam de Deo tollere non poterit.

XXIV. Confirmatur. Quod propriis viribus ſuperari non poteſt, dicitur invincibile, & inculpatum; ſed plerique homines propriis viribus ſuperare non poſſunt ignorantiam Dei, ſed indigent auxilio gratiæ, ſine quo non poſſunt attendere ad ſpecies Deum ipſis repræſentantes, vel ad dependentiam creaturarum à Deo; maximè qui hebetes ingenio ſunt, vel vitam brutalem potiùs, quàm humanam degunt, ergo &c.

XXV. Urgetur magis. In ſententia quorumdam etiam Thomiſtarum; plures Barbari, ac Gentiles non recipiunt illud, alioquin neceſſarium, gratiæ auxilium; ergo iſtis ſaltem ignorantia Dei erit invincibilis, & inculpata.

XXVI. Reſp. conceſsâ primâ conſequen iâ, negando ſecundam. Adeſt enim cuique, maximè in primo iſtanti gratiæ auxilium, quo de Deo ignorantiam tollere, ac dubia, & præjudicia in contrarium vincere poſſit, ſi velit. Quod ſi non tollit, nec vincit, non eſt, quia gratia deſit, ſed quia ipſe gratiæ deeſt.

Digitized by Google

XXVII. Ad confirm. nego abſolutè majorem: alioquin invincibilis quoque, & inculpatus cenſendus eſſet deliberatus conſenſus, quem quis præberet concupiſcentiæ motibus, neque enim ſine gratiæ auxilio illi motus, maximè ſi vehementes ſint, ſuperari poſſunt, ut cum D. Tho. docent Theologi 1. 2. *q.* 109. Invincibile ergo ſic definiri debet: *Id, quod homo nec propriis viribus, neque auxiliis ordinariis gratiæ ſuperare poteſt.*

XXVIII. Cæterum data etiam majore neganda eſt minor: quia (ut docet D. Tho. 1. 2. *quæſt.* 109. *a.* 1. cui ſubſcribunt omnes Theologi) homo etiam in ſtatu naturæ lapſæ, licèt non poſſit omne opus bonum morale agere ſine gratia: poteſt omne verum naturale diviſivè cognoſcere, eo quòd intellectus ſpeculativus non tantam per peccatum originale debilitatem contraxerit, quantam voluntas. Quod ſi abſque gratia poteſt verum cognoſcere, multò magis poterit exiſtentiam Dei, cujus cognitio à natura eſt indita, & quæ adeo clarè in creaturis elucet. Ideoque nec prava educatio, nec vita ſenſui dedita mentis vim ita extenuare, aut obſcurare poſſunt, ne poſſit in actus ſaltem faciliimos erumpere, qualis eſt diſcurſus, quo ex effectu colligitur cauſa.

XXIX. Ad id, quod urgetur dico, quòd admiſsâ eâ opinione, ignorantia adhuc erit culpabilis, ſubtractio enim gratiæ erit illis voluntaria ſaltem in cauſa, nimirum in peccatis, & flagitiis, quorum barbari illi voluntariè rei facti ſunt. Eâdem pariter ratione, quamvis aliqui ob corruptos mores incapaces eſſent attentionis ad Dei ſibi innatam ideam, aut diſcurſus ex creaturis petiti, eorum tamen ignorantia non foret invincibilis, & inculpata: nam quamvis non eſſet voluntaria in ſe; eſſet tamen voluntaria in cauſa.

XXX. Obiicies 4. Juxta D. Thomam, & alios dantur Infideles negativè; illi nimirum, qui cum nihil unquam audierint de fide, inculpabilitèr fidem, & Evangelium ignorant; ergo ſimiliter dari poterunt Athei negativè, illi nempe, qui in ſylvis nutriti nil audierunt de exiſtentia Dei.

XXXI. Reſpondeo aſſignando diſparitatem. Nam ad vincendam ignorantiam veri Dei præter internum lumen, adeſt creaturarum magiſterium, quæ clarè ſuum authorem omnibus demonſtrant, ad quæ quiſque reſpicere poteſt, & ſi non reſpicit culpabilis eſt. At ad vincendam ignorantiam legis Evangelicæ naturalia non ſufficiunt, ſed requiruntur vires gratiæ, & prædicatio externa, quæ, ſi alicui deſint, infidelitas illi non eſt in culpa, & eſt Infidelis ſolum negativè.

XXXII. Dices. Detur Infidelis nutritus inter Atheos aſſiduè audiens non eſſe Deum: ſi iſte aliàs ſit rudis ingenii, & non habeat, qui illum edoceat exiſtentiam Dei, cur non erit invincibiliter Deum ignorans?

Reſpondeo hoc ideo eſſe, quia licèt illi deſit externum hominum magiſterium de exiſtentia Dei, adeſt tamen, & interius lumen aliquo modo ipſi Deum oſtendens, & inſuper magiſterium creaturarum ipſi Deum loquentium. Quod ſi ad eas audiendas non ſe convertit, ejus culpa eſt.

DUBIUM III.

An Deum eſſe ſit demonſtrabile.

§. I.

Deum eſſe non eſt demonſtrabile à priori.

I. De hoc agit S. Thomas hac *q.* 2. 1. *p. artic.* 2. ubi *in Corpore* ſupponit, *uod duplex eſt demonſtratio. Una, quæ eſt per cauſam, & dicitur propter quid: & hæc eſt per priora ſimpliciter. Alia eſt per effectum, & dicitur demonſtratio quia; & hæc eſt per ea, quæ ſunt priora quoad nos. Cum enim effectus aliquis nobis eſt manifeſtior,*

Digitized by Google

ſtior, quàm ſua cauſa, per effectum procedimus ad cognitionem cauſæ. Ex quolibet autem effectu poteſt demonſtrari propriam cauſam ejus eſſe, ſi tamen ejus effectus ſint magis noti quoad nos, quia cum effectus dependeant à cauſa, poſito effectu neceſſe eſt cauſam præexiſtere. Hæc D. Thom.

II. Dico ergo 1. Dei exiſtentia non eſt demonſtrabilis à priori. Probatur. Demonſtratio à priori eſt demonſtratio per cauſam, ſive realem, ſive virtualem, ſeu quæ ſit ratio, cur prædicatum conveniat ſubiecto. Sed Deum exiſtere non habet cauſam, neque realem, neque virtualem: ergo non eſt &c. Minor pro prima parte eſt evidens, non enim Dei exiſtentia habet cauſam efficientem, quia, cùm exiſtat à ſe, exiſtentiam ab alio non recipit. Non habet cauſam finalem, quia eſt propter ſe, non propter aliud, imò omnia ſunt propter ipſum. Nec habet cauſam materialem, aut formalem, quia, cum ſit ens ſimpliciſſimum, cujuſvis compoſitionis expers eſt.

Secunda verò pars probatur. Cauſa virtualis eſt medium, ſeu ratio connectens prædicatum cum ſubiecto, quæ in demonſtratione à priori ſolet eſſe definitio ſubiecti. Atqui nulla eſt ratio, nullum medium, quo exiſtentia conveniat, & connectatur cum Deo: includitur enim eſſentialitèr, & immediatè in definitione Dei, ergo &c. Accedit, quod quidquid demonſtratur à priori de aliquo debet eſſe extra conceptum formalem metaphyſicum illius, de quo demonſtratur: ſed exiſtentia eſt intra conceptum intimum eſſentiæ divinæ, quæ nequit ullo modo concipi ſine exiſtentia, ergo &c.

III. Hinc ſequentes diſcurſus. *Deus eſt ens à ſe, ſed ens à ſe neceſſariò exiſtit: ergo Deus neceſſariò exiſtit:* & iſte *eſſentia Dei dicit ens, quo nullum perfectius cogitari poteſt: atqui ens hujuſmodi includit exiſtentiam alioquin excogitari poſſet aliquod ens perfectius:* ergo &c. Non ſunt demonſtrativi, neque aſſignant rationem à priori, cur Deo conveniat exiſtentia, ſed tantùm explicativi eſſentiæ Dei; unde hæc illatio *Deus eſt ens à ſe: ergo exiſtit* ſe habet, ut hæc alia *Petrus eſt homo, ergo eſt animal mente præditum*. Et iſta *Deus eſt ens, quo nullum perfectius cogitari poteſt: ergo exiſtit*, eadem ac iſta eſt *homo eſt animal, quo inter animalia perfectius cogitari nequit, ergo eſt animal mente præditum: alioquin excogitari poſſet aliquod animal perfectius.*

§. II.

Deum eſſe eſt demonſtrabile à poſteriori.

IV. Dico 2. Deum eſſe quoad nos demonſtrabile eſt per effectus nobis notos. Ita D. Thom. hic. Qui eam probat ex laudato Pauli teſtimonio Rom. 1. *Inviſibilia Dei per ea, quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur....* Sed quia aliqui putant hoc non omnino convincere, ſicut nec iſtud. Sap. 13. v. 5. *A magnitudine ſpeciei, & creaturæ cognoſcibiliter poterit creator horum videri*. Quia in ſcriptura conſpici, & videri dicuntur, quæ intellectu cognoſcuntur, ſive notitiâ evidenti, ſive obſcurâ, ſive certâ, ſive ſolùm probabili. Tum etiam quia ut gentes ſint inexcuſabiles, ſatis eſt ſi, etſi non certam, probabilem ſaltem, & conjecturalem cognitionem habeant de hoc quod Deus ſit. Quare quidquid ſit de probationibus à ſcriptura petitis.

V. Probo aſſertum hoc diſcurſu D. Thom. Cum effectus eſt nobis manifeſtior, quàm ſua cauſa, per effectum procedimus ad cognitionem cauſæ. & ex effectu demonſtramus propriam cauſam ejus eſſe: quia exiſtentia effectus cum exiſtentia ſuæ cauſæ connexionem. & dependentiam habet, ſed creaturæ. quæ ſunt effectus Dei, ſunt nobis magis notæ, & connexionem dependentiæ habent cum Deo, ita ut revera non exiſterent, ſi Deus non eſſet, qui eas produxiſſet; ergo ex creaturis

Digitized by Google

turis demonſtrativè procedimus ad probandum, Deum eſſe. Non quidem quale, & cujuſmodi, ſeu quid ſit eſſe Dei: hoc enim ex creaturis diſcere non poſſumus; Sed quod Deus ſit, nimirum quod aliqua vera exiſtentia Deo conveniat, quodque cum intellectus dicit *Deus eſt*. Verum dicit.

VI. Argues tamen primò; exiſtentia entis neceſſarii non poteſt demonſtrari per exiſtentiam entis contingentis, cum illud non poſſit non eſſe, iſtud verò poſſit non eſſe: ſed Deus eſt ens neceſſarium, & creaturæ ſunt contingentes, ergo exiſtentia &c.

Reſp. diſt. majorem, ſi entis contingentis exiſtentia non habeat neceſſariam connexionem dependentiæ cum ente neceſſario, conc. maj. ſi habeat nego maj. Creaturarum autem exiſtentia talem connexionem habet, & dependentiam ab exiſtentia Dei, ut ſi iſte non exiſteret, illæ non eſſent, & creatura, ex ſuppoſitione quod exiſtat, impoſſibile eſt, quòd à Deo dependens non ſit.

VII. Argues ſecundò. Cauſa non poteſt demonſtrari, niſi per effectum ei proportionatum, ſed creaturæ, utpote finitæ, non ſunt effectus proportionatus Deo, quia finiti ad infinitum nulla eſt proportio: ergo &c.

VIII. Reſp. cum D. Thoma hic ad tertium, quod eſto per effectus improportionatos cognoſcere non poſſimus perfectè cauſam, ſeu quid ſit cauſa, cognoſcere tamen poſſumus an eſt cauſæ, ſeu cauſam eſſe, & hoc intendimus in præſenti.

IX. Argues tertiò Deum eſſe eſt articulus fidei, ſed ea, quæ ſunt fidei non ſunt demonſtrabilia, quia demonſtratio parit evidentiam; fides autem eſt de non apparentibus, teſte Paulo *Hebr.* 11. *v.* 1. ergo &c. Major patet ex eodem Paulo *ibidem v.* 8. *Credere enim oportet accedentem ad Deum, quia eſt.*

X. Reſp. cum D. Thoma hìc ad primum. *Quòd Deum eſſe, & alia hujuſmodi, quæ per rationem naturalem nota poſſunt eſſe de Deo, ut dicitur Roman.* 1. *non ſunt articuli fidei, ſed præambula ad Articulos. Sic enim fides præſupponit cognitionem naturalem, ſicut gratia naturam, & perfectio perfectibile, nihil tamen prohibet, illud, quod ſecundùm ſe eſt demonſtrabile, & ſcibile, ab aliquo accipi, ut credibile, qui demonſtrationem non capit:* hæc D. Thom. Sic qui cognoſcit, Deum eſſe, per demonſtrationem, ut Philoſophus, non habet de hac veritate actu fidem, niſi in affectu, & præparatione animi, quia impeditur ab evidentia: e contra autem Idiotæ fides, qui Deum eſſe credit per fidem, non habet de hac veritate evidentiam, neque ſcientiam. Quod verò S. Paulus dicit accedentem ad Deum oportere, ut credat, quia eſt, non debet intelligi de exiſtentia Dei, ut author naturæ eſt, quo pacto cognoſci poteſt per demonſtrationem; ſed de Deo, ut Authore gratiæ, & gloriæ, quomodo ſolùm per fidem cognoſci poteſt, & non per demonſtrationem à nobis viatoribus: quare D. Paulus poſtquam dixit credere oportet quia Deus eſt, ſubdit: *& inquirentibus ſe remunerator ſit:* Deus autem, ut remunerator per gloriam, eſt Deus quæſitus, non per naturam, ſed per gratiam, quo pacto inquiri nequit niſi per fidem. Loquitur enim ibi de fide Patriarcharum.

DUBIUM IV.

Expenduntur demonſtrationes, quibus probatur Deum eſse.

§. I.

De Atheiſmo.

I. ATheus nomen eſt Græcum ab *A*, & *Theos*, quod idem eſt, ac *ſine Deo*. Contra Atheos ergo Deum eſſe prorſus negantes (ſi qui tamen ſunt, vel unquam revera fuerunt) agimus in præſenti. Dixi, ſi qui revera ſunt, vel fuerunt unquam.

Non

Digitized by Google

Non enim me latet, aliquos recenſeri, qui de exiſtentia Dei peſſimè locuti ſint, eamque exteriùs etiam negarint; ſed an ita ſecretò, ac mente ſpeculativè ſenſerint de re adeo manifeſta, non videtur mihi ſatis exploratum. Hinc inter Atheos numerantur Euhemerus, Miſſenius, Diogenes Phryx, Hippon, Theodorus, Cyreneus, & Diagoras Mezius ab Athenienſibus propterea expulſus, quòd Deum negaret, & Atheus eſſet; Dubitari tamen poſſet, an iſte & alii, accuſati ſint velut Athei, quia omnem Deum penitùs tollerent; an potiùs, quia de vulgaribus Diis malè ſentirent, & futilia Græcorum numina deriderent. Non latet etiam, quemdam Lucilium, natione Italum, poſt diſſeminatum per Gallias Atheiſmum, Tholoſæ captum, accuſatum, convictum pertinacem anno 1619. 9. Februarii Senatus Decreto vivum combuſtum fuiſſe. Neque præterit, noviſſimè Sylveſtrum Legni, Julium ejus filium, ſocioſque Romæ deprehenſos, ac de Atheiſmo convictos, poſt ſolemnem tantæ impietatis ejurationem perpetuo carceri damnatos fuiſſe anno 1719. 25. Januarii; ſed de his quoque dubitari poſſet, ne Deum negaverint, non quia Deum non eſſe revera arbitrati ſint: ſed ut Deo, quem nimium ſentiebant, ab eorum mente, & corde ſublato, liberiùs concupiſcentiis ſuis ſervire poſſent, ſimiles illis, de quibus Jobi 21. v. 14. *Dixerunt Deo, recede à nobis, & ſcientiam viarum tuarum nolumus.* Quorum inſaniam deridet S. Auguſtinus *lib. de vera religione cap.* 38. dum enim uni Deo ſe ſubdere refugiunt, tot ſibi confingunt Deos, quot ſunt cupiditates, quibus inſerviunt. *Nego* (inquit) *eſſe quemquam iſtorum, qui nihil colendum exiſtimant, qui non, aut carnalibus gaudiis ſubditus ſit, aut potentiam vanam foveat, aut aliquo ſpectaculo delectatus inſaniat. Ita neſcientes diligunt temporalia, ut inde beatitudinem expectent. His autem rebus, quibus quiſque beatus vult effici, ſerviat neceſſe eſt, velit, nolit.* Ita pulchrè, & ſubtilitèr S. Auguſtinus.

II. Verùm concedam, aliquos reverà mente Atheos extitiſſe, quos inter Ethiopum partem aliquam commemorat Diodorus lib. 3. & Acrothoitas narrat Simplicius in Epicteto, terrâ fuiſſe abſorptos, cùm omnem Dei cultum reſpuerent, quales etiam in novo Orbe nunc extare tradunt gentes, quarum tanta barbaries eſt, ut feras potiùs diceres, quam homines. Totus tamen Mundus quovis tempore, & in eo cultioris ingenii homines adeo in Dei exiſtentia aſſerenda conſpirarunt, ut cum D. Auguſtino ſerm. 10. de Verbis Domini, nunc ſerm. 69. dicere poſſim. *Pauci inveniuntur tanta impietatis, ut impleatur in eis, quod ſcriptum eſt:* Dixit ſtultus in corde ſuo, non eſt Deus. *Inſania iſta paucorum eſt: Sicut enim magna pietas paucorum eſt; ita & magna impietas nihilominus paucorum eſt.* Contra hos ergo demonſtrabimus Deum admittendum eſſe: & primò quidem demonſtrationibus, quas D. Th. hìc *art.* 3. producit. Deinde aliis quoque.

§. II.

Prima D. Thomæ demonſtratio ex motu.

III. PRima ratio, & manifeſtior via ad expugnandos Atheos ſumitur ex parte motus. Experimur enim, & nos, & ea, quæ ſunt circa nos continuæ mutationi eſſe obnoxia, ſive ſecundùm ſubſtantiam, aliqua enim modò ſunt, quæ priùs non erant, & poſtea non erunt; ſive ſecundum locum, ſive ſecundùm qualitates, aliqua enim modò ſunt hìc, modò alibi, modò calida, modò frigida &c. Quapropter ex iſto notiſſimo phenomeno neceſſariam eſſe exiſtentiam unius primi motoris omnino immobilis, nempe Dei, evincitur ſic. Experimur, nos, & ea, quæ ſunt circa nos continuis mutationibus eſſe obnoxia; ergo dari debet in natura fons, & principium omnium mutationum

ab

ab illis diſtinctum: ſed fons eſt origo omnium mutationum debet eſſe unus primus Motor omnino immobilis: ergo debet dari primus Motor omninò immobilis. Antecedens experientia nimis ſuadet. Prima conſequentia probatur; nihil poteſt à ſe ipſo moveri, ſed omne, quod movetur ab alio movetur, unde videmus, motum, qui eſt in baculo, cauſari à manu, motus manus ab Anima.

Minor verò ſubſumta dicit duo: primum, debere eſſe unum movens. Secundum, quod iſtud debet eſſe prorſus immobile. Prima ergo pars probatur. In moventibus, & motis per ſe ſubordinatis non poteſt procedi in infinitum, ultimum enim movens non movet, niſi moveat intermedium, intermedium autem, niſi moveat primum. Quare ſi non daretur movens primum, non daretur movens intermedium, neque ultimum. Si enim anima non moveret manum, nec manus moveret baculum, nec baculus lapidem, & exemplo etiam triremis explicatur. Hæc enim ſi in mari movetur, movetur à remis, remi à remigibus, remiges à Comite, comes à duce, Dux à maris Præfecto, iſte à Rege. Quamobrem ſi rex primus non moveret, nec cæteri moverent, nec triremis moveretur.

Secunda etiam pars probatur. Si primus motor non eſſet immobilis, deberet ab alio moveri. Impoſſibile enim eſt, quod ſecundùm idem, & eodem modo, aliquod ſit movens, & motum, vel quod moveat ſe ipſum, quia movet inquantum eſt in actu, movetur autem inquantum eſt in potentia ad id, quod movetur, ſicut ignis, qui eſt actu calidus, dum movet, & alterat lignum facit, ut iſtud, quod eſt calidum in potentia, fiat calidum actu: impoſſibile eſt autem, quod idem ſecundùm idem ſimul ſit actu, & in potentia calidum. At ſi primus Motor deberet ab alio moveri non eſſet primus, ſed abeundum eſſet in infinitum; & ſic nullum eſſet movens, quia, ut dicebam, ſecundum non movet, niſi moveatur à primo: ergo &c.

IV. Nota tamen D. Thomam cautè dixiſſe, idem *ſecundum idem*, *& eodem modo* non poſſe ſimul eſſe in actu, & in potentia: nam idem ſecundum unum, & uno modo poteſt eſſe in actu, & ſecundum aliud, & alio modo poteſt eſſe in potentia. Sic intellectus eſt in actu primo, ſeu virtuali per ſpeciem intelligibilem, eſt autem in potentia formali ad intellectionem, ad quam reduci non poteſt, niſi à cognoſcente, qui ſemper eſt in actu, ſcilicet Deus, maximè loquendo de prima intellectione.

V. Hæc ratio licèt exemplificetur in moventibus, & motis motu corporeo, & phyſico, valet tamen etiam in moventibus, & motis motu ſpirituali, & metaphyſico: hæc enim ſi moventur, ab alio moveri debent, nec in iſtis dari poteſt proceſſus in infinitum: adeòque efficax viſa eſt Ariſtoteli, ut lib. 8. Phyſic. *c.* 10. *text.* 78. &c. quod teſtatur etiam Toletus *Lib.* 8. *Phyſic. c.* 6. & Conimbricenſes *Lib.* 8. *Phyſic. q.* 3. *c.* 10., ut ex hac ratione probarit dandum eſſe primum ens, primumque motorem, qui ſit incorporeus, magnitudinis expers, & infinitus, non duratione ſolum, ſed & virtute. Conferri poteſt, quod S. Thomas hic dicit cum iis, quæ habet *opuſc.* 2. *c.* 3. & 1. *contrag. c.* 13.

VI. Dices tamen primò hoc axioma omne, quod movetur ab alio movetur non habere in ſchola Molinæ ullum robur: in qua docentur ejus ſectatores humanam voluntatem ſe ipſam nullo alio Motore primo movere ad actus ſibi proprios.

VII. Sed contra. Quidquid enim ſit de Molinæ doctrina, de qua alibi, S. Thomas quæſt. 3. de malo art. 2. docet, quod *cum aliquid ſe ipſum movet, non excluditur, quin ab alio moveatur, ſcilicet Deo, qui eſt prima cauſa movens cauſas, & naturales, & voluntarias*, quod docet etiam 1. *p. q.* 83. *a.* 1. *ad* 3. & *q.* 105. *art.* 4. Secundò in tantum Molina dicit, voluntatem humanam

manam movere ſe ipſam non à Deo, quia putat, eam non eſſe in potentia per indifferentiam paſſivam ad ſuas actiones liberas, ſed in actu per indifferentiam purè activam; ergo Molina non deſtruit principium illud, omne, quod movetur ab alio movetur. Tertiò dato, ut vult Molina, quod voluntas actu à Deo non moveatur; virtute tamen à Deo movetur, à quo accepit potentiam ad ſe movendum; ergo & ipſe admittit primum Motorem dantem, eſto non motum actualem, ſaltem potentiam ad ſe movendum. Tandem eſto ad actus, qui ſunt circa media, voluntatem à Deo immediatè moveri neget Molina: ad primam tamen volitionem, quæ eſt circa finem ipſum, quæ indeliberata eſt, & non libera, à Deo moveri actu, ut puto, non negabit; ergo ſaltem quoad hunc actum axioma præfatum valebit.

VIII. Dices ſecundò pro Atheis: dari quidem harum mutationum fontem, & principium; ſed hoc non eſſe Deum: eſſe autem, vel naturam, ut voluit Plinius; aut elementa, ut Empedocles; aut atomos infinitas ab æterno, & in æternum innatâ ſibi vi agitatas.

IX. Sed hoc effugium facilè excluditur. In primis enim hoc nomen *Natura* vacuum, & inane eſt, niſi referatur ad aliquam naturam moventem immotam. Elementa verò, cum mutationi obnoxia ſint, egent ulteriori principio ſuæ mutationis extra ſe, quod oſtendimus, tandem debere eſſe immobile. Atomi verò etſi darentur, ad ſummum dici poſſent primum principium materiale, ut ſunt parietes reſpectu domus: ergo præter illas debet quæri cauſa efficiens illas movens, ſicut in domo præter lapides, qui moventur, quæri debet artifex, qui illos moveat.

Dicere autem, in atomis duo eſſe, molem, & gravitatem: molem eſſe quidem materiam quaſi patientem, gravitatem verò eſſe primum, æternumque hujus materiæ principium.

Nihil juvat: nam etiam dato, gravitatem eſſe principium movens, non poterit eſſe primum, quod movet; nam ulterius quæri debebit, quis dederit illis atomis actu gravitatem. Dicent eam habere à ſe, utpote æternas, & increatas. At dicam ego. Ita ne hæc minima, quæ vix ſunt, ea, quæ Dei propria ſunt, poſſidebunt: imò id, quod nec toti univerſo convenit, hiſce imperfectioribus univerſi partibus conveniet? hoc eſt infinitos ponere Deos, ut unum Deum tollant. Rurſus quid per totam æternitatem atomi iſtæ fecerunt? quis primum illis indidit motum? quis languentes excitavit? quis tam pulchrè ordinavit? experientia nos docet, res inanimes unitas tantùm motus naturalis per ſe eſſe capaces: quis ergo motus tam varios atomis impreſſit?

§. III.

Secunda ratio ab efficientia.

X. Via efficientiæ probat ſecundò D. Thom. Deum eſſe, ſic. Manifeſtum eſt, in rerum natura quædam effici, cùm antea non eſſent: nos enim non ſemper fuimus; ſed ab aliquo præexiſtente accepimus eſſe, quod & de aliis vilioribus jure credendum eſt: nihil autem accepit eſſe à ſe ipſo, aliàs fuiſſet antequam eſſet, ergo ab alio. De iſto: quæro: accepitne eſſe ab alio, vel habet à ſe? ſi à ſe: ergo datur prima cauſa non cauſata, quæ eſt Deus. Si ab alio: de hoc alio idem quæram, & ſic in infinitum. Si verò hoc dicitur: iterum quæro: In iſta ſerie infinita cauſarum, aliqua eſt vim habens producendi ſe ipſam, vel non? primum non dicitur ab Atheo. Si ergo dicit ſecundum: quælibet earum alio indigebit, ut ſit: hoc autem erit prima cauſa.

XI. Communis Atheorum reſponſio eſt, omnia quidem, quæ ſunt ſingulatìm, & diviſivè ſumta ab alio eſſe, v. g. Roboamum eſſe à Salomone, Salo-

Digitized by Google

Salomonem à Davide, Davidem à Jeſſe, & ſic in infinitum procedendo. Cæterum omnia collectivè, puta totum genus humanum à nullo alio extra ſe eſſe cauſatum, quia nunquam cæpit. Sicut enim ſi circulationes ponerentur in infinitum, poſt quamcumque foret alia, non poſt omnes, & poſitis infinitis generationibus ab æterno, ante quamcumque foret alia, non ante omnem: ſic quodlibet quidem in particulari eſt ab alio factum, non verò omnia collectivè, & ſimul ſumta: non enim valet à diviſivo ad collectivum. Nam in republica quilibet in particulari ſubditus eſt, omnes tamen ſimul Reſpublica ſunt, & nulli ſubjecti.

XII. Hoc eſt maximum Atheorum ratiocinium, quod tamen multis modis inane demonſtratur. Primò enim. Hæc ipſorum ſuppoſitio, quod collectio omnium rerum ſit infinita, & æterna, cui nititur fundamento? Cur infinitorum hominum, & rerum, quæ per totam æternitatem ante Adamum fuerunt, nulla nec vola, nec veſtigium, nec memoria? Si ſenſu ipſo videmus, quamlibet rem in particulari, quæ eſt unum ex membris collectionem hanc componentibus, ſic modo eſſe, ut non ſemper fuerit, cur de tota rerum collectione idem dicendum non eſt? Secundò dato, quod illa collectio infinita ſit, & æterna; unde probatur, quod ſit à ſe, quum ſingula membra illam conſtituentia ab alio ſint? Certè illa collectio non eſt aliqua res exiſtens extra membra ſua, quaſi ab illis diſtincta, & cauſans ea: imò nil aliud eſt, quàm omnia ipſa membra ſimul ſumta, ſicut acervus lapidum non eſt quid diſtinctum à lapidibus ipſum componentibus, ſed eſt omnes lapides ſimul ſumti, neque acervus componit, aut conſtituit, & cauſat lapides; ſed potius lapides componunt, conſtituunt, & cauſant acervum. Si ergo ex quo quilibet lapidum, qui acervum componunt, ab aliquo extra ſe adunatus eſt, rectè colligitur, totum illum lapidum acervum ab aliquo adunatum fuiſſe, etſi acervus ille ex infinitis lapidibus eſſet coacervatus: cur ex quo quilibet homo ab alio ſit, non idem dicemus de tota collectione, etſi infinita?

XIII. Nec recurſus ad ſeriem infinitam rerum quidquam valet. Nam ſi quælibet ab alia eſt, ut Petrus à Patre, Pater ab avo, Avus ab Atavo, etiamſi in infinitum fiat recurſus, quis ſanæ mentis non colliget totam illam hominum collectionem ab alio eſſe? Qui videt ſingulos lapides componentes domum ab aliquo poſitos, arguit, etiam totam illam lapidum collectionem ab aliquo, etſi infinita foret, poſitam eſſe, & qui ſingulas cytharæ partes videt non à ſe coalitas, ſed operâ alterius, non poterit inde inferre, niſi, quòd cythara ex illis conſurgens ab alio facta ſit. Primo exemplo utitur ad demonſtrandum Deum eſſe Euſebius *lib. 7. Præparat. Evangel. c. 2.* Secundò Gregorius Nazianz. *orat. 2. de Theolog.* Alio quoque exemplo res explicari poteſt. Fingamus catenam ingentem conſtantem multis annulis in aere appenſis; ſi, ut ſuſtentetur, ultimus eorum indiget ſuperiori, cui annectitur, & alius alio, niſi deveniamus ad unum, qui validâ manu extra collectionem illam annulorum ſuſtentet, tota illa collectio ruet. Imò etſi infiniti annuli forent, ſi omnes, & ſinguli labiles forent, infiniti deciderent. Et ratio eſt. Quia tota illa collectio annulorum ejuſdem rationis eſt, ac ſingula, nihilque illis addit, niſi numerum: ſed numerus eorum effectuum non excludit cauſam: imò tantò magis multiplicatur neceſſitas cauſæ, quantò multiplicantur effectus; ergo ſi fingantur homines plures, ac plures uſque in infinitum, ſuppoſito quòd quilibet in particulari indigeat alio ut ſit, oportebit aſſignare principium, quod toti illi hominum ſeriei,, etſi infinitæ, principium dederit, niſi dicamus, aliquem ex illis

ſibi

Digitized by Google

ſibi ipſi principium eſſendi fuiſſe.

XIV. Minus autem Atheis proſunt exempla adducta. Nam eſto in collectione infinita non valeat conſequentia à ſingulis ad totum in prædicatis ſumtis à quantitate continua, vel diſcreta, aut illi ſimilibus, ut patet in exemplis adductis, valet tamen in omnibus aliis, præſertim ſi ſint prædicata quidditativa, & eſſentialia: ſed impotentia eſſendi à ſe ipſo, & indigentia recipiendi eſſe ab alio in re contingenter exiſtente eſt prædicatum quidditativum, & eſſentiale conveniens illi abſolutè ex limitatione, & imperfectione ſuæ eſſentiæ, quæ ſibi non eſt ſufficiens fundamentum, ut exiſtat, ergo convenire debet non ſolùm ſingulis diſtributivè, ſed & toti collectioni. Major probatur hâc Inductione: quia enim ſinguli homines ſunt rationales, verum eſt dicere, totam hominum collectionem, ſeu univerſum genus humanum, etſi infinitis conſtans hominibus eſſe rationale. Quia ſingulæ partes componentes acervum ſunt lapides, acervus ille lapideus eſſe debet, non ferreus, aut aureus, quia, ut dicebam, collectio nil aliud addit ſupra ſingulas partes, niſi numerum, aut quantitatem aliquam, vel ſucceſſivam, vel permanentem, vel diſcretam: ergo licèt in iis, quæ quantitatem important, non liceat argumentari à ſingulis ad collectionem, licebit tamen in reliquis, maximè ſi eſſentialia, & quidditativa ſint.

XV. Efficaciam hujus rationis ad oculum demonſtrat S. Jo. Chryſoſtomus in Pſalm. 13. ubi Atheum ſic perſtringit. *Non eſt fundamentum: & quomodo ſtat ædificium? Non eſt carina: & quomodo conſiſtit navigium? Non eſt fabricator navis: & quomodo navis compacta eſt? Non eſt ædificator: & quomodo domus facta eſt? Non eſt architectus: & quis Urbem condidit? Non eſt agricola: & quomodo agri tulere manipulos? Non eſt muſicus: & quomodo in Mundi lyra apparet concentus? Non eſt qui provideat: & quomodo per omnia pervadit Providentia? Non eſt auriga: & quomodo elementorum quatuor currus agitur? Non eſt ſtatuarius: & quomodo homines veluti quadam ſtatua in Mundo facti ſunt? Non eſt fornicis conſtructor: & quis tibi Cœli fornicem conſtruxit? Non eſt aurifex: & quis veluti diſcum aureum tanquam in menſa Solem in Cœlo poſuit? Non eſt qui ferat lampadem: & quis tibi velut lampadem argenteam dedit Lunam in nocte?.... Non eſt opifex: & quomodo pulchritudo creaturarum teſtatur creatorem?.... Quæcumque in Mundo ſunt, aguntur, & exercentur, habent qui eis præſit, eaque perficiat: & Solus Mundus non habet, qui eum adminiſtret?* Ita eleganter Chryſoſtomus.

§. IV.

Duæ aliæ D. Thomæ rationes.

XVI. TErtia via quâ D. Th. probat, Deum eſſe, ex poſſibili, & neceſſario ſumta eſt: tali pacto. Dantur in Mundo entia, quæ ex ſua natura poſſibilia ſunt eſſe, & non eſſe; ergo dari debet aliquod ens neceſſarium, de cujus natura ſit neceſſariò exiſtere; & hoc erit Deus. Antecedens experientiâ patet. Conſequentia verò prob. Si omne ens eſſet contingens, ſeu poſſibile eſſe, & non eſſe, nullum planè ens de facto eſſet; quia ea, quæ ex ſe, & ſuaptè naturâ ſolum habent poſſibilitatem ad exiſtendum, non poſſunt de facto exiſtere, niſi per aliquod ens neceſſarium, cui per ſe, & ex natura ſua conveniat exiſtere; quod exemplis, & ratione demonſtro. Ratione quidem: nam quæ ex natura ſua ſolùm habent poſſibilitatem ad aliquid, non poſſunt illud habere niſi per cauſam, quæ actum illum, vel formaliter, vel eminenter contineat; vel ergo hunc actum continet neceſſariò, per ſe, & ex natura ſua, & ſic habeo intentum; vel hunc actum non habet ex ſe, ſed ab alio, & ſic dabitur proceſſus in infi-

nitum. Exemplis verò. Quia enim aer ex natura ſua eſt ſolùm in potentia ad lucem, non poteſt fieri actu lucidus, niſi lucem accipiat tandem à Sole, vel alio, cui per ſe lux conveniat. Quia aqua ex natura ſua ſolùm eſt in potentia ad calorem, non poteſt fieri actu calida, niſi tandem accipiat calorem ab igne, qui eſt per ſe calidus.

Si fortè reſpondeatur primò, quodlibet contingens in particulari indigere quidem alio, ut exiſtat, non tamen totam eorum collectionem; jam hoc effugium ſatis præcluſum eſt ſupra.

XVII. Si reſpondeatur ſecundò, non oportere recurrere ad aliquod ens, cui conveniat neceſſariò exiſtere, quia licèt exiſtere conveniat contingenter rei contingenti; poſito tamen, quod res contingens exiſtat, poterit communicare eſſe alteri contingenti; ſicut licèt calor ſolùm contingenter conveniat aquæ; tamen eo ipſo, quòd aqua ſit calida poterit aliud corpus calefacere.

XVIII. Sed contra. Licèt verum ſit, quòd poſito, rem contingentem de facto exiſtere, poſſit communicare alteri exiſtentiam, tamen non poteſt fieri ſuppoſitio, quod ens contingenter exiſtens de facto exiſtat, niſi tandem exiſtentiam accipiat ab eo, quod per ſe, & neceſſariò exiſtens ſit. Quod oſtendo eodem exemplo aquæ: eſtò enim aqua, poſito quòd ſit calida poſſit alteri calorem tribuere, non tamen fieri poteſt ſuppoſitio, quod aqua ſit calida, niſi detur aliquid per ſe calidum, à quo radicaliter cauſetur calor in aqua: ergo &c.

XIX. Quarta via procedit ex variis gradibus bonitatis, & perfectionis, qui in rebus inveniuntur; Sic. Videmus in hoc Mundo aliqua eſſentia magis, vel minus bona, & perfecta aliis; ſed magis, vel minus dicuntur de diverſis, ſecundùm quod appropinquant ad aliquid, quod eſt maximè tale, ſicut magis calidum dicitur id, quod magis appropinquat maximè calido: ergo dari debet in natura aliquod ens maximum, & maximum bonum. Sed quod eſt maximè tale in aliquo genere, eſt cauſa omnium, quæ ſunt illius generis, ſicut ignis, qui eſt maximè calidus, eſt cauſa omnium calidorum: ergo eſt aliquid, quod eſt cauſa eſſe, & bonitatis, & cujuslibet perfectionis, & hoc dicimus Deum.

XX. Dices tamen primò. Si unum contrariorum fuerit infinitum, totaliter deſtruetur aliud: ergo ſi daretur ens maximè, & infinitè bonum, nullum malum eſſet in Mundo: ſed malum invenitur in Mundo: ergo non datur hoc ens maximè, & infinitè bonum.

XXI. Reſpondeo diſt. ant. Si illud contrarium agat neceſſariò: tranſeat ant. ſi agat liberè, & voluntariè nego antec. & conſequentiam. Cauſa ergo, quæ agit naturaliter, & neceſſariò, tantum agit, quantum poteſt: quare, ſi fuerit infinitæ virtutis, & efficaciæ, omnino deſtruet quidquid ſibi oppoſitum erit: unde ſi daretur infinitus ignis deſtrueret omne frigus, & ſi Sol molis eſſet infinitæ, omnia prorſus loca illuminaret, & ex ipſis omnes tenebras expelleret. Sed cauſa, quæ voluntariè, & liberè operatur, non agit quantum poteſt, ſed quantum vult. Cùm ergo Deus ſit agens maximè voluntarium, & liberum, ſequitur, quòd bonitatem ſuam communicet creaturis, quantum ipſi placet, & videt expedire, & ſic in creaturis aliquid boni producit, ſed permittit etiam aliquid mali, ex quo ſumit occaſionem boni. Hanc ſolutionem indicat S. Thomas hoc *art.* 3. *ad* 1. ubi ad ſimile argumentum ſic reſpondet *Ad primum dicendum, quòd ſicut dicit Auguſtinus in Enchirid. c.* 11. Deus, cùm ſit ſummè bonus, nullo modo ſineret aliquid mali eſſe in operibus ſuis; niſi eſſet adeò omnipotens, & bonus, ut benè faceret etiam de malo. *Hoc ergo ad infinitam Dei bonitatem*

Digitized by Google

tatem pertinet , ut eſſe permittat mala, & ex eis eliciat bona.

XXII. Nihilominùs dato , quòd Deus neceſſariò ageret , & non liberè, adhuc non deſtrueret omne malum: Quare reſponderi poteſt diſtinguendo aliter antecedens ex Cajetano: unum contrariorum ſi fuerit infinitum totaliter deſtruet alterum formaliter , & in proprio ſuo ſubiecto: concedo ant. effectivè, & in aliis ſubiectis: ſub diſtinguo: ſi fuerit cauſa univoca: tranſeat, ſi cauſa fuerit æquivoca: nego antecedens. Ratio ergo formalis in aliquo ſubiecto poſita , ſi fuerit in ſummo, ab eo totaliter excludit ſuum oppoſitum. Sic calor, qui formaliter in ſummo eſt in igne , omne frigus ab igne prorſus excludit, & ſic ratio infinitæ bonitatis , quæ formaliter in Deo tanquam in proprio ſubiecto reſidet, excludit ab eo omnem penitùs rationem mali. Sed quando illa ratio formaliter reſidens in ſubiecto proprio ſeſe effectivè communicat alienis ſubiectis; tunc vel hoc facit per modum cauſæ univocæ, nimirum ejuſdem rationis, & ordinis : & ſic totum ſuum oppoſitum deſtruit etiam effectivè, & in aliis ſubiectis , dummodo ea diſpoſita inveniat, ſic ignis ſi inveniat lignum benè diſpoſitum, communicat illi totam plenitudinem caloris, quam habet in ſe, expellendo ab eo omne frigus, imò illud etiam convertendo in ignem. Sed ſi cauſa fuerit æquivoca, & alterius ordinis, itaut non poſſint effectus totam ſuam perfectionem acquirere, ſed ex parte tantùm , tunc non poteſt totum oppoſitum ab aliis expellere , ſed plus , vel minus ſecundùm gradum, quo perfectionem participant . Cum itaque Deus ſit æquivoca , ac diverſi, aliiorumque ordinis cauſa , & quamvis neceſſariò ageret, non poſſet infinitam ſuam bonitatem cum tota plenitudine, quæ in ipſo eſt, alteri Deo communicare, & effectus, qui ab illo procedunt, ſint illius infinitæ bonitatis tantùm participationes, hinc eſt quòd in eis de facto non deſtruit, nec, quamvis neceſſariò ageret, deſtrueret in eis omnem rationem imperfectionis , & mali, ſed plus, vel minus juxta majorem , vel minorem ſuæ bonitatis participationem .

XXIII. Dices ſecundò. Sicut in rebus invenitur magis, & minus bonum, ita in rebus invenitur magis, vel minus malum , ſed ex hoc non arguitur eſſe maximum, & ſummum malum, quod ſit cauſa omnis mali, ergo neque ex primo arguitur, eſſe unum maximum , & ſummum bonum, quod ſit cauſa omnis boni.

XXIV. Reſpondeo , repugnare aliquid eſſe, & ſummum malum eſſe, ſeu per eſſentiam malum. Si enim eſt, ens eſt , & natura quædam; Si ens eſt, bonum eſt , quia omne ens in quantùm ens, eſt bonum, neque aliquid dicitur malum, niſi quia privatur aliqua entitate, & perfectione. Neque aliquid dicitur magis, aut minus malum, quia magis , aut minus accedat , aut participet de ſummo malo, ſed quia magis, vel minus recedat , aut deficiat à ſummo bono. Quare ex quo detur ſummum bonum, quod ſit cauſa omnis boni , non ſequitur, debere dari ſummum malum, quod ſit cauſa omnis mali, ut ponebant Manichæi. Vide S. Thom. 1. *p. quaſt* 49. *art.* 3. rem hanc ex profeſſo agentem.

§. V.

Poſtrema D. Thomæ ratio.

XXV. Quinta via, quâ D. Thom. probat, Deum eſſe, ſumitur ex ratione ſupremi Gubernatoris. Videmus enim, ea etiam, quæ cognitione carent, operari propter finem , & fines ſuos per debita media conſequi, ſed quæ cognitione carent, non poſſunt finem intendere, illumque ſibi præfigere , quem non cognoſcunt; ergo oportet, ut à cauſa cognoſcente ad illum dirigantur, ſicut

ſicut ſagitta non poteſt ſcopum attingere, niſi dirigatur à ſagittante. Evidens ergo eſt, dari in Mundo unum ſupremum Gubernatorem, & rerum omnium Proviſorem. Hinc Cicero lib. 2. de Natura Deorum. *Quid* (inquit) *poteſt eſſe tam apertum, tamque perſpicuum, cum Cœlum ſuſpeximus, cæleſtiaque fuimus contemplati, quàm eſſe aliquod numen præſtantiſſimæ mentis, quo hæc regantur?* Et lib. de Divinitate ait: *Præſtantem aliquam æternam naturam, & eam ſuſpiciendam, adorandamque hominum generi pulchritudo Mundi, ordoque rerum cæleſtium cogit confiteri.*

XXVI. Dicit Atheus ex certa propenſione, quam res quælibet in ſe, & ex ſe habet, naſci, quòd ad finem ſuum dirigatur, quin agnoſcat aliquem ſupra ſe. Sic ignis ſuaptè naturâ calefacit, aqua madefacit. Mundi autem, & rerum coadunatio non aliquâ mente dirigente, ſed fortuitò, & caſu ita coaluit.

XXVII. Sed infeliciter primò. Nam hæc innata rerum inclinatio non excludit neceſſitatem intelligentiæ dirigentis, ut patet in cytharæ chordis, quæ licèt habeant inclinationem, & proportionem ad melodiam, egent tamen, mente eas aptante, & manu eas ordinatè pulſante. In litteris, quæ coordinatæ in libro formant dictiones, ad quas ſuaptè naturâ ſunt proportionatæ, dictiones tamen nunquàm formarent, niſi ab aliquo intelligente eſſent combinatæ. Si ergo qui audit cytharæ ſonum, ſtatim judicat, chordas ab aliquo tangi, qui legit librum, judicat, litteras ab aliquo fuiſſe diſpoſitas; cur ex Harmonico partium hujus Mundi concentu non arguet mentem eas miro ordine diſponentem, ac ſuæ Providentiæ manu eas tangentem, & legens in univerſi magno libro tot varias rerum combinationes, ſupremam intelligentiam eas ordinantem, non deprehendet?

XXVIII. Secundò. Inclinationes, quæ rebus inſunt ſæpè numero ſunt, nedum diverſæ, ſed invicem repugnantes, quæ ad unum finem conciliari quomodo poſſent, niſi adeſſet ſupremæ alicujus intelligentiæ, cui parerent, ordinatio, quæ pro univerſi totius bono cauſis inter ſe pugnantibus uteretur? Rursùs ſæpè contingit, rem contra particularem ſuam inclinationem operari, ut cum aqua, aut lapis ſurſum aſcendunt: quomodo autem contrariæ iſtæ inclinationes à natura prodirent, niſi aliquis eſſet, qui bono univerſali proſpiceret, & propter iſtum faceret, ut res quælibet propriam inclinationem illi poſthaberet?

XXIX. Hoc ratiocinium pulchrè urget S. Jo. Damaſcenus lib. 1. fidei orthodoxæ, c. 3. *Quì enim* (inquit) *fieri potuiſſet, ut inter ſe pugnantes naturæ ignis, inquam, & aquæ, aeris, & terræ ad unius Mundi conſtitutionem coirent, tenacique adeò nexu cohærerent, ut nullâ ratione ſolvi poſſint; niſi omnipotens vis aliqua ea compaginaſſet, ac perpetuò à diſſolutione ſervaret? Quid eſt, quod ea, quæ in Cœlo, & quæ in terra exiſtunt, quæque aerem pervagantur, & quæ in aquis degunt: imo etiam, quæ his anteriora ſunt, Cœlum, terram, & aerem, ignis quoque, & aquæ naturam certis diſpoſuit locis? à quonam commixta hæc ſunt, & diſtributa? Quid eſt, quod motum his impreſſit, perennique, nec ullâ re cohibito curſu ea verſat? An non eorum Artifex, qui rebus omnibus rationem; modumque, quo univerſum hoc agatur, & regatur indiderit? At quis horum artifex? An non is, qui ea condidit, inque rerum naturam produxit? Nec enim* (*to automàto*) *ſeu caſui eam vim, facultatemque tribuerimus. Sit enim ſanè caſus, quod extiterint: at cujus tandem erit ea diſpoſuiſſe? Verùm illud quoque, ſi lubet, concedamus: cujus verò erit eadem juxta illas, quibus primùm condita ſunt, leges conſervare, & cuſtodire? Alterius profectò, quàm caſus. Atque hoc quidnam aliud, niſi Deus?* hucuſque Damaſcenus.

Digitized by Google

XXX. Ad hæc: ignorare Athei non poſſunt, omnem cauſam per accidens, quales ſunt fortuna, & caſus, ſubnixam eſſe alicui cauſæ per ſe. Si enim ſacrorum cauſà in Templum iturus in creditorem inſperatò inciderim, fortunâ id factum dixero: ubi voluntas mea erit per ſe cauſa itionis in Templum, accidens autem cauſa occurſus cum creditore. Et ſi tegula de tecto decidens caput prætereuntis pertundat, caſum id vocamus: ubi lapſus quidem per accidens cauſa eſt vulneris: at gravitas lapidis eſt cauſa per ſe, cur deciderit, durities item, & acumen, cur vulneret. Quamobrem ſi caſui fortuito, atomorum concurſui hæc naturæ compages debetur, quam quæſo cauſam per ſe adſeret Atheus?

Si dixeris cum aliis, Mundum hunc non cæco caſu, cæcâ tamen neceſſitate extitiſſe.

XXXI. Quæro. Mundus, qui neceſſariò extitit, vel cæpit exiſtere, in tempore, vel ab æterno fuit. Si in tempore cæpit: ergo ab aliquo originem cæpit: eſto enim ex nihilo aliquid factum credamus; aliquid tamen factum ab nihilo abſurdiſſimum judicamus. Si verò dicant, ſemper Mundum fuiſſe: ergo infinitos habuimus majores, atque in generationibus dabitur infinita progreſſio. Quòd ſi ita erat: unde tam recens eorum memoria, qui artes quaſcumque invenerint? Unde item, quod illorum nec vola, nec veſtigium ſuperſit, qui infinitis ante nos fuere temporibus? Hoc argumentum tanti fecit Lucretius *lib.* 5. ut propterea cæpiſſe Mundum, & ſatis eſſe recentem fateretur.

§. VI.

Ultimò perſtringitur Atheus ex S. Auguſtino.

XXXII. Quia dari poteſt Atheus adeò pertinax, qui rationibus ſuperiùs expenſis nihil motus adhuc dicat. Quomodo fateri debeam dari Deum, tantumque mihi onus imponere, cùm Deum non videam? Sic cum Auguſtino in Pſalm. 73. primò redarguendus eſt. *Non video, inquis, quid crediturus ſum? Anima tua videtur, ut opinor: ſtulte, corpus tuum videtur: animam tuam quis videt? Cum ergo corpus tuum ſolum videatur; quare non ſepeliris? Et reſpondet (ſapit enim adhuc) quia vivo. Unde ſcis quia vivis, cujus animam non vides? Unde ſcio? (reſpondebis) quia loquor, quia ambulo, quia operor. Stulte, ex operibus corporis agnoſcis viventem: ex operibus creaturæ, non potes agnoſcere creatorem?*

XXXIII. Secundò Atheum urget idem S. Auguſtinus hoc diſcurſu. Nimirum: ſi Dei naturam capere tuo ingenio non potes, neque ad ejus notitiam tuo diſcurſu pervenire, credas ſaltem univerſo generi humano, eam revera dari ſibi atteſtanti: ſi enim tibi aliquid aſſerenti vis, ut credatur, cur non velis ipſe credere hominum Univerſitati clamanti Deum exiſtere, naturam nimirum aliquam omnem humanum captum ſuperantem? *Si quis ergo* (inquit lib. 2. de lib arbitr. c. 2.) *illorum inſipientium, de quibus ſcriptum eſt:* dixit inſipiens in corde ſuo non eſt Deus: *hoc tibi diceret, nec vellet tecum credere, quod credis, ſed cognoſcere, utrum vera crediderìs:* primùm ab eo quæres; an hoc ex pertinacia dicat, an verò bono animo, ſeu veritatis cognoſcendæ ſtudio. Quod ſi dixerit, ſe amore veritatis, & bono animo hoc quærere; ipſi repones. *Non credo.* Quod ſi atteſtetur, ita eſſe, & roget, ut ſibi credatur, tunc contra illum procedes ſic. *Cur vis, ut ego tibi credam, quod dicis, & ego non video, nimirum bonum animum tuum, qui toti Orbi atteſtanti Deum eſſe, credere non vis, quia non capis, quia non vides?* Ita ad hominem perſtringit Atheum Auguſtinus.

XXXIV Nulla ergo veritas eſt, quæ tam claris ſtabiliatur fundamentis, quàm exiſtentia Dei, licèt Atheus ab

ab oculis ſuis eam conetur avertere, ne ad Deum reduci cogatur. Dicere autem, Dei exiſtentiam eſſe oneroſam, intolerabilis Blaſphemia eſt. Suavis eſt Deus: quod ſi Atheo oneroſus videtur: hoc ideò evenit, quia impiorum mos eſt optimi, ac juſti Principis formidare poteſtatem. Sed hæc ſatis.

QUÆSTIO II.

De Unitate Dei.

Atheiſmo devicto, ad Polytheiſmum profligandum via ſatis aperta parata eſt. Semel enim ſtabilitâ Dei exiſtentiâ, ejus quoque Unitas ſtabilita eſt, quia idem eſt Deum eſſe, & eſſe unum. Quarè ſcitè Tertullianus lib. 1. contra Marcionem c. 3. *Deus ſi unus non eſt, non eſt*; Verùm cum multis modis à Dei unitate aberratum ſit, propterea ſtabilitâ Dei Unitate, referemus quoque ad eruditionem incipientium varios contra illam errores.

DUBIUM I.

An Deus neceſſariò debeat eſſe unus.

§. I.

Dei unitas aſſeritur.

I. Dico. Deus ita neceſſariò eſt unus, ut ſit omnino impoſſibile, eſſe plures Deos. Ita S. Thomas hac 1. *p. quæſt.* 11. *art.* 3., *&* *quæſt.* 103. *art.* 3., *primo contrag. c.* 42. & alibi. Hanc veritatem Deus in ſcripturis paſſim teſtatus eſt. Deuter. 6. v. 4. *Audi Iſrael Dominus Deus noſter, Dominus unus eſt*, c. 32. v. 39. *Videte, quòd ego ſim ſolus, & non ſit alius Deus præter me*. 1. Reg. c. 2. v. 2. *Neque enim eſt alius extra te*. Iſaiæ 37. v. 21. *Tu es Dominus ſolus*, c. 43. v. 11. *Ante me non eſt formatus Deus, & poſt me non erit*: & c. 44. v. 6. *Abſque me non eſt Deus*: & 1. Cor. 8. v. 4. *Nullus eſt Deus, niſi unus*: eſto autem Paulus ibi v. 5. ſubiiciat: *Siquidem ſunt Dii multi, & Domini multi*. Loquitur tamen de iis, qui dicuntur quidem Dii, ſed non ſunt: unde ait: *Nam etſi ſunt, qui dicuntur Dii, ſive in Cœlo, ſive in terra* (loquens de Diis Paganorum, quibus erant Dii in Cœlo, Dii in Terra, Dii in Mari, Dii in Inferis) *nobis tamen unus Deus*.

II. Nunc rationibus, quibus utitur D. Thom. 1. *p. quæſt.* 11. *art.* 3. citato, veritas iſta probanda eſt. Primò: Deus eſt eſſentialiter ſingularis; ergo unus. Conſequentia patet: quod enim eſt eſſentialiter ſingulare eſt eſſentialiter incommunicabile pluribus: unde ſi homo eſſet eſſentialiter Plato, non poſſet eſſe, niſi unus homo, nempe Plato. Anteced. verò probatur. Deus eſt eſſentialiter exiſtens, ſeu ipſum eſſe eſt de eſſentia Dei; ergo eſſe ſingulare eſt de eſſentia Dei: antecedens patet ex dictis quæſt. prædicta, & magis patebit infra. Conſequentia verò probatur. Exiſtentia eſt ultima rei perfectio, ſupponens omnes alias, & præcipuè ſingularitatem, cùm nulla res poſſit eſſe exiſtens, niſi ſit ſingularis: ergo ſi Deus eſt eſſentialiter exiſtens, eſt eſſentialiter ſingularis.

III. Dices primò. Natura Angelica in opinione Thomiſtarum eſt eſſentialiter ſingularis, & tamen in eorundem opinione non repugnat, quin ſaltem concipiatur, ut communicabilis pluribus ſolo numero diſtinctis.

IV. Dices ſecundò. Natura Divina eſt communicabilis tribus Divinis Perſonis, ergo non eſt eſſentialiter incommunicabilis.

V. Reſp. ad primum, naturam Angelicam eſſe quidem eſſentialiter phyſicè ſingularem, non autem eſſentialitèr metaphyſicè, & ſecundùm conceptum ſuum ſpecificum, ut eſt Deus. Quare non repugnat, quin concepta ſecundùm gradum ſuum ſpecificum, ut præciſum ab individuali, concipiatur, ut ſaltem negativè indifferens ad plura individua, ſeu ut non determi-

nata

Digitized by Google

nata ad unum individuum : at Deus eſt eſſentialiter metaphyſicè ſingularis, itaut non poſſit concipi Deitas, quin una numero concipiatur.

VI. Ad ſecundam dico, quod natura divina non dividitur, aut multiplicatur in tribus Divinis Perſonis; ſed una numero, & indiviſa manens communicatur Patri, Filio, & Spiritui Sancto. Ideoque licèt in tribus, manet una numero, & eſſentialiter ſingularis.

VII. Præcedenti rationi affinis eſt iſta. Si Deitas poſſet multiplicari, jam Deorum determinatus non eſſet numerus, ſed innumeri, & penè infiniti darentur Dii: omnis enim natura multiplicabilis, & plurificabilis in individuis, non determinatur ex ſe ad certum numerum individuorum, ſed quâ ratione poteſt eſſe in duobus, poterit eſſe in centum, in mille, & ſic uſque in infinitum; eo vel maximè, quòd à nullo extrinſeco limitari poſſet ad certum numerum, neque à vitæ brevitate, cum eſſet æterna, neque à limitatione virtutis, cum eſſet virtutis infinitæ. Neque unum individuum Deitatem adæquaret. Addo quod ſi numeroſitas ſemel Deum non dedeceat, quò major, eò perfectior erit, ideoque Deitati conſonantior; & fœcunditas ipſa, ſi Deo digna, & ab uno individuo non adæquatè abſorbetur, in plures, pluresque Deos ſeſe effundere, ac propagare gaudebit.

VIII. Hanc rationem præclarè urgent Tertullianus lib. 1. contra Marcionem c. 5. dicens. *Quæ ratio duo ſumma magna compoſuit? Primò enim exigam: cur non plura, ſi duo? Quando locupletiorem oporteret credi ſubſtantiam divinitatis, ſi competeret ei numerus. Honeſtior, & liberalior Valentinus, qui ſimul auſus eſt duos concipere Bithen, & Sigen, cùm uſque ad triginta Æonum fœtus, tanquam Æoniæ ſeropha examen divinitatis effudit. Quæcumque ratio plura ſumma magna non patitur admitti, eadem nec duo, ut ipſa plura poſt unum. Poſt unum enim numerus. Quæ potuit duo admittere eadem potuit, & plura poſt.* Ita Tertullianus arguebat Marcionem, qui, ut dicemus, duos tantum Deos admittebat. Et Octavius apud Minutium Fœlicem Gentiles lepidè deridens: *Cur* (inquit) *ſi nati ſunt Dii, non hodieque naſcuntur? Niſi fortè Jupiter ſenuit, & partus in Junone defecit, & Minerva canuit, antequam peperit..... Cæterum ſi Dii creari poſſent, & interire non poſſent, plures totis hominibus Deos haberemus, ut jam eos nec Cœlum contineret, nec aer caperet, nec terra ſuſtineret.* Hoc adeò verum eſt, ut referente Euſebio lib. 5. præparat. Evangel. c. 15. *Triginta Deorum millia in terra eſſe cenſuerit Heſiodus.*

IX. Secunda D. Thomæ ratio ex infinitate divinæ perfectionis petitur. Deus eſt infinitus in toto genere eſſendi; ergo unus: Conſequentia probatur: infinitum in aliquo genere continet omnes perfectiones illius generis: ergo non poteſt eſſe niſi unum: ſi enim eſſent duo, aliqua perfectio eſſendi conveniret uni, quæ deeſſet alteri, & conſequenter neuter eſſet infinitus.

X. Huic ſimilis eſt iſta: Deus eſt, quo melius eſſe, aut cogitari non poteſt: ergo unus. Prob. conſequentia primò: melior eſt illa natura, in qua plenitudo eſsendi ità eminenter, & unitè continetur, ut extra illam nihil ſit, niſi ab illa derivatum, & participatum, quàm illa, extra quam reperitur aliquid ab ea omnino independens, & imparticipatum. Secundò prob. conſequentia: ſi eſsent duo Dii, aliquó differrent, alioquin duo non eſsent: id autem, quo differrent, eſset aliqua perfectio: quid enim in Deo non perfectum? ergo aliquâ perfectione uterque careret, & quidem ſummâ, nempe eâ, quâ æmulus ab eo diſcreparet: quinimo tota unius ſubſtantia deeſset alteri: non ergo eſset perfectiſſimum, quod excogitari poteſt. Id urget Lactantius *lib. 1. Inſt. c.* 3. Ulteriùs: ſi ſaltem ſint duo Dii æquales ſibi, utroque melius aliquid cogitari poterit,

melius eſt enim non habere, quàm habere parem. Meliùs eſt alia omnia infra ſe, quàm juxta ſe habere: meliùs eſt ſolum imperare, quàm conſortem pati: meliùs eſt in alium dominari, quàm cum alio: meliùs eſt, nihil eximi à ſuo imperio, quàm aliquid, & hoc ſummum. Adeatur Tertullianus libris contra Marcionem, maximè *lib.* 1. *c.* 3.

XI. Tertia D. Thomæ ratio ſumitur ex unitate Mundi ſic: Mundus unus eſt: ergo unus Mundi Factor, & Gubernator Deus: unum enim opus unum prodit Artificem. Si enim eſſent plures Dii, plures utique Mundos fabricaſſent. Quid enim ad unius ſtructuram oportuit conſpirare plures, niſi, ſi fortè minus poſſent ſinguli, mutuàque operâ, & commodatitiis manibus indigerent? Deinde ſi à pluribus factus eſſet Mundus, omnibus obtemperaret, ab omnibus regeretur: quomodo ergo in Mundo conſonantia, an non potiùs perturbatio? Hoc argumento urgebat Gentiles Athanaſius Orat. Contragentes ſic concludens: *Nam nec navis à multis gubernata recto curſu ferri poteſt, niſi ejus clavum unus gubernator tenuerit: nec lyra à multis pulſata perfectum concentum efficiet, niſi muſicus unus eam percuſſerit.* Quorum rationem reddit D. Thomas laudato loco: quæ enim diverſa ſunt, & diviſa, in unum ordinem non conveniunt, niſi ab uno aliquo dirigantur: multa enim meliùs reducuntur in unum per unum, quàm per plura. *Quia per ſe unius unum eſt cauſa, & multa non ſunt cauſa unius, niſi per accidens, inquantum ſcilicet ſunt aliquomodo unum.* Addo, quòd Univerſum hoc eſſet monſtruoſum, ſi duo capita prorsùs independentia haberet. Ac prætérea, cui ex his duobus ſerviendum eſſet? Si inter iſta diſcordia oriretur, cui favendum abſque alterius inevitabili indignatione?

§. II.

Aliis rationibus unitas Dei demonſtratur.

XII. PRæter rationes ex D. Thomæ allatas, aliis viis Dei unitas probatur. Et primò: Deus eſt ſummum bonum, & ultimus finis ſimpliciter: ergo unus; repugnat enim, dari duo ſumma bona, & duos ultimos fines ſimpliciter. Conſequentia prob. primò: Summum bonum, & ultimus finis ſimpliciter ita implere debet totum hominis appetitum, ut nihil extra ipſum appetendum relinquat: quod certè non eſſet, ſi præter illud, aliud ſummum bonum, & ultimus finis daretur. Secundò: de ratione ultimi finis ſimpliciter eſt, quòd ad ipſum omnia referantur, & ipſe ad nihil aliud referatur: ſed hoc non eſſet, ſi darentur duo ultimi fines ſimpliciter; ergo. Minor probatur. Vel unus illorum ad alterum referretur, vel non. Si primum: ille, qui referretur, non eſſet ultimus finis ſimpliciter, & in omni genere. Si ſecundum: ille, ad quem non referretur, non eſſet ultimus finis ſimpliciter, cum de ratione illius ſit, ut omnia referantur ad ipſum.

XIII. Secundò probatur. Si eſſent plures Dii: vel alter ſciret ſecreta conſilia alterius, etiam ipſo invito, vel neſciret: ſi ſciret, par in utroque eſſet imbecillitas, & impotentia, cum de ratione libertatis, & dominii ſupra actus ſuos internos ſit, ut ipſo invito à nemine cognoſcantur. Si verò neſciret; par in utroque eſſet ignorantia, & impotentia cognoſcendi aliquid cognoſcibile, quæ Deum, qui debet eſſe infinitus in cognoſcendo, dedeceret.

XIV. Tertiò. Si eſſent plures Dii, nullus eorum eſſet omnipotens: poſito enim, quod unus vellet creare aliquam creaturam, vel creatam conſervare; vel alter poſſet deſtruere ejus opus, aut impedire, vel non? Si non, iſte

iſte non eſſet omnipotens. Si ſic, ille alter eſſet imbecillis; cum non poſſet facere, quod vult, & factum protegere, ac tueri.

XV. Quartò. Vel iſta pluralitas Deorum diſpliceret cuilibet Deo, & ſic quilibet illorum eſſet infelix, dum ſe adſtrictum videret ad habendum collegam in Imperio. Vel non diſpliceret: & ſic eſſet inſenſatus, dum non cognoſceret defectum Monarchiæ ſitum in ſocietate dominii.

XVI. Tandem unitas Dei probatur teſtimonio eorumdem Gentilium. Priſci enim Philoſophi, ac Poetæ, etſi plures Deos colerent, videntes fortè inconvenientia, quæ hactenus attulimus ex Deorum pluralitate, unum Deum Deorum, ac ſummum agnoverunt; quod teſtantur, & probant Juſtinus Martyr libro *de Monarchia*, & in *Cohortatione ad Gentes*, Clemens Alexandrinus *in Protreptico*, Athenagoras, Lactantius, & quotquot contra Paganos ſcripſere. Hinc in Concilio Carthaginenſi ſub Cypriano num. 52. Saturninus confeſſor dixit: *Gentiles quamvis Idola colant, tamen ſummum Deum Patrem Creatorem cognoſcunt, & confitentur:* Id conſtat ex litteris Longiniani, & Maximi ad Auguſtinum: his enim, etſi Gentilibus perſuaſum erat, unum eſſe Deum ſummum, ad quem nonniſi per minores Deos adiri non poſſet. Quare D. Ambroſius ep. 31. Gentiles ſapientes, inquit, *Deum loquuntur, & ſimulacrum adorant*.

Secundò. Deum eſſe unum teſtabantur etiam illæ voces repentinæ, quas vis mali, vel aliquis indeliberatus motus ſolebat etiam à Gentilibus excutere, nimirum, *Deus me adjuvet, Deus videt, Deus bonus, Deus judicabit*, ex hoc inter alios Tertullianus in apologetic. c. 17. animæ teſtimonio probabat, eam, etſi errore decepta, eſſet Pagana, naturaliter tamen eſſe Chriſtianam: *ob Teſtimonium animæ naturaliter Chriſtianæ!* & Lactantius lib. 1. Inſt. c. 11. & lib. 2. c. 1. *Cum jurant* (inquit) *& cum optant, & cum gratias agunt, non Jovem, aut Deos multos; ſed Deum nominant; adeò ipſa veritas, cogente naturâ, etiam ab invitis pectoribus erumpit.*

§. III.

Quædam ſolvuntur.

XVII. Obiicies primò contra primam D. Thomæ rationem: ſicut Deus eſt eſſentialiter hic Deus: ita eſt eſſentialiter hæc perſona: ſed hoc non obſtante fatemur in Deo plures Perſonas, cur ergo non fatemur etiam plures Deos?

XVIII. Reſpondeo primò. Deum alio modo eſſe eſſentialiter *hunc Deum*, alio modo eſſe eſſentialiter *hanc Perſonam*. Eſt enim *hic Deus* eſſentialiter metaphyſicè, quia de conceptu metaphyſico divinæ eſſentiæ eſt eſſe hanc, ſeu incommunicabilem pluribus individuis; at eſto ſit hæc Perſona eſſentialiter phyſicè, quatenùs nimirùm eſt in hac Perſona ſubſiſtens, ſumta tamen eſſentia Divina abſolutè, & ſecundum ſe, non eſt determinatè hæc Perſona, ſed eſt communicabilis pluribus, ideſt tribus Perſonis.

XIX. Reſpondeo ſecundò diſtinguendo majorem, & Perſona eſt relativa concedo maj. eſt abſoluta nego maj. Cum ergo Perſona divina ſit de genere relativo, & relativum debeat eſſe ad alterum, tantum abeſt, ut hæc Perſona aliam excludat, quin potiùs eam eſſentialiter petit. At hic Deus nominat aliquid abſolutum: quod ſi non ſibi identificaret omne abſolutum, imò & relativum, non eſſet perfectiſſimum, nec verè Deus. Sed hoc, dum agemus de Trinitate, clarum fiet.

XX. Obiicies ſecundò. Ex quo divina natura foret communicabilis pluribus Diis malè intulimus, eam fore communicabilem innumeris, imò infinitis Diis, & non ſolùm ad certum numerum: etenim eſto ſit de facto communicabilis pluribus Divinis Perſonis, non tamen ſequitur, quòd ſit communica-

D 2 bilis

bilis Perſonis infinitis, ſed ſolùm tribus.

XXI. Reſpondeo non eſſe parem rationem: nam ſi natura divina communicaretur pluribus Diis, ſive numero, ſive ſpecie differentibus, in eiſque multiplicaretur, communicaretur illis immediatè per ſe ipſam, & quia quantum de ſe eſt foret indifferens ad omnes, non eſſet ratio, cur aliquibus potiùs ſe communicaret, & non omnibus, imò infinitis, ut patet in natura humana, quæ de ſe communicabilis eſt infinitis individuis, & ſolùm ab extrinſeco, nempe à Deo determinatur ad certum numerum. At divinis Perſonis non communicatur natura Divina immediatè per ſe ipſam, ſed mediis actionibus immanentibus: quæ, cùm ſint tantùm duæ, nempe intellectus, & voluntatis, ideo non ſunt niſi duæ Perſonæ procedentes, & una, à qua procedunt, quarum quælibet cùm ſit in ſuo ordine infinita, non relinquit naturam divinam in eo ordine ampliùs communicabilem. Vide D. Tho. 1. *p. quæſt.* 27. *a.* 5. *ad* 3. & *quæſt.* 29. *v.* 4. *ad* 2.

XXII. Obiicies tertiò contra ſecundam rationem D. Th. Ideo non poſſunt dari plures Dii, quia unus eorum, vel haberet quidquid habet alter, vel non. Si haberet, ergo alter eſſet ſuperfluus: ſi non haberet; ergo non eſſet Deus, quia non haberet omnem excogitabilem perfectionem: atqui diſcurſus iſte poteſt inſtari in tribus divinis Perſonis: nam quælibet illarum, vel habet quidquid habet altera, vel non: ſi non, ergo non eſt Perſona divina, neque Deus, ſi habet, ſuperfluunt aliæ Perſonæ.

XXIII. Reſpondetur, hanc inſtantiam promoveri ex ignorantia myſterii Trinitatis. Quælibet enim Perſona divina cum ſibi identificet naturam divinam, & omnes perfectiones abſolutas, omnia habet, quæ habet altera, & quæ habent omnes ſimul, ſive formaliter, & conſtitutivè; ſive realiter, & identicè. Ut enim Perſona ſit divina, ſatis eſt, quòd omnes divinas perfectiones habeat, vel conſtitutivè, vel identicè. At ſi darentur plures Dii unus non haberet entitatem alterius, neque conſtitutivè, neque realiter, ſeu identicè, ac proinde nullus eorum foret Deus, quia non haberet omnem excogitabilem perfectionem.

XXIV. Obiicies quartò, ex hoc quod omnes Mundi Nationes aliquem dari fateantur Deum, intulimus, aliquem dari: ergo cum quandoque omnes fere Nationes plures Deos coluerint, inferri poterit, plures dari Deos.

XXV. Reſp. quòd aliundè omnes Mundi Nationes dari Deum confeſſæ ſunt, aliundè ad plures Deos colendos ſeſe converterunt. Primum ex ipſa natura hominis ortum habuit; quare ut ſupra dicebamus cum Tertulliano, & Lactantio anima ipſa, etiam homine non advertente, in confeſſionem exiſtentiæ Dei erumpit. Eſt enim primum, & univerſaliſſimum principium, quod naturæ lumen cuilibet oſtendit. At ſecundum non ex natura ipſa, ſed ex vitio, & corruptione naturæ ortum duxit, ac propterea antequam natura humana foret vitiata, non erat, niſi cultus unius veri Dei, ut contigiſſe ab initio Mundi uſque ad diluvium infra oſtendemus; & poſtquam natura humana fuit per Chriſtum à vitio reparata, deſtructâ deorum pluralitate, unius Dei cultus reſtitutus fuit. Quare ex conſenſu omnium nationum benè arguimus exiſtentiam Dei, non autem ſic ex pluralitate Nationum, Deorum pluralitatem admittentium, poſſumus benè inferre, eam revera dari, eo vel maximè, quòd Sapientiores ex Paganis, qui pluralitatem Deorum admittebant, unum tamen Deum, qui omnibus aliis Diis imperaret, fatebantur, ut jam oſtenſum eſt. Quia ergo Politheiſmus, & Idololatria multo tempore in cordibus hominum altas radices egit: Ideo aliqua de ea ad eruditionem dicere abs re non erit.

DU-

Digitized by Google

DUBIUM II.

De Politheiſmo, & Idololatria.

§. I.

Cultus falſus, ejuſque ſpecies.

I. A Religione vera, & recta, quæ ſcilicet vero Deo debitum cultum reddit, bifariam recedi poteſt; vel defectu, nimirùm veri numinis contemtu, quomodo à vera religione receſſerunt Athei, dicti propterea ſine Deo, ac Religione. Vel exceſſu, cultu videlicet quodam vitiato, & ſuperfluo, qui latinis idem eſt, ac ſuperſtitio à *ſuperſtando:* non quaſi Deus verus vero cultu nimio coli poſſit; ſed quia ad materiam cultus aliquid accedat, quod eam corrumpat. Corrumpitur autem divinus cultus, fitque ſuperſtitioſus, quando, vel cultus veri Dei præſtatur falſo numini, vel falſo cultu Deus verus colitur. Primo modo ſuperſtitioſi erant Pagani, qui cultum veri Dei falſis Numinibus exhibebant. Secundo modo ſuperſtitioſus eſſet, qui verum Deum cultu falſo, & reprobato colere vellet, ut qui verum Deum cultu, ac ritu Paganico, aut Judaico vellet honorare.

II. Tota hæc Doctrina ſumta eſt ex D. Thoma 2. 2. q. 92. art. 1. *Superſtitio eſt* (inquit) *vitium religioni oppoſitum ſecundùm exceſſum; non quia plus exhibeat in cultum divinum, quàm vera religio, ſed quia exhibet cultum divinum, vel cui non debet, vel eo modo, quo non debet*. Et ibidem art. 2. varias ſuperſtitionis ſpecies adſignans ait: *Diverſificantur ergo ſuperſtitionis ſpecies: primò quidem ex parte modi: ſecundò ex parte obiecti. Poteſt enim divinus cultus exhiberi, vel cui exhibendus eſt, ſcilicet Deo vero, modo tamen indebito: & hæc eſt prima ſuperſtitionis ſpecies, vel cui non debet exhiberi, ſcilicet cuicumque creaturæ: & hoc eſt aliud ſuperſtitionis genus, quod in multas ſpecies dividitur ſecundùm diverſos fines divini cultus. Ordinatur enim primò divinus cultus ad reverentiam Deo exhibendam, & ſecundùm hoc prima ſpecies hujus generis eſt Idololatria, quæ divinam reverentiam indebitè exhibet creaturæ. Secundò ordinatur ad hoc, quod homo inſtruatur à Deo, quem colit; & ad hoc pertinet ſuperſtitio divinativa, quæ Dæmones conſulit per aliqua pacta cum eis inita, vel tacita, vel expreſſa. Tertiò ordinatur divinus cultus ad quandam directionem humanorum actuum ſecundùm inſtituta Dei, qui colitur: & ad hoc pertinet ſuperſtitio quarumdam obſervationum.*

Et hæc tria tangit Auguſtinus lib. 2. de Doctr. Chriſt. cap. 20. dicens: Superſtitioſum eſt quidquid inſtitutum eſt ab hominibus ad facienda, & colenda Idola pertinens: & hoc pertinet ad primum, *& poſtea ſubdit*. Vel ad conſultationes, & pacta quædam ſignificationum cum Dæmonibus placita, atque fœderata: quod pertinet ad ſecundum: *& poſt pauca ſubdit:* ad hoc genus pertinent omnes ligaturæ, & cætera hujuſmodi, quod pertinet ad tertium: hæc D. Thomas.

Omiſſis ergo duabus his poſterioribus ſuperſtitionis ſpeciebus, de quibus fusè agit S. Auguſtinus loco allato, de prima hìc loquemur, quâ nimirum divinus cultus exhibetur cui non debet exhiberi, ſcilicet creaturæ, quæ Politheiſmus eſt, & Idololatria, Dei unitatem evertens.

III. Primum, qui Dei unitatem evertere conatus fuit, & hominem ad Deorum pluralitatem inſtigare, fuiſſe Diabolum, negabit nemo. Is enim, qui appetitu divinitatis ex Empireo ſe ipſum præcipitavit, qui pravâ ſuaſione ſimili, *eritis ſicut Dii*, Adamum in Paradiſo perdidit, naturamque humanam peccato vitiavit, & corrupit, eam ſenſim à Creatore avertere, & ad creaturam convertere ſtuduit, donec tandem homines, qui vero Deo ſervire debuerant, ad ſerviendum creaturis induxit. Hoc totum deſcripſit Paulus Roman.

Digitized by Google

Roman. 1. v. 25. dicens: *Commutaverunt veritatem Dei in mendacium, & ſervierunt creaturæ potiùs, quàm Creatori. Veritatem enim tenere* (ait Alexander Halenſis 3. part. Summæ q. 30. art. 1.) *eſt unum Deum colere: veritatem in mendacium commutare, eſt ſervire creaturæ pro Creatore. Vera enim religio in unius conſtat veri Dei ſervitio. Una enim eſt vera divinitas. Si ergo Idololatria creaturæ ſervit pro creatore, commutat veritatem in mendacium.* Hac fraude impius humani generis hoſtis non ſolùm inſipiens vulgus decepit; ſed eos etiam, qui pro ſapientibus habebantur. Excuſsâ enim paulatìm ab eorum animis traditione primævâ de uno, veroque Deo, quaſi torrens rupto aggere, in varias, falſas, quin & ſtultas, ac ridiculas de divinitate opiniones eos dejecit. Non ſolùm enim aliis hominibus tanquam Diis ſervire cæperunt, ſed ut ait Auguſtinus ſerm. 3. de Symbolo ad Cathecum. c. 2. *Erraverunt anima per diverſas voluptates, & perverſas: ut alii colerent Solem, alii Lunam, & Stellas, alii Montes, alii Lapides, & quæque virgulta, ut ſibi quiſque credidit inveniſſe, non adjutorem Deum, ſed deceptorem Diabolum: atque ita per diverſa, anima erravit à Creatore ſuo, ut omne, quod dederat ei Deus ad ſervitium, hoc illa coleret, ut Deum*, hæc Auguſtinus, quod deplorat etiam Athanaſius orat. *contra gentes*. Sed non ſolùm prædicta, hominum inſania coluit ut Deum, ſed etiam in reptilia, aquatilia, & terrena, atque in feras, & bruta, & viliſſima quæque divinitatem tranſtulit: quinimò aliqui eò progreſſi ſunt, ut etiam, quæ in rerum naturâ nullo modo eſſent, Deos facerent, humanam formam cum brutis permiſcentes, naturaſque diſſimiles in monſtri ſpeciem conjungentes, eaque ſic adorantes, ut quò horribilior forma eſſet, eò majori digna cultu putaretur. Ejuſmodi erant Dii illi, qui apud Egyptios canis, ſerpentis, & aſini, caput habebant, & apud Lybiæ populos Ammon arietis capite inſignis. Qualia etiam nunc apud Indos idololatras coluntur, monſtra potiùs, quàm Dii.

§. II.

Idololatria, ſeu Politheiſmi origo.

IV. ADverto, Idololatriam, ſeu Politheiſmum haberi poſſe etiam ſine externis Idolis, aut ſimulacris arte humanâ fabricatis. Si quis enim in mente ſuâ falſum Numen pro vero Deo ſubſtitueret, illumque, ut Deum coleret, is reverâ eſſet Idololatra, quia coleret, ut Deum, qui Deus non eſt, & conſequentèr coleret nihil. Porrò Idolum, ſive exteriùs fabricatum, ſive interiùs cónceptum nihil eſt ſecundùm illud Apoſtoli 1. Cor. 8. v. 4. *Idolum nihil eſt in Mundo*, quaſi diceret, Idolum eſt omne illud, quod nec Numen eſt, nec vim Numinis habet, ſed res vana, & inane hominum commentum, ſive fabricatum manu, ſive mente conceptum, & ut Deum adoratum. Hinc Romani licèt pluſquam annis 170. ſine ſimulacris Deos coluerint, teſte Varrone apud Auguſt. *lib.* 4. *de Civit. Dei c.* 31. attamen Idololatriam committebant, quia, teſte Halicarnaſſeo l. 2. adorabant Deos, quos colebant Græci, quibus alios Numa Pompilius adjecit. Quare D. Thomas 2. 2. *quaſt.* 94. *art.* 1. ait: *Quod ex communi conſuetudine, quâ creaturas quaſcumque colebant Gentiles ſub quibuſdam imaginibus impoſitum eſt hoc nomen* Idololatria, *ad ſignificandum quemcumque cultum creaturæ, etiamſi ſine imaginibus fieret.*

V. Quantùm ad Idololatriæ, ſeu falſi numinis cultus primam originem non conſentiunt Doctores. Ante diluvium, tempore Henos, cæpiſſe plerique Hebræorum cenſent. Tunc enim primò in nomine Domini, & in ſimilitudinem ejus putant fabricata fuiſſe Idola referente S. Hier. *quaſt. Hebraic. in Geneſ.* ita ſentit *R. Maimonides Lib. de Idololatria*, quamvis Voſſius id non ap-

Digitized by Google

approbet. Rurſùs quum contaminata eſſet terra coram Deo, & omnis caro corrupiſſet viam ſuam, adeò ut Deum pœnituerit feciſſe hominem, & ſtatuerit eum diluvio delere à facie terræ, ut habetur. *Geneſ. 6.* credibile exiſtimant, generalem hanc corruptionem ideò contigiſſe: quia homines à Deo averſi ad falſum Deum colendum ſeſe converterint. Sed hoc nullo firmo argumento, vel auctoritate nititur. Quo enim fundamento de Henos, qui Geneſ. 4. v. 26. dicitur cæpiſſe *invocare nomen Domini*, aſſeritur, quòd primus fabricaverit Dei idolum, & non potiùs, quòd primus fuerit qui ritu ſpeciali verum Deum invocaverit? Qua auctoritate generalem totius carnis corruptionem crimini Idololatriæ tribuitur, cùm ex ſcriptura colligatur, ex impotenti potiùs libidine eam contigiſſe?

VI. Quamobrem veriùs eum Lactantio *lib. 2. Inſtit. c.* 14. „ Dico Politheiſmum, ſeu Idololatriam ſolùm cæpiſſe poſt Diluvium ex filiis Cham. „ Is enim, ob detectam, deſpectamque „ parentis Noe nuditatem, abdicatus, „ atque expulſus, profugus in ea parte conſedit, quæ nunc Arabia nuncupatur, quæ terra de nomine Filii „ ſui dicta eſt, *Chanaam*, & poſteri habitatores illius *Chananæi*. Hæc fuit „ prima gens, quæ Deum ignoravit; quoniam Princeps ejus, & Sator maledictus à Deo cultum Dei neglexit, ideoque veræ divinitatis ignorantiam velut hæreditariam poſteris „ ſuis reliquit. Qui deinde nimiùm multiplicati, cum eos anguſtiæ locorum ſuorum capere non poſſent, „ vel à parentibus miſſi, vel ſponte „ ſuâ, cum rerum penuria cogeret, „ profugi ad quærendas ſibi novas ſedes, hùc, atque illùc diſperſi ſunt; „ & à ſtirpe ſanctæ radicis avulſi, novos ſibi mores, ac inſtituta pro arbitrio condiderunt. Sed omnium primi, qui Ægyptum occupaverunt Cœleſtia ſuſpicere, atque adorare cæperunt. Et quia, neque domiciliis „ tegebantur propter aeris qualitatem „ (nec enim ullis in ea regione nubibus ſubtegitur Cœlum) curſu ſyderum, & defectus notaverunt, dum „ ea ſæpe venerantes, curioſiùs, atque „ liberiùs intuerentur. Poſtea deinde „ portentificas animalium figuras, quas „ colerent commenti ſunt, quibuſdam „ prodigiis inducti. Cæteri autem, „ qui per terras diſperſi fuerant, admirantes elementa Mundi, Cœlum, Solem, Terram, Mare, ſine ullis imaginibus, ac Templis venerabantur, „ & his ſacrificia in aperto celebrabant: donec ſucceſſu temporum potentiſſimis Regibus Templa, & ſimulacra fecerunt, eaque Victimis, & „ odoribus colere inſtituerunt. Hæc ex Lactantio laudato ſumta ſunt.

VII. Ex quibus apparet, Idololatriam primò ſine ſimulacris, & imaginibus externis cæpiſſe. A quo autem tempore cæperit cultus ſimulacrorum, non eſt adeò certum. Aliqui à tempore Abrahæ repetunt originem Idolorum, cujus Pater Thare dicitur ſerviiſſe Diis alienis Joſue 24. *v.* 2. Licèt autem Idolorum non fiat mentio ante Labanum, cujus Idola abſtulit Rachel, ut habetur Geneſ. 31. *v.* 19. 33. 34. quæ etiam ibidem *v.* 30. Laban vocat *Deos ſuos*: Attamen veriſimile eſt, etiam tempore Thare, & Nachor uſitata fuiſſe Idola: ſic, ut primi Idolorum effigiatores fuerint Chaldæi præeunte Nino Aſſyriorum Rege contemporaneo Thare, qui fieri curaſſe traditur imaginem Belo Patri ſuo, eamque ſubditis adorandam propoſuit, adjectis quibuſdam ritibus ſuperſtitioſis, ut teſtatur S. Hieron. *in Oſeam c.* 2. & Mercurius Triſmegiſtus, qui Moſis tempore floruiſſe fertur, originem ſimulacrorum refert ad priſcos proavos ſuos apud S. Auguſt. *l.* 8. *de Civit. Dei c.* 24.

VIII. Progreſſu temporis ſimulacrorum religio ubique ferè propagata eſt. Proximi Ægyptii idola effigiata habere cæperunt, ut colligere eſt ex Auguſtino, & ex hiſtoria Exodi. Tempore

pore enim Moſis Ægyptus Idolis plena erat, quòd autem fuerint idola beſtiarum, celebre Moſis teſtimonium evincit Exod. 8. 26., qui Pharaoni dicenti: *Sacrificate Deo veſtro in terra hac*, ideſt Ægypti: Reſpondit. *Non poteſt ità fieri: abominationes enim Ægyptiorum immolabimus Domino Deo noſtro? Quod ſi mactaverimus ea, quæ colunt Ægyptii coram eis, lapidibus nos obruent*. Eædem igitur beſtiæ, quas Deo immolabant Hebræi, Boves, vituli, agni, oves, erant Idola, & Dii Ægyptiorum. Unde ad ſimilitudinem Bovis illius Ægyptii petierunt ab Aarone Hebræi Vitulum in deſerto *Exod.* 32. Ab Ægyptiis derivata fuit Idololatria ad Perſas, Indos, & ad extremos terminos Sinarum, teſte Kircherio in *Prodromo c.* 4. Certè hodierni etiam dictarum gentium mores id oſtendunt, cum in India, Sina, Jappone, Tartaria, quin etiam in ipſa America, Solis, Lunæ, Syderum, Terræ, Animalium omnis generis, tum in ſimulacris, tum ſine illis cultores, noſtri deprehenderunt.

IX. Græci ſubinde, cum & ipſi abſque ſimulacris numen colerent, aliæque Gentes ſimulacra fecere. Ipſique Romani, qui, ut ſupra dicebam, abſque ſimulacris fuere, tandem ſimulacra, quibus Deos ſuos colerent, efformarunt. Scythæ quoque priuſquam effigiata haberent ſimulacra, adorabant olim Acinacem, Arabes Lapidem, Perſæ Fluvium; aliæque gentes ligna erigebant, inſignia, & columnas ex lapidibus ponebant, ſeu titulos, in quibus Deos ſuos adorabant. Quare Deus *Levit.* 26. *v.* 1. æqualiter vetuit Judæis facere Idola, ac Titulos erigere, ſive inſignes lapides: *Non facietis vobis Idolum, & ſculptile, nec titulos erigetis, nec inſignem lapidem ponetis in Terra veſtra, ut adoretis eum*. Et Numer. 33. *v.* 52. *Confringite titulos, & ſtatuas comminuite*. Hinc apparet, Idololatriam fuiſſe falſa numina coluiſſe, primò ſine titulo, & ſimulacro ullo externo: deinde cæpiſſe titulos, ac lapides in eorum proteſtationem erigere, ac in eis Deos ſuos adorare: Tandem, cum perveniſſent Artifices, qui ſimulacra beſtiarum, ſive hominum efformarent, cæptum eſt adorare numina in ſimulacris, eòque magis crevit Idololatria. Unde Clemens Alexandr. in Protreptico ait: *poſtquam autem ars floruit, auctus eſt error*.

X. Populus verò Judaicus adeò pronus ad Idololatriam fuit, ut nec divina præcepta, nec minæ, nec pœnæ, quibus identidem ipſum mulctabat Deus, ſat eſſent ad ipſum ab eiuſmodi ſuperſtitione deterrendum. De quo aliqua infra dicemus: finitimarum enim Gentium contubernium hâc peſte Hebræos contaminavit, ut tandem ad earum ſervitutem in pœnam damnati ſint. Chriſto tamen adveniente, ejuſque Evangelio annunciato, Idola paſſim exterminari cæperunt: adeò ut, quæ totum occupaverant orbem, vix in remoto Orbis angulo apud Barbaras nationes cultum aliquem obtineant. Ex Chriſtianis tamen non defuere, qui in Politheiſmum ruerent, ut dicemus.

DUBIUM III.

De falſitate Idololatriæ Paganorum.

§. I.

Variæ opiniones Paganorum circa cultum Idolorum.

I. Quamvis Pagani omnes Idolorum cultui dediti eſſent, diſcriminabantur in eorum cultus objecto. Unde D. Thomas 2. 2. *quæſt.* 94. *art.* 1. *Diverſimodè tamen*, inquit, *cultus divinus Idolis exhibebatur. Quidam enim per nefariam artem imagines quaſdam conſtruebant, quæ virtute Dæmonum aliquos certos effectus habebant: unde putabant, in ipſis Imaginibus eſſe aliquid divinitatis, & per conſequens, quòd divinus cultus eis deberetur. Et hæc fuit opinio Hermetis*

Digitized by Google

metis Triſmegiſti, ut Auguſtinus dicit 8. de Civit. Dei c. 23.

Alii verò non exhibebant cultum Divinitatis ipſis imaginibus; ſed creaturis, quarum erant imagines. Et utrumque horum tangit Apoſtolus ad Rom. 1. Nam quantùm ad primum dicit v. 23. Mutaverunt gloriam incorruptibilis Dei in ſimilitudinem imaginis corruptibilis hominis, & volucrum, & quadrupedum, & ſerpentium. *Quantùm ad ſecundum ſubdit v. 25.* coluerunt, & ſervierunt creaturæ potiùs, quàm creatori.

II. *Horum tamen triplex fuit opinio. Quidam enim æſtimabant, quoſdam homines Deos fuiſſe, quos per eorum imagines colebant, ſicut Jovem, Mercurium, & alios hujuſmodi. Quidam verò æſtimabant, totum Mundum eſſe unum Deum, non propter corporalem ſubſtantiam, ſed propter animam, quam Deum eſſe credebant, dicentes, Deum nihil aliud eſſe, quàm animam, motu, & ratione Mundum gubernantem, ſicut & homo dicitur ſapiens propter animam, non propter corpus. Unde putabant, toti Mundo, & omnibus partibus ejus eſſe cultum divinitatis exhibendum, Cœlo, aeri, aquæ, & omnibus ejusmodi partibus: & ad hæc referebant numina, & imagines ſuorum Deorum, ſicut Varro dicebat, & narrat Auguſt. 7. de Civit. Dei c. 2. & 22. Alii verò, ſcilicet Platonici, poſuerunt, unum eſſe ſummum Deum, cauſam omnium, poſt quem ponebant, eſſe ſubſtantias quaſdam ſpirituales, à ſummo Deo creatas, quas Deos nominabant, participatione ſcilicet divinitatis, nos autem eos Angelos dicimus; poſt quas ponebant animas Cœleſtium corporum, & ſub his Dæmones, quos dicebant, eſſe aerea quadam animalia, & ſub his ponebant animas hominum, quas per virtutis meritum ad Deorum, vel Dæmonum ſocietatem aſſumi, credebant. Et his omnibus cultum divinitatis exhibebant, ut narrat Auguſtinus 8. de Civit. Dei c. 14.*

III. *Has autem duas ultimas opiniones dicebant, pertinere ad Theologiam phyſicam, quam Philoſophi conſiderabant in Mundo, & docebant in Scholis. Aliam verò de cultu hominum dicebant pertinere ad Theologiam fabularem, quæ ſecundùm figmenta Poetarum repræſentabatur in Theatris. Aliam verò opinionem de imaginibus, dicebant pertinere ad civilem Theologiam, quæ per Pontifices celebrabatur in Templis.* Hæc D. Thomas laudatus.

§. II.

Refutantur omnes præfatæ de Diis opiniones.

IV. DIco. Idolorum cultus, quocumque ex præfatis modis explicatus, falſus, & ſuperſtitioſus eſt. Aſſertio hæc ex dictis Dubio primo probata manet. Cultus enim verus, ac religioſus debet exhiberi uni Deo, verus enim Deus unus eſt: at cultus Idolorum ad plures Deos refertur, & proindè falſos: ergo falſus cultus eſt, ac ſuperſtitioſus.

V. Secundò probo ex S. Auguſt. lib. de vera Religione c. 55. ſic. „ Idololatræ, qui plures Deos colunt, vel „ colunt opera, & artefacta hominum, „ vel beſtias, vel homines mortuos, „ vel dæmones, vel terram, & aquas, „ vel aerem, & ignem, vel aſtra, vel „ viventia, puta arbores, vel homines, vel Angelos: ſed nulli ex his „ cultus divinus dandus eſt: ergo &c. „ Minorem probat S. Auguſtinus ſic. „ Si eſſent colenda opera hominum, „ multò magis colendi eſſent artifices, „ qui ea fecerunt, quia meliores illis. „ Si colendæ eſſent beſtiæ, multò magis homines, quos tamen colere „ non debemus. Non ſunt colendi, ut „ Dii homines mortui, quia ſi piè vixerunt, non tales, nempe divinos „ à nobis petunt honores, ſed illum „ coli volunt, quo illuminante lætantur. Si autem malè vixerunt, ubicumque ſint, non ſunt colendi. Dæmones colendi non ſunt, quia hominum hoſtes, de hominum pœnis

„ triumphant. Terra, & aqua colenda non ſunt, quia iſtis lucidior, ac purior eſt aer etiam caliginoſus. Nec etiam colendus eſt aer purior, ac ſerenior, quia luce abſente adumbratur, & aere purior eſt ignis noſtri ſplendor, & fulgor. Nec tamen ignem colere debemus, quoniam ipſum pro voluntate accendimus, & extinguimus. Corpora autem ætherea, atque cœleſtia, neque colenda ſunt, quia licèt omnibus cæteris corporibus rectè præponantur, melior tamen eſt ipſis quæcumque vita. Vitam, quâ arbores dicuntur vivere, colere non debemus, quoniam nullus ſenſus in ea eſt, ſicut, nec in capillis, & oſſibus, quæ ſine ſenſu præciduntur: hâc autem melior eſt vita ſentiens, quam tamen in beſtiis colere, non debemus. Neque anima ipſa rationalis, ut Deus colenda eſt, etſi perfecta, & ſapiens ſit, quia omnis vita rationalis, ſi perfecta eſt, incommunicabili veritati ſecum intrinſecùs loquenti obtemperat, non obtemperans vitioſa ſit: quòd autem alteri obtemperat, Deus non eſt, quia non per ſe excellit, ſed per eum, cui obtemperat. Eâdem ratione Angeli colendi non ſunt, quia nec à ſe beati ſunt, nec nos eos videndo beatos reddunt, ſed & ipſi, & nos unà in videndo Deum Beati ſumus. Videatur ibi S. Doctor.

VI. Tertiò perſtringuntur ſimulacrorum adoratores ex D. Athanaſio *Oratione contra gentes num.* 15. „ Quid enim in illis ſimulacris adorant? forte lapides, & ligna, ex quibus conficta ſunt? ſed non vident, ſe, res prorsùs ſimiles pedibus conculcare, quarum partes Deos ſuos nuncupant, & quæ paulò ante in omnes uſus aſſumebant? Si hæc eadem, dum ſculpta ſunt, venerantur; non cogitant, ſe non Deos, ſed cælatoris artem adorare? Certè quamdiù impolitus eſt lapis, & materia rudis, tamdiù iſta calcant, & ad ſuos ſæpe uſus etiam viliores adhibent. Cùm verò fictor artem ſuam in illis exercuerit, & viri, vel mulieris formâ materiam figuravit, tunc gratias agunt artifici; jamque ut Deos colunt, quos mercede à cælatore emerunt. Quin etiam fictor, quaſi oblitus, quæ ipſe fabricavit propriis operibus ſupplicat, & quæ paulò ante ſculpebat, & incidebat, hæc eadem perfecto opere Deos ſalutat &c.

VII. Dicebant apud Eundem Athanaſium Ethnici 1. Se non negare hominum, ac belluarum figuras ſuos Deos eſſe: ſed ideo ità eſſe, ut Deus per has figuras ipſis det reſponſa, atque appareat: nec enim eum, qui oculis videri non poteſt, aliter poſſe cognoſci, quàm per ejuſmodi ſimulacra.

VIII. Sed contra urgetur ex Athanaſio. „ Quomodo Deus per hæc ſimulacra reſpondet, & cognoſcitur? An ob materiam, ex qua conſtant, an ob formam, quam habent? Si ob materiam: quis erit formæ uſus? cur, antequam eſſent tali formâ donata, Deus per iſtam, vel quamlibet aliam materiam non reſpondebat, non apparebat, non cognoſcebatur? Si verò dicant, formam inductam cauſam eſſe adventus divini, cui ſervit illa materia: cur non potiùs per ipſa vera animalia, quorum effigies ſunt ſimulacra, Deus apparet? Dignior ſiquidem de Deo opinio haberetur, ſi per animalia viventia, ſive ratione prædita, ſive rationis expertia appareret. Imò cur vera animalia, quadrupedes, aves, ſerpentes, ſeu ob feritatem, ſeu ob ſœditatem fugiunt, & abhorrent, quorum formas auro, ligno, lapidi inſculptas Deos faciunt? nonne convenientiùs erat, ipſa viventia, quàm eorum formas coli? Quòd ſi dicant, neque materiam, neque formam Divini adventus cauſam eſſe, ſed ſolam artem cum ſcientia conjunctam divinum numen evocare. Contra eſt: ſi propter ſcientiam, & artem Deus ad ſimulacra accedit, quis rurſus materiæ

,, riæ uſus? Cum ſcientia, & ars in ,, hominibus reſideat, & propter hanc ,, apparet Deus, ipſi profectò homi- ,, nes artis authores magis venerandi, ,, & colendi erant, quòd ratione ſint ,, præditi, & artem, ac ſcientiam in ,, ſe ipſis habeant.

IX. Dicebant ſecundò apud eundem Athanaſium. Hæc ſimulacra facta fuiſſe, ad divinos Angelos, & Poteſtates invocandum, & accerſendum, ut per hæc ſimulacra apparentes Dei cognitionem edoceant: & eſſe hominibus inſtar litterarum, quarum lectione, divinis Angelis per illa advenientibus, Dei ſcientiam percipere poſſint.

X. Sed hæc reſponſio, ait Athanaſius, non minùs falſa eſt, quàm præcedens. ,, Etenim ſi hæc ſimulacra ,, facta ſunt, non ut ipſe Deus, ſed ,, ut Angeli illic appareant; cur hæc, ,, per quæ Angelos invocant, iiſdem, ,, quas invocant, Poteſtatibus, pluris fa- ,, ciunt? cur eiſdem ſimulacris Dei no- ,, men, & honorem, quo nec ipſos ,, Angelos dignantur, imponunt, & ,, præſtant? Novum ſanè! Simulacra ,, efformant, ut per ea advocent po- ,, teſtates, quibus accedere poſſint ad ,, Deum, ad quem per ſimulacra ac- ,, cedere non poſſe cognoſcunt: & Dei ,, nomen, cujus præſtantiam formida- ,, bant, ſimulacris imponunt, eaque ,, divinis honoribus afficere non ve- ,, rentur.

XI. Dicebant tertiò alii, qui ſapientiores videbantur, ſe non adorare Idola, ſed id, quod per Idola ſignificatur.

XII. Sed iſtos ità perſtringit S. Auguſtinus *Sermone* 195. *edit. Monach. S. Mauri*, ubi præveniens hanc reſponſionem ait. *Et ne quiſquam eorum diceret: non ſimulacrum colo: ſed quod ſignificant ſimulacra; ſubjecit ſtatim* (Apoſtolus) & coluerunt, & ſervierunt creaturæ potiùs, quàm Creatori. *Intelligite prudenter. Aut ſimulacrum enim colunt, aut creaturam. Qui ſimulacrum colit, convertit veritatem Dei in mendacium. Nam Mare veritas eſt: Neptunus autem, mendacium factum ab homine, conversâ veritate Dei in mendacium: quia Deus fecit Mare, homo autem ſimulacrum Neptuni.* Rursùs ex eodem Auguſtino ſic. Si verum eſt, eos non adorare ſtatuam Neptuni, ſed Mare, quod illâ indicatur; non ſimulacrum Solis, ſed Solem ipſum; cur quæſo ſæpiſſimè ſtatuam Neptuni, & Solis adorant terga vertentes Mari, ac Soli? hoc certè non eſt, adorare Solem, ac Mare, ſed Statuam. Quia ſi quis, ut veſtem regiam adoraret, tèrga verteret Perſonæ ipſius regis, hunc nullus ritè exiſtimaret adorare Regem, ſed unicè veſtem, & pluris facere veſtem, quàm Regem. *Homines* (inquit Auguſt. in Pſalm. 113.) *talibus ſuperſtitionibus obligati plerumque ad ipſum Solem dorſum ponunt, preces fundunt ſtatuæ, quam Solem vocant.*

XIII. Quartò. Adoratores hominum falſitatis arguuntur primò ex Athanaſio *orat. contragentes à num.* 9. Quia falſi Dii erant; Tum quia homines fuerant, ut cæteri, tum quia erant Dii facti ab hominibus: Senatus enim Romanus, Imperatores, quotquot ſibi placebant, inter Deos eſſe, decernebat: verus autem Deus, nec homo eſt, nec ab alio factus, ſed à ſe ipſo, & naturâ debet eſſe Deus. Rursùs, qui alios Deos faciebant, quare Dii non erant? Hi enim, qui Deos faciendi jactant poteſtatem, potiùs Dii cenſendi eſſent, quàm quos ipſi faciunt Deos.

XIV. Si dixeris, Senatum Romanum feciſſe homines Deos, non eos divinitate donando, ſed declarando, eos ſuis virtutibus divinitate dignos ſe reddidiſſe; ad eum modum, quo Romanus Pontifex facit aliquem Sanctum, & ut talem colendum proponit, non quia illi conferat Sanctitatem: ſed quia ſuis bonis operibus, ac virtutibus Sanctum ſe reddidit, ideo talem eſſe declarat, & proponit.

XV. Sed contra eſt. Aliud enim eſt aliquem annumerare Sanctis, aliud Diis: ad ſanctitatem per bona opera

pervenire quis poteſt, ſecùs verò ad Deitatem, niſi eam habeat per naturam. Romanus Pontifex, dum aliquem declarat Sanctum, declarat, non Deum, ſed Dei ſervum, & amicum fuiſſe, neque id facit proprio libito, ſed ità exigentibus bonis operibus, quæ quis geſſit, dum viveret. At Ethnici, Deos, quos ſibi magis placebat, nullâ habitâ ratione vitæ, ac virtutum Deos declarabant; imo plerumque melioribus inter homines relictis, eos, qui criminibus inſigniores fuerant, inter Deos collocabant.

XVI. Hinc exurgit alia ratio probans, eos, quos Pagani colebant, ut Deos, verè Deos non fuiſſe, quia opera Deo indigna fecerunt: Imo ſi quis eorum geſta perpendat, inveniet, eos non ſolum non eſſe Deos, ſed homines, & inter homines flagitioſiſſimos. Quid enim de Jove, quem Deorum ſupremum fuiſſe dicebant, legimus, niſi adulteria, ſtupra, raptus, ejuſque horum causâ transformationes in brutorum, quadrupedum, & volucrum formas, non ſine ſui periculo factas? An ergo æquum eſt, illum cenſeri Deum, qui ea flagitia commiſit, & tantorum ſcelerum reus eſt, quæ neque communes Romanorum leges, vel ipſis hominibus, facere permittunt? Rationem hanc fuse proſequitur S. Athanaſius laudato loco. His ſimilia exprobrabat S. Cyrillus Juliano in ſuis libris *contra Julian.* Lactantius *lib. 1. Inſt. cap. 9. 10. 11.* &c. Unde S. Auguſtinus lib. 7. de Civit. Dei c. 27. ait. *Deos ſelectiores innotuiſſe magis per eorum crimina, quàm per eorum merita:* & eodem libro cap. 4. obſervat, famoſiores Deos criminibus eſſe inſigniores, cùm in aliis Diis minus famoſis vix crimina reperiantur. *Vix quiſquam reperitur Deorum non ſelectorum, qui aliquo crimine famam traxit infamem: vix autem ſelectorum quiſpiam, qui non in ſe notam contumeliæ inſignis acceperit.*

XVII. Dicebant, omnia probra, quæ de eorum Diis, narrantur, figmenta eſſe poetarum. Quod & reſpondebat Julianus D. Cyrillo *lib. 2. contra Julian.*

XVIII. Sed ad hæc reſpondebat Sanctus Athanaſ. *loco cit. nu. 16.* ,, Primò: ſi
,, quæ Poetæ narrant, commentitia,
,, & falſa ſunt, falſa quoque erunt
,, Jovis, Saturni, Junonis, Martis,
,, aliorumque nomina, nec ullus un-
,, quam fuit Juppiter, vel Saturnus &c.
,, Secundò: cur potius non dicitur,
,, fabulatos fuiſſe, quando illos voca-
,, runt Deos, cùm ea, quæ veris Diis
,, indigna ſunt, illis affinxerint? cer-
,, tè hominum notas Diis non affin-
,, xiſſent, ſi eos revera Deos credi-
,, diſſent, actus enim naturis congrue-
,, re debent. Tertiò. Quare Poetæ
,, mentiti ſunt, cùm eorum vitia re-
,, tulerunt, & non potiùs, cum ali-
,, quas eorum virtutes prodiderunt?
,, Potiùs ego dicam, falſa eſſe, & adu-
,, lationis ergo fictas fuiſſe laudes, for-
,, titudinem, miraque facta, quæ de
,, Diis narrant, facta autem, & flagi-
,, tia vera eſſe. Nemo enim, qui ali-
,, quem laudare aggreditur, ejus vi-
,, tia extollit, ſed tegit quantum po-
,, teſt.

XIX. Verùm de talium Deorum impudicis geſtis judicium ſuſpendamus. Si vera non erant flagitia, quæ de Diis commenti erant Poetæ; cur Dii ipſi in eorum ſacris, ac ludis eadem repræſentari ſinebant? debuiſſent indigna hæc repræſentantes, ac Diis in eorum ſacris affingentes, punire. Cùm ergo id non fecerint, ſed talibus obſcænis Ludis delectati ſint, indicium eſt, vel eos talia reverà perpetraſſe, vel eos non eſſe Deos, qui approbarint ejuſmodi obſcænitates, à quibus homines honeſti abhorrere conſueverunt. Ità S. Auguſtinus rem hanc pertractans lib. 2. de Civit. Dei c. 8.: & c. 29. addit. *Quo pacto igitur*, inquit, *Deos, qui talibus delectantur obſequiis, haberi putas in numero ſanctarum poteſtatum, cum homines, per quos eadem aguntur obſequia, non putaſti habendos in numero Civium Romanorum?*

Digitized by Google

rum? Adeo enim ërant turpia Sacra, quæ Diis peragebantur, ut ii, per quos fiebant, infames eſſent, & Romani dedignarentur, eos numero civium quocumque modo adſcribere.

XX. Ridiculam tandem de Diis Paganorum opinionem ſugillat Lactantius. *Lib. 1. Inſt. cap.* 8. ex diverſitate ſexuum, quam eis affingunt, & quòd credant, eos, qui ex maris, & fœminæ congreſſu prognati ſunt, Deos eſſe. Dii enim ſi ſunt, immortales, & æterni eſſe debent. Quid enim altero ſexu egent, cum ſucceſſio eis neceſſaria non ſit, qui futuri ſunt ſemper? Hoc idem argumentum tractant ex Chriſtianis Arnobius *lib.* 3. in principio, & ex Ethnicis Plinius *lib. 2. c.* 7., & Tullius *lib. 1. de Natura Deorum*.

XXI. Sed præſtat, iterum audire Lactantium *libro cit. c.* 16. ita ratiocinantem. ,, Si ënim Dii Matrimonio juncti filios procreant; vel ergo iis naſcuntur quotidie filii novi, cùm non vincantur ab hominibus fæcunditate: & ſic innumerabilium Deorum plena ſunt omnia, nullo ſcilicet moriente. Cur ergo tam pauci coluntur? niſi fortè arbitrêmur, non generandi causâ, ſed tantummodo capiendæ voluptatis causâ duos eſſe ſexus Deorum, & ea exercere, quæ homunculos, & facere, & pati pudet? Cum verò dicantur aliqui ex aliquibus nati, conſequens eſt, ut ſemper naſcantur, ſiquidem aliquando ſunt nati. Vel ſi aliquando naſci defierunt, ſcire nos convenit, cur, aut quando deſierint. Quid ergo eſt (non illepidè inquit Seneca in lib. Moral. Philoſophiæ) quare apud Poetas fallaciſſimus Juppiter deſierit liberos tollere? Utrum ſexagenarius factus eſt? & illi lex Papia fibulam impoſuit? an impetravit jus trium liberorum? an tandem illi venit in mentem: ab alio expectes, alteri quod feceris (Publius Syrius in Collect.) & timet, ne quis ſibi faciat, quod ipſe Saturno? hactenus Lactantius.

XXII. Qui duobus invictis ratiociniis ſequentibus concludit primò. ,, Si duo ſunt ſexus Deorum, ſequitur concubitus. Et ſi coeunt; & domos habeant neceſſe eſt; nec enim carent virtute, aut pudore, ut hoc promiſcuè, aut in propatulo faciant, ſicut muta videmus facere animalia. Si domos habent, conſequens eſt, ut Urbes habeant. Si habent Urbes, & agros igitur habëbunt. Jam quis non videt, quæ ſequuntur? arare illos, & colere, quod quidem victus causa fit. Ergo mortales ſunt. Quod argumentum retroverſum idem valet. Si enim agros non habent; ne Urbes quidem. Si Urbes non habent, ne domos quidem. Si domibus carent, ergo & concubitu, ſi concubitus ab his abeſt, ergo & ſexus fœmineus. In Diis autem videmus fœminas eſſe, ergo Dii non ſunt. Secundò: ex duobus ſexibus alter fortior, alter infirmior eſt: Robuſtiores enim mares ſunt, fœminæ imbecilliores: imbecillitas autem non cadit in Deum: ergo nec fœmineus ſexus. Cum ergo in Diis fœminæ ſint, Dii non ſunt.

XXIII. Paganorum quoque inſania evinci poſſet ex diſcordia opinionum, quam de ſuis Diis habebant. Quot enim ferè gentes erant, tot etiam Deos confingebant, & qui uni genti Deus erat, alteri, victima Deo ſuo offerebatur, alteri execrationi erat. Quod argumentum fusè proſequitur D. Athanaſ. citato loco num. 25. Accedit, quòd aliqui eò impietatis devenere, ut ipſos quoque homines, quorum Dii ſimulacra, & imagines ſunt, ſuis falſis Diis immolarint, non advertentes miſeri, victimas, quas jugulant, Deorum, quos effingunt, archetypa, atque exemplaria eſſe, & præſtantiora deterioribus ſe immolare. Quod latè tractat Lactantius *lib. 1. Inſt. cap.* 21. Satis enim, ſuperque iſtis inſaniis detenti ſumus, ut mirum ſit, quomodo ferè totus orbis tanto tempore illis captus fuerit.

§. III.

Digitized by Google

§. III.

Pro Paganis aliqua adducuntur.

XXIV. Contra ea, quæ diximus, fortè poſſet ſe tueri Paganus ſic. Cur vos Chriſtiani de pluralitate Deorum nos arguitis, qui in veſtra Trinitate tres Perſonas, haſque divinas fatemini? Cur nos irridetis, quòd ex Diis, unum ab alio genitum, nimirùm ex Jove Palladem aſſerimus, qui inter Trinitatis Perſonas unam dicitis Patrem, generantem filium; huncque unâ cum Patre, tertiam Perſonam, quæ Spiritus Sanctus eſt, producentem aſſeritis?

XXV. Reſpondeo, nos quidem in Sancta Trinitate tres diſtinctas Perſonas venerari; has tamen fatemur eſſe ſubſtantialiter unum Deum, non tres Deos, ut vel ipſis infantibus conſtat. Fatemur quoque, in Deo eſſe Patrem, & eſſe filium à Patre genitum, at non generatione carnali ex concubitu Maris, & fœminæ, ut impiè Pagani de ſuis Diis commenti ſunt: Sed generatione intellectuali, quomodo ab intelligente procedit Verbum. Aſſerimus inſuper, hunc Filium, ſeu Verbum genitum non eſſe Creaturam, neque Deum diverſam ſubſtantiam accipientem. Sed ejuſdem prorsùs naturæ, & conſubſtantialem Patri, qui eandem prorſus naturam, quam ipſe habet, eidem communicat modo planè ineffabili. Porrò Spiritum Sanctum ex mutuo Patris, & Filii naturali amore in eâdem Divinitate procedere dicimus: haſque tres divinas Perſonas ſemper ſibi mutuò coextitiſſe. Ità S. Cyrillus Juliano ſimilia objicienti, tum *lib. 4., tum lib. 8. contra Julian.* reſpondebat.

XXVI. Secundo. Opponent Pagani, ſe admiſiſſe quidem plures Deos, attamen ſupra iſtos cognoviſſe unum Deum, cujus cæteri Dii eſſent quaſi Virtutes. Ita maximus Madaurenſis ad S. Auguſt. *epiſt.* nunc 16. olim 43. Idem ſentit Seneca *lib. 4. de beneficiis c. 7.* Quare Lactantius lib. 1. inſtit. c. 11. *Convicti*, inquit, *de uno Deo, cum id negare non poſſunt, ipſum ſe colere affirmant; verùm hoc ſibi placere, ut Juppiter nominetur.*

XXVII. Scio emunctioris naris Gentiles crediſiſſe, unum eſſe Deum, ſaltem principem. Verùm dum multiplicarunt alios Deos, eum *non ſicut Deum glorificaverunt, ſed commutaverunt veritatem Dei in mendacium, & ſervierunt creaturæ potiùs, quàm creatori. Ut ait* Paulus *Rom. 1. v. 25.* Dum & illum ſummum Deum, quem Jovem nominabant, non concipiebant, ſicut decet Verum Deum, & Virtutes illas, à ſummo Deo per totum mundum diffuſas, quæ certè creaturæ Dei ſunt, tanquam Deos colebant. Inſuper ſibi ipſis contradicebant, cum eas vocabant Deos, & à ſummo Deo factas, ejuſque miniſtras eſſe aſſerebant. Quare ſupracitatus Maximus Epiſtolam ſuam ad Auguſtinum claudebat ſic. *Dii te ſervent, per quos & eorum, atque cunctorum mortalium Communem Patrem, univerſi mortales, quos terra ſuſtinet, mille modis concordi diſcordiâ veneramur, & colimus.* Quomodo ergo veri Dii eſſe poterunt, qui cum mortalibus communem Patrem habere dicuntur? quomodo veram Divinitatem habere poterant, qui à Deo facti dicebantur?

Rurſus Plato apud D. Auguſt. *l. 13. de Civit. Dei c. 16.* Deos à ſummo Deo factos, dicebat eſſe corporeos; imò colligatione animæ, & corporis naturâ ſuâ eſſe mortales, ac ſolâ voluntate ſummi Dei factos immortales. Porrò quales Dii erant iſti, qui nedum ab alio facti erant, ſed inſuper corporei, & naturâ mortales, ab alterius gratioſâ Voluntate acceperant immortalitatem?

XXVIII. At inquies, Deos Paganorum fuiſſe, ſicut apud nos Catholicos bonos Angelos, & Sanctos; hos enim veneramur, & colimus, non tanquam ſummum Deum, ſed tanquam ſummi Dei Miniſtros, vel amicos, & ſervos. Sicut autem Pagani ab uno Deo unam rem, ab alio aliam, puta à Cerere fruges, à Bacchо vinum petebant,

quia

Digitized by Google

quia exiſtimabant, unum uni rei, alterum alteri præſidere: ità & nos ab uno ex ſanctis, rem unam, ab alio aliam petere ſolemus. Vel ergo Pagani, ſaltem ſapientiores, damnandi non ſunt, vel damnandi cum eis nos Catholici erimus.

XXIX. Similia opponebat Maximus ſupra relatus; cui S. Auguſtinus epiſt. 17. olim 44. reſpondet. *Ad ſummam tamen, ne te hoc lateat, & in ſacrilega convitia imprudentem trahat, ſcias à Chriſtianis Catholicis, quorum in veſtro Oppido etiam Eccleſia conſtituta eſt, nullum coli mortuorum, nihil denique ut Numen adorari, quod ſit factum, & conditum à Deo, ſed unum ipſum Deum, qui fecit, & condidit omnia.* Veneramur etiam ergo nos Catholici, & aliquem cultum honoris præſtamus Angelis, & Sanctis, eos paritèr invocamus, & adjutores poſcimus: at non tanquam Deos, ac numina adoramus, quaſi ab eis aliquid principaliter expectantes, ſed ut per eorum, qui Dei amici ſunt, & coram ipſo adſtant, merita, & interceſſiones, ab ipſo Deo, quod petimus, reportemus. Hinc Fauſto Manichæo ſimilia obiicienti apud D. Auguſt. *lib.20. contra Fauſtum.* c. 4. his verbis. *Sacrificia eorum* (Deorum) *vertiſtis in Agapes, Idola in Martyres, quos votis ſimilibus colitis.* Reſpondet S. Auguſtinus ibi c. 21. *Populus Chriſtianus memorias Martyrum Religioſâ ſolemnitate concelebrat, & ad excitandam imitationem, & ut meritis eorum conſocietur, atque orationibus adjuvetur. Ita tamen, ut nulli Martyrum, ſed ipſi Deo Martyrum ſacrificemus, quamvis in memoriis Martyrum conſtituamus altaria.*

XXX. Sanctus item Cyrillus lib. 6. contra Julianum id exprobrantem. *Sanctos porrò* (inquit) *Martyres, neque Deos eſſe dicimus, neque divino cultu ſcilicet illos adorare ſolemus, ſed affectus, & honoris.* Et infra: *Nos autem, uti dixi, Sanctos Martyres non dicimus fuiſſe Deos, ſed illos omni veneratione proſequi ſolemus, eorumque loculos veneramur &c.* Hinc patet maximum diſcrimen inter Paganorum Deos, & Sanctos noſtros: Non enim Sanctos nos dicimus eſſe Deos, nec eis divinum cultum præſtamus, ſed veneramur tanquam Dei ſervos, & amicos, neque illis Templa, aut altaria ſicut Diis erigimus, neque ſacrificia offerimus, ſicut Pagani. Sed colimus, & veneramur cultu honoris, non ſervitutis, non enim ſanctis, ſed uni Deo ſanctorum & noſtro ſervimus, & ſacrificamus, quamvis in eorum memoriis altaria conſtituamus.

XXXI. Quòd ſi ad aliquem eorum pro una neceſſitate potiùs, quàm ad alterum aliquando confugimus, hoc non ideo eſt, quia putemus, unum præſidere uni rei, alterum alteri: ſed quia Deum, qui dividit omnia ſingulis prout vult, rem aliquam potiùs ad unius Sancti interceſſionem, quàm alterius concedere experti ſumus. Cæterum omnes pro quacumque re generalitèr interceſſores apud Deum cognoſcimus. Præſtat audire S. Auguſtinum *ep.* 137. olim, nunc verò 78. ubi oſtendens, cur in aliquibus memoriis Martyrum aliqua miracula fiant, quæ in aliis non fiunt, ait: *Sicut enim quod Apoſtolus dicit: Non omnes Sancti habent dona curationum, nec omnes habent dijudicationem ſpirituum: ità nec in omnibus memoriis ſanctorum, iſta fieri voluit ille, qui dividit propria prout vult.* Verùm Pagani ex ſuis Diis ità unum præſidere uni rei putabant, ut alterum, quæ ſub præſidentia alterius Numinis eſſent, dare non poſſet, ut advertit S. Auguſtinus lib. 6. *de Civit. Dei c.* 1. propterea concludens: *Porrò ſi à Cerere vinum, à Libero panem, à Vulcano aquam, à Lymphis ignem petere, erroris eſt; quanto majoris deliramenti eſſe intelligi debet, ſi cuiquam iſtorum pro vita ſupplicatur æterna?*

XXXII. Accedit; Summam eſſe differentiam inter Deos Gentilium, & Sanctos noſtros. *Sacra enim* (inquit Cyrillus lib. 6. contra Julian.) *ipſi fecerunt hominibus, iiſque flagitioſis, & impudicis, omnique vitio laborantibus, qualis Juppiter Adulter, ſtuprator Hercules,* Ve-

Venus impudica &c., *aliique aliis vitiis inſignes: adeò, ut Antiſthenes Socratis familiaris, Diogeniſque Præceptor, qui fecit temperantiam quàm maximi, hæc de Venere dixiſſe narretur: Ego ſi Venerem capere mihi liceat, jaculis nihil moratus transfigam, quando honeſtas, probaſque, una hæc nobis mulieres corrupit.* Noſtri verò, quos colimus Sancti, fuere viri pietate, ac heroicis Virtutibus inſignes, quorum aliqui pro veritate ſtrenuè certaverunt, & ſinceritatem fidei eòuſque ſervarunt, ut animam ipſam propter Deum contemſerint, & virtutis adeò mirabilis ſe ipſos veluti quaſdam imagines vitæ hominum propoſuerint; quare concludit S. Cyrillus: *Nihil eſt abſurdi, imò neceſſe erat, eos, qui tam claris facinoribus excelluerunt, ornari perpetuis honoribus.*

XXXIII. Ex dictis apparet etiam quantum ſit diſcriminis inter ſimulacra, & Idola Paganorum, & Imagines Sanctorum. Nam Pagani Idola ſua colebant ut numina, eis ſacrificia offerebant, & divinitatem illis adeſſe putabant, tandemque erant imagines, aut beſtiarum, aut hominum flagitioſorum, quos execrari debuiſſent potiùs, quàm colere. At Imagines Sanctorum, nec colimus ut numina, nec iis divinos honores deferimus, aut aliquam illis adeſſe vim numinis exiſtimamus, ſed ſolum in illis veneramur, & colimus, cultu tamen honoris, eos, quos repræſentant, & quorum ſunt imagines, viros, inquam, quos pietas, ſanctitas, & Dei amicitia honorabiles reddidit. In his oportuit pauliſper immorari, ut obſtruamus ora Proteſtantibus, qui propter Sanctorum cultum, & Imaginum venerationem, nos cum Idololatris confundere conantur.

XXXIV. Tertiò. Pagani reponebant, plura à Diis ſuis ſe confecutos fuiſſe; ab illis accepiſſe oracula, & reſponſa; Deorum ſimulacra fuiſſe locuta, ventura prædicendo, ac mirabilia multa patraſſe: quæ omnia inſidentis in eis divinitatis argumentum fuere.

Reſponderi poteſt primò, negando, Idola voces humanis ſimiles reverà unquam edidiſſe; ſed ea, quæ tanquam oracula, aut Deorum reſponſa fatidici venditabant, nimiùm credulos capientes, aſtutiâ, & fraudibus ſacerdotum numinis intus loquentium accidiſſe; & plerumque etiam ex forti imaginatione adſtantium, dum ventus ingrueret per rimas, aut humiditate, vel ſiccitate nimiâ ligna illa crepitus ederent, ſuſpiria, & quaſdam quaſi voces audiri exiſtimaſſe. Ità ſenſit Plutarchus, cui Titus Livius ſuffragatur, qui pro fabula reputat, Junonis ſimulacrum fuiſſe locutum, & interroganti cuidam, num vellet Romam ire, auditum fuiſſe reſpondere, *ſe velle*. Ariſtoteles tribuit humori melanconico divinationes illas, quia, qui illo abundant, ingenio magis valent, eo quòd acrimonia atræ bilis contrahat ſpiritus, ut obſcura, difficiliaque meliùs perſpiciant. Sed communiùs creditum fuit, fraudibus humanis oracula conſtitiſſe. Has adumbravit Cœlius Calcagninus in ſuo de oraculis libello. Dixeris etiam, vel illud ſuſpecta reddere oracula, quòd plerumque ità eſſent ambigua, ut vel ad utramque partem trahi poſſent, vel ad eorum intelligentiam altero opus eſſe oraculo videretur. Ita, qui ea omnia fictitia fuiſſe, arbitrati ſunt.

XXXV. Verùm quia de Diis, eorumque ſimulacris aliqua prodigioſa narrantur, quæ humanum viſa ſunt excellere, & quæ talia viſa ſunt etiam hominibus vafris, nec admodum credulis, qui ea venerant exploratum, & fraudes facilè detexiſſent; Ideo reſpondent ſecundò alii, cauſas talium mirabilium, & etiam oraculorum fatidicorum fuiſſe Dæmones. Ita Porphyrius *Lib. de Dæmonibus*, & Jamblicus *de myſteriis ſect.* 3. *c.* 18. 19., & 20. ubi oſtendit divinationis cauſam eſſe, vel Deum, vel Angelos, vel Dæmones, non vatem, aut animam humanam vi Phantaſiæ, & Lactantius Firmianus *lib.* 2. *Inſtit.* poſtquam *c.* 8. admiſit ut verum, ſimulacrum fortunæ non ſemel locutum; Item Junonis Monetæ Juve-

ni

Digitized by Google

ni illam interroganti, num vellet Romam ire, reſpondentis *ſe Velle:* deinde *cap.* 17. ubi agit de Dæmonibus, eorumque fallacibus inventis, atque portentis: *Offundunt* (inquit) *tenebras, & veritatem caligine obducunt, ne Dominum, vel Patrem ſuum norint, & ut illiciant facilè, in Templis ſe occulunt, & ſacrificiis omnibus præſto adſunt, eduntque ſæpè prodigia, quibus obſtupefacti homines fidem commodent ſimulacris divinitatis, ac Numinis. Inde eſt quòd ab augure lapis novaculâ inciſus eſt, & quòd Juno Vejenſis migrare ſe Romam velle reſpondit &c.*; & Auguſtinus ipſe *lib.* 4. *de Civit. Dei c.* 19. loquens de Fortunæ muliebris ſimulacro, quod dicebatur fuiſſe locutum, ait: *Quod quidem ſi verum ſit, mirari nos non oportet: non enim malignis Dæmonibus etiam ſic difficile eſt fallere.*

XXXVI. Porrò Dæmones mirabilia multa facere poſſe, vel immutando phantaſiam interiùs, & alios corporeos ſenſus, vel exteriùs aliquod Corpus formando, variaſque figuras aſſumendo, docet Div. Thom. 1. *p. qu.* 114. *a.*4. *ad ſecundum; quæſt.*16. *de Malo a.* 9. *ad ſecundum*, & alibi: & hoc pacto poterant etiam aliqua futura vaticinari, cùm aliqua futura in ſuis cauſis prænoſcant, ea nimirùm, quæ ut in pluribus evenire contingit, ut docet idem S. Thomas 1. *p. q.* 57. *a.* 3. Quia tamen hæc non certò cognoſcunt, & multò minus ſi prorsùs contingentia ſint, & libera; ut docet idem S. Doctor 1. *p. q.* 14. *a.* 13., *& q.* 57. *a.* 3. hinc erat, quòd Oracula verbis ambiguis conciperentur, obſcuris, ac perplexis, ut illa viderentur malè intellecta, ſi eventus non reſponderet.

XXXVII. Poteſt etiam dici, non eſſe abſurdum credere, divinâ diſpenſatione aliquando fuiſſe permiſſum, ut dum conſuleretur Dæmon, certa, ac vera reſponſa haberentur, ſicut Saul conſulens Dæmonem per Pythoniſſam certum ſuæ mortis oraculum accepit. *Non enim*, ait S. Thomas 2. 2. q. 172. a. 6. ad primum, *Prophetæ Dæmonum ſemper loquuntur ex Dæmonum revelatione, ſed interdum ex inſpiratione divina, ſicut manifeſtè legitur de Balaam, cui dicitur Dominus eſſe locutus Num.* 22. *licèt eſſet Propheta Dæmonum, quia Deus utitur etiam malis ad utilitatem bonorum. Unde per Prophetas Dæmonum aliqua vera prænunciat. Tum ut credibilior fiat veritas, quæ etiam ex adverſariis teſtimonium habet. Tum etiam, quia cum homines talia credunt, per eorum dicta magis ad veritatem inducuntur: Unde etiam Sybillæ multa vera prædixerunt de Christo. Sed etiam quando Prophetæ Dæmonum à Dæmonibus inſtruuntur, aliqua vera prædicunt, quandoque quidem virtute propria naturæ, cujus eſt auctor Spiritus Sanctus; quandoque etiam revelatione bonorum ſpirituum, ut patet per Auguſtinum* 12. *de Gen. ad litteram c.* 19. Hæc D. Thomas, qui aliqua per bonos Angelos Dæmonibus revelari docuerat. 1. *p. q.* 64. *a.* 1., & alibi.

XXXVIII. At dices: Saltem virtute Dæmonum miracula patrari non poterant: Leguntur autem multa à Diis Paganorum edita. Appollonius Tyaneus multa egit mirabilia. Coram Domitiano loquens evanuit ab oculis adſtantium. Puellam Romæ defunctam revocavit ad vitam. Cùm Templum ingreſſus eſſet, valvis repentè accluſis diſparuit, nec unquam viſus eſt: ibique auditæ Virginum voces in hunc modum *Veni, veni, in Cœlum veni*, aliaque relata à Philoſtrato. De Veſpaſiano refert Tacitus *Hiſt. lib.* 4. *c.* 81. cæcum, & manu ægrum ſanaſſe. De Hadriano, cæcæ mulieri viſum reſtituiſſe, Pannonium natum cæcum Hadrianum febricitantem contigiſſe; quo facto, & Hadrianum febris reliquit, & cæcus viſum recepit, ut narrat Spartianus. Claudia Veſtalis ingentem navem cingulo traxit, alia item Veſtalis aquam cribro pertuſo geſtavit. Quæ omnia quid aliud ſunt, niſi prodigia, ſolâ virtute, quæ verè divina ſit, factibilia?

XXXIX. Reſpondeo, illa non fuiſſe

ſe vera miracula, ſed ludificationes Dæmonum, ſenſus hominum perſtringentium, vel non fuiſſe opera totam naturæ creatæ vim excedentia. Quod dicitur de Appollonio Tyaneo, qui tot præſtigiis miſerorum oculos faſcinavit, ut pro Deo habitus ſit, à Hierocle comparatus Chriſto (Unde Alexander Imperator, Chriſti, & Appollonii imagines inter ſuorum Deorum ſimulacra collocavit, pari honore utrumque proſecutus) Is fuit inſignis Magus, ejuſque prçſtigias recenſet, ac detegit Euſebius (ſicut & Philoſtrati mendacia) in libro, quem edidit contra Hieroclem. Quòd enim à conſpectu Domitiani evanuerit, quòdque diſparverit, nec amplius viſus ſit, fabulam reputat, quamvis & hoc ope Dæmonum fieri potuiſſet. Quòd autem Puellam à morte revocarit ad vitam, Philoſtrato ipſi videtur incredibile: ratiocinatur enim dubitando, num vitalis auræ ſcintilla intra Puellam compreſſa medicos delituerit, quæ mox pluviâ ingruente reviviſcens, atque excitata in vultu reſpirantis Puellæ prodita ſit. Videri poteſt Euſebius lib. citato contra Hieroclem, omnia, quæ de Appollonio narrat Philoſtratus, vel fabuloſa eſſe, vel magicis præſtigiis conficta, ſolidis argumentis oſtendens, adeò ut Euphrates Philoſophus, aliique Appollonium magiæ accuſarint coram Domitiano.

XL. De Veſpaſiano etiam refert Tacitus ipſe, homines ab eo ſanatos, cæcum ſcilicet, & manu egrum, non fuiſſe arte humanâ inſanabiles. *Medici variè diſſerere: huic non exeſam vim luminis, & redituram, ſi pellerentur obſtantia: illi elapſos in pravum artus, ſi ſalubris vis adhibeatur, poſſe integrari.* Hæc Tacitus. Si ergo uterque arte medicâ ſanari poterat, quantò citiùs arte Dæmonis?

XLI. De Hadriano Spartianus, qui factum narrat, ſubdit, *quamvis Marius Maximus, hæc per ſimulationem facta commemoret*, ideſt *per incantationes, & magica remedia ad morbum Hadriani levandum adhibita*: ut interpretatur Dio.

Verùm Salmaſius (hiſtor. Auguſtæ in Spartianum) ità ſcribit: *Omnia, quæ hic Spartianus narrat verè facta, ea Marius Maximus ſimulata, & ficta eſſe commemorabat, & ad hoc tantùm excogitata ab Antonino Pio* (quem Hadrianus adoptaverat) *ut Hadrianus in ſpem recuperandæ ſalutis induceretur, qui ideo ſe occidere tentabat, quòd eam recuperare poſſe deſperaret. Hoc ut prohiberet Antoninus, & Hadrianum bono animo eſſe juberet, quaſi brevi convaliturum, hac illum arte, & ſimulatione aggreſſus eſt. Induxit mulierem quandam, quæ diceret, ſomno ſe monitam, ut inſinuaret Hadriano, ne ſe occideret, quòd eſſet benè valiturus: quod cum non feciſſet, eſſe cæcatam: juſſam tamen Hadriano hæc eadem dicere, & genua ejus oſculari, recepturam viſum, ſi ità feciſſet. Induxit & Pannonium quendam veterem cæcum, qui à febriente Hadriano tangeretur ad viſum recipiendum. Quo facto, & illam oculos recepiſſe, & ab Hadriano febrem diſceſſiſſe. Hæc ſunt, quæ per ſimulationem facta commemorabat Marius Maximus.* Hactenus Salmaſius.

XLII. De duabus autem Veſtalibus, unâ cingulo trahente ingentem navem, alterâ cribro aquam geſtante, id arte, & ope Dæmonum factum aſſerit Lactantius *lib. 2. Inſtit. c. 17.* Verùm etſi darem, id, quod de duabus Veſtalibus narratur, fuiſſe verum miraculum divinâ virtute patratum: Quid ex hoc pro Paganis? Miracula illa (ſi fuerunt vera) non fuerunt edita in teſtimonium veritatis religionis Paganicæ, & divinitatis idolorum; Sed innocentiæ, & caſtitatis illarum Veſtalium immeritis Calumniis oppreſſæ. Quid ergo mirum, ſi Deus, cui adeò cara Virginitas eſt, in teſtimonium illius etiam in fæminis Paganis poſitæ miraculum adhibuerit? Equidem ſicut uſus eſt Sybillis, ut teſtibus veritatis Chriſtianæ, cur item non poterat illis fæminis uti ad teſtimo-

Digitized by Google

monium Virgineæ integritatis? ſanè ſi brutis interdum, causâ juſtâ accedente, etiam miraculosè opem tulit; cur non idem credi poteſt in fœminis illis, quæ, etſi Religione infideles, in caſtitate tamen ſervarunt fidem? *Operatur* (inquit Sanctus Thomas 2. 2. q. 178. a. 2.) *ea* (miracula) *Deus ad hominum utilitatem; & hoc dupliciter. Uno quidem modo ad veritatis prædicatæ confirmationem; alio modo ad demonſtrationem ſanctitatis alicujus, quam Deus hominibus vult proponere in exemplum virtutis. Primo modo miracula poſſunt fieri per quemcumque, qui veram fidem prædicat, & nomen Chriſti invocat, quod etiam interdum per malos fit. Et ſecundùm hunc modum etiam mali poſſunt miracula facere. Secundo autem modo non fiunt miracula, niſi à Sanctis, ad quorum ſanctitatem demonſtrandam miracula fiunt, vel in vita eorum, vel etiam poſt mortem, ſive per eos, ſive per alios &c.* Cùm ergo in Veſtalibus illis ea, quæ narrantur, prodigia, facta fuerint ad veritatis aſſeriæ, nimirùm Virginitatis confirmationem, & inſuper in demonſtrationem (non quidem Sanctitatis) virtutis nempe Virginitatis earum, non video, quin potuerint eſſe vera miracula divinâ virtute facta. Quamobrem ad rem noſtram idem Angelicus *q. 6 de potentia ar. 5. ad quintum* loquens de Veſtali aquam in vaſe perforato de Tyberi portante, nec tamen effuſam, ait: *non eſt remotum, quin ſit in commendatione caſtitatis, quòd Deus verus per ſuos Angelos bonos hujuſmodi miraculum per retentionem aquæ feciſſet; quia, ſi quæ bona in Gentilibus fuerunt, à Deo fuerunt.*

DUBIUM IV.

De Polytheiſmo, & Idololatria Hebræorum.

§. I.

De Idololatria Vituli in Deſerto.

I. Hebræos fuiſſe in Idololatriam nimiùm pronos teſtantur ſcripturæ, quæ paſſim per Prophetas de hoc crimine ipſos reprehendunt. Morbum hunc in Ægypto, ubi ſervierunt per multos annos, contraxere, eoque identidem laboraverunt poſiti in Terra Promiſſionis, pravo exemplo vicinarum Gentium, quæ Idololatriæ ſerviebant, & quibuſcum frequentèr converſabantur, permoti. Celeberrimus Idololatriæ actus in Populo Hebræo fuit, qui narratur *Exodi* 32. ubi, Moyſe trahente moram in Sina coram Deo, Populns tædio affectus, ac moræ impatiens, petiit ab Aarone, ut ipſi faceret Deos, qui illum præcederent in itinere per Deſertum, exiſtimans fortè, Moyſen veluti à Deo raptum, non ampliùs rediturum. Quibus Aaron nimiùm indulgens, ex inauribus, ac monilibus fœminarum conflatum Vitulum aureum populo clamanti *v.* 4. *Hi ſunt Dii tui Iſrael, qui te eduxerunt de terra Ægypti*, propoſuit adorandum: ſequitur enim *v.* 5. *quod cum audiſſet Aaron ædificavit Altare coram eo, & præconis voce clamavit dicens: Cras ſolemnitas Domini eſt. Surgenteſque mane obtulerunt holocauſta, & hoſtias pacificas.* Quærimus ergo, in adoratione hujus Vituli, qui actus ingentis Idololatriæ fuit, & propterea ſeverè à Deo punitus, quò directa fuerit illius Populi adoratio, ſeu quid intenderit in Vitulo illo adorare.

II. Occaſionem huic quæſito dedit Calvinus, qui tùm in Commentariis ad dictum Caput Exodi, tùm in *lib.* 1. *Inſt. c.* 11. *§.* 9., & 10. aſſeruit, Hebręos in illo Vitulo ſibi repræſentaſſe,

Digitized by Google

& coluiſſe verum Deum; concludens. *Nibilominus & Deum æternum Judæi unum, verumque Cœli, ac terræ Dominum ſub talibus Simulacris perſuaſi erant ſe colere:* & hac ratione Idololatras fuiſſe, non quia falſum Deum colerent, ut Gentiles, ſed quia, etſi verum Deum colere intenderent, illum tamen ſub imagine ſenſibili colere voluerunt. Hoc autem Hæreſiarcha iſte excogitavit, ut inde inferret Idololatriæ crimen nos non effugere, qui licèt verum Deum colere intendamus, illum tamen ſæpè colimus ſub imaginibus ſenſibilibus repræſentatum.

III. Calvinum ſequuntur ejus Gregales, inter quos Voſſius *lib. 1. de orig., & progreſſu Idololatr. c. 3.* arbitrans *Diſidæmoniam*, nimirùm ſuperſtitionem Numinis, & Idololatriam non ſolùm eſſe, cùm homo alium colere Deum in animum inducit; ſed etiam ſi cultum Religioſum mandato Dei adverſantem vero Deo præſtet, ut ſi in creatura tanquam ſymbolo divinum repræſentante numen, Deum verum adoret. Hanc, inquit, fuiſſe Idololatriam Iſraelitarum adorantium in Vitulo Deum, eandem fuiſſe Michæ in ſuo Simulacro, de quo *Judic. 17.*, & Jeroboam in ſuis Vitulis, quos in Dan, & Bethel conſtituit, ut legere eſt *3. Reg. 12. v. 28.* At longè aliter fuiſſe Idololatras Achabum, alioſque, qui adorando Baal, Aſtaroth &c., falſa numina adorabant, & non ſolùm verum Numen in imagine falſa, vel cultu irreligioſo. Ità Voſſius. Videndum modo eſt, an vera dicant hi Novatores.

§. II.

Quid adoraverint Hebræi in Vitulo aureo.

IV. Dico. Iſraelitæ adorantes Vitulum fuerunt Idololatræ, non præcisè, quia in illo, ceu in Symbolo, vel Imagine adoraverint verum Deum, ſed quia in illo intenderunt adorare, & colere falſum Numen, quale adorabant Ægyptii.

In prima parte hujus aſſerti dixi, Iſraelitas non *præcisè* fuiſſe Idololatras, quia in illo Vitulo adoraverint verum Deum: Non enim diffiteor, Idololatricæ ſuperſtitionis reum fore, qui ſub ſymbolo vetito, vel ſub imagine falſi Numinis verum Deum adorare præſumeret, & ob id etiam damnandos, ut in ſpeciem Idololatras Iſraelitas, ſi ſub Imagine Vituli inſtituta ad repræſentandum, & colendum falſum Numen Ægyptiorum, intendiſſent adorare verum Deum. Ideoque damnarem tanquam ſuperſtitionis reum, & vehementer de Idololatria ſuſpectum, qui ſub effigie bovis, vel aliquâ ignotâ imagine, aut ritu paganico intenderet colere verum Deum: quia quod naturâ ſuâ malum eſt, vel uſu, & conſuetudine ordinatum ad falſi numinis, & falſæ religionis proteſtationem, non poteſt intentione utentis cohoneſtari, dicente S. Auguſtino contra *Mendacium c. 7. ea, quæ conſtat eſſe peccata, nullo bono cauſa obtentu, nullo quaſi bono fine, nullâ velut bonâ intentione facienda.* Quapropter damnati à Clemente XI. ſunt ritus, & ceremoniæ, quas Neophiti Sinenſes exhibebant Confuſio, ac defunctis; etſi proteſtarentur, iis ſe colere, non Confuſium, aut defunctos, ſed verum Deum. Cùm ergo Hebræi adorando Vitulum, exteriùs adorarent, quod Ægyptii ſacrilegè adorabant, non juvaret illos bona intentio, nimirùm adorandi in illo Vitulo verum Deum.

V. Cæterum pro veritate cenſeo (& hæc eſt ſecunda pars aſſerti) Hebræos fuiſſe Idololatras, quia de facto in illo Vitulo intenderunt colere, & adorare *Apim*, aut *Serapin*, quem Egyptii adorabant, ut Deum in Bove, & Vitulo. Et probo ex eorumdem Hebræorum petitione, qui accedentes ad Aaron *Exod. 32. v. 1.* dixerunt *ſurge, fac nobis Deos, qui nos præcedant.* Volebant Deum ab homine factum, qui eos doceret viam per De-

ſer-

ſertum, quam neſciebant. Si autem intendiſſent petere ſymbolum veri Dei, non dixiſſent *fac nobis Deos*, ſciebant enim, Deum Iſraelis, & verum, non eſſe factibilem ab homine, ſed factorem omnium. Volebant ergo, ſibi faceret Deos, quos viderant in Ægypto, & quibus multi eorum fortè ſervierant. Quod evincitur facto. Aaron namque, eorum mente perceptâ, ſtatim conflavit eis Vitulum, eumque propoſuit adorandum. Sed quare Vitulum? Cur non potiùs columnam ad modum nubis, aut ignis, ſub quibus Symbolis eos præcedere verus Deus conſueverat? At ſciebat Aaron, eos velle Deum, ſicut viderant apud Ægyptios, ut dicit *Hieronymus in c. 4. Oſea*. Ægyptii autem colebant Bovem fæminam, ſeu Vitulam, Iſidi ſacram, nomine Apim, ac Serapin. Unde Vitulam potiùs, quàm Vitulum conflaſſe, veroſimile cenſent non pauci, colore nigram, quadratò in fronte candidam, ac maculatam in tergo, ut cenſet Herodotus, ſive in latere dextro, ut alii. Eum ergo voluerunt, quem colebant Ægyptii: at hi in Vitula non colebant verum Deum, ſed Bovem, Apim ſcilicet, ac Serapin; hunc ergo coluerunt, non verum Deum.

VI. Totum hoc confirmat factum Jeroboami, qui, ut averteret Populum à ſacrificando in Domo Domini in Jeruſalèm, fecit duos Vitulos aureos (more ſcilicet Ægyptio) dicens: *Ecce Dii tui Iſrael, qui te eduxerunt de terra Ægypti*, ut legitur 3. *Reg.* 12. *v.* 28. Poſuitque unum in Bethel, & alterum in Dan. Scio, Voſſium ſupra relatum velle, Jeroboamum hos Vitulos conflaſſe, ut Populus verum Deum in eis adoraret. Sed contrarium dicit Scriptura *ibi v.* 32. ubi legitur, Jeroboamum immolaſſe *Vitulis*: & *c.* 13. *v.* 9. Uxor Jeroboam increpatur ab Ahia Propheta his verbis: *Vade, & dic Jeroboam... operatus es mala ſuper omnes, qui fuerunt ante te, & feciſti tibi Deos alienos, & conflatiles*. Dii autem alieni, & conflatiles non erant verus Deus. Nec video, quomodo contrarium cuiquam ſuſpicari liceat: Si enim Jeroboam nil aliud voluit adorari in Bethel, & Dan, quàm Deum verum, qui in Templo Hieroſolymitano adorabatur: quare ibi poſuit Vitulas, & non poſuit Arcam ad formam illius, quæ ſedes Dei erat in Templo Hieroſolymitano?

VII. Verùm, etſi darem gratis Calvino, & Voſſio, Aaronem, & Jeroboamum non intendiſſe proponere Vitulas Populo, ut in eis adoraret falſum Numen Ægyptiorum, ſed ut in illo ſigno adoraret verum Deum: hoc enim fortè erui poſſet ex verbis illis Aaronis, *Exodi* 32. *v.* 5. clamantis: *Cras ſolemnitas Domini eſt*, non Vituli, ſeu Apis; & Jeroboami animum non alium fuiſſe, niſi ut Deum, quem Populus adorabat ſedentem ſuper Cherubim in Templo Hieroſolymitano, adoraret in Vitulis, quas poſuerat in Bethel, & Dan, ne eundo in Jeruſalem cor Populi averteretur ab eo ad Roboam; quod indicare videtur Joſephus *lib.* 8. *antiquit. Judaic. c.* 3. Nunquam tamen dabo, Populum in illis Vitulis adoraſſe Deum verum, ſed reverà in Vitulis More Ægyptiaco ſuam adorationem fixiſſe.

VIII. Hoc Demonſtrò. Obſervando primò, quòd Ægyptiis ſolemne erat Bovem, & Vitulum pro Deo colere: ut habetur *Exodi* 8. *v.* 25. Item hujus, ac cæterorum animalium, quæ colebant, effigies, & ſimulacra in ſuis templis habere conſueverant, ut refert Pomponius Mela *lib.* 1. *c.* 9., & Strabo *lib.* 17. 3. Tempore, quo Ægyptiis ſervierunt, plerique Hebræorum ſuperſtitiones Ægyptiacas imbuerunt, indeque quovis tempore propenſionem ad Idololatriam coluerunt; quæ reprehendunt Joſue 24. *v.* 14. *auferte Deos, quibus ſervierunt Patres veſtri in Meſopotamia, & in Ægypto*. Ezechiel. *c.* 20. *v.* 7. 8., & *c.* 23. *v.* 8. *Inſuper & fornicationes ſuas, quas habuerat in Ægypto, non reliquit*. Quomodo igitur credi poteſt, populum aſſuetum adora-

re

Digitized by Google

re bruta ut Deos, & propterea, ut ait Aaron Exod. 32. n. 22. *pronum ad malum*, propoſito ſibi Vitulo (quem ut Deum adoraverat in Ægypto) hunc non adoraſſe, ſed verum Deum in ipſo; eo vel maximè, quia putabat verum Deum, abſente Moyſe, ab eo receſſiſſe, ideoque dicebat: *fac nobis Deos, qui nos præcedant, huic enim Moyſi, qui nos eduxit de terra Ægypti, neſcimus quid acciderit?* ibi. v. 23.

IX. Manifeſtiùs hoc apparet ex verbis ipſius Dei ad Moyſen ibid. v. 7., & 8. *Peccavit Populus tuus* (Non ampliùs meus, cùm mè deſeruerit, ut exponit Hieronymus in c. 9. Danielis) *feceruntque ſibi Vitulum conflatilem, & adoraverunt, atque immolantes ei hoſtias, dixerunt: hi ſunt Dii tui Iſrael, qui te eduxerunt de terra Ægypti.* Rurſus ex verbis Moyſis *Deuteron. 32. v. 15.* ubi de populo Hebræo ait: *dereliquit Deum factorem ſuum, & receſſit à Deo ſalutari ſuo. v. 16. Provocaverunt eum in Diis alienis. v. 17. Immolaverunt Dæmoniis, & non Deo. v. 18. Deum, qui te genuit, dereliquiſti, & oblitus es Domini Creatoris tui.* Videri poſſunt Pſalm. 105. v. 19. 20., & 21., & Paulus 1. Cor. 10. v. 7. Quòd ſi Populus Hebræus non adoraſſet Vitulum, ſed in Vitulo verum Deum, quomodo dici poterat, quòd immolavit Vitulo, Dæmoniis, & non Deo, quòd dereliquit Deum, quòd oblitus fuit Dei, quòd provocavit Deum in Diis alienis?

X. Hoc idem teſtantur Patres. Hieronymus in c. 5. Amos ad illa verba: *Nunquid hoſtias, & ſacrificia obtuliſtis mihi in deſerto?* inquit, *ex hoc loco diſcimus, omnes beſtias, & ſacrificia, quæ in Deſerto obtulit Iſrael, non Deo obtuliſſe, ſed Moloch regi ſuo &c.* Teſtatur idem S. Auguſtinus enarrat. in Pſalm. 73. *Inde & Vitulus ille, quem adoravit Populus infidelis apoſtata quærens Deos Ægyptiorum, dimittens eum, qui liberavit de ſervitute Egyptiorum.* Item S. Baſilius Seleucienſis orat. 6. *Vitulum in Deſerto, ſicut in Ægypto adorabant.* In Ægypto autem non adorabant Vitulum ut ſignum veri Dei: Sed Vitulum adorabant ut Deum, eo modo, quo illum adorabant Ægyptii. Unde Philo Judæus libro de temulentia pag. 197., & lib. 3 de vita Moſis pag. 677. *Obliti*, inquit, *Dei veri, ceperunt æmulari figmenta ægyptia, facto juvenco aureo ad imitationem animalis ejus regionis ſacratiſſimi, cui prophana ſacra faciebant &c.*, & infra inducens Deum Moſi loquentem. *Deſcende*, inquit, *celeriter, populus ad impietatem prolapſus eſt; juvencum manu factum adorans pro Numine, & victimas ei Sacrificans oblitus omnium, quæ vidit, vel audivit &c.* Sed audiamus Adverſarios.

§. III.

Referuntur fundamenta Voſſii, & Calvini, & refutantur.

XI. Reſpondet Voſſius citato loco, Hebræos dici oblitos Dei: non quia à Deo receſſerint alium colendo Deum, ſed quia receſſerunt, & obliti ſunt ejus mandati: nimirùm colendi, ut oportet, & non in ſigno ſenſibili. Duplex enim, ait, eſt oblivio: una, quâ ſpecies omnino delentur ex animo, altera quâ ille non recoluntur, ut oportet, & homo ſe gerit, ac ſi non recordaretur. Hac ratione mulier obliviſci dicitur conjugis ſui, ſeu fæderis conjugalis, quando ſe ſe alteri proſtituit: & homo item dicitur oblitus Dei, & fæderis divini, cùm ſtultis cogitationibus indulgens alium colere Deum, vel in ſymbolo interdicto venerari præſumit. Hæc propriè oblivio non eſt, ſed quaſi oblivio, quia homo ſic agit, quaſi eſſet oblitus: nihilominus in ſcripturis hæc quoque Numinis oblivio nuncupatur. Ità Voſſius. Pulchra quidem doctrina, excerpta ex Bonaventura, & Richardo *diſt. 7. art. 3. q. 1. lib. 1.*

XII. Verùm hæc quid ad rem. Hebræos Vituli adoratores naturalem Dei, ac beneficiorum ejus oblivionem, ac

ac ſi ſpecies eorum ex ipſorum animis fuerint abolitæ, non fuiſſe paſſos, & ego confiteor. Sed voluntariâ oblivione beneficiorum Dei memoriam contriviſſe, ideſt beneficia Dei non recoluiſſe, ut oportebat, & ità ſe geſſiſſe, ac ſi eorumdem non recordarentur, & ſicut mulier voluntariè obliviſcitur viri ſui, quando alteri ſe tradit, ſic hebræos voluntariè oblitos ſuiſſe veri Dei, alteri Deo ſe tradendo, quâ ratione negatur? Fatetur Voſſius, Hebræos dici oblitos Dei, quia ſtultis cogitationibus inhærentes, Deum in ſymbolo interdicto venerari præſumſerunt. At cur non fatetur, eos oblitos Dei, quia Deum verum dereliquerunt, falſo Deo adhærendo? Utrumque dicit ſcriptura, & oblivionem, & oblivionis modum. *Oblitus es Domini Creatoris tui.* Ecce oblivionem. At quomodo? *Dereliquit Deum factorem ſuum: receſſit à Deo ſalutari ſuo: Provocaverunt eum in Diis alienis. Immolaverunt Dæmoniis, & non Deo. Deum, qui te genuit, dereliquiſti.* Ecce oblivionis modum. Certè derelinquere Deum, recedere à Deo, provocare Deum in Diis alienis, immolare Dæmoniis, & non Deo, non eſt præciſè venerari Deum in ſymbolo vetito: hoc enim eſt quidem recedere à mandato, & vero cultu Dei, ſed non à Deo; hoc non eſt provocare Deum in Diis alienis; hoc non eſt immolare Dæmoniis, & non Deo.

XIII. Dicit tamen Voſſius. Hoc non ex propoſito humano ſolùm penſandum eſſe, ſed ex natura rei, & judicio divino. Utcumque enim Iſraelitæ putarint, obſervantiam ſuam non in Vitulis ſiſti, ſed ad Deum referri: Deo tamen prorsùs averſante hunc cultum, & quaſi à ſe repellente, non potuit honos ille per Vitulos ad Deum transferri, ſed neceſſe fuit in Vitulis terminari: ideoque juſtè potuerunt increpari, quòd Deum dereliquerint; quòd immolarint Dæmoniis, & non Deo.

XIV. Sed contra. Quòd enim Deus averſatus ſit illum cultum, & quaſi ab illo receſſerit, non facit, ut Iſraelitæ per illum fuerint idololatræ, immolarint Dæmoniis, & non Deo. Actus quippe penſandus eſt ex objecto, & fine ex intentione operantis præfixo. Objectum autem illius cultus non fuiſſet Vitulus, ſeu Idolum, ſed Deus, finis etiam ab eis præfixus fuiſſet Deus, quia Judæi actu illo intendiſſent per Vitulum, ſeu in Vitulo adorare, & accedere ad verum Deum, non ab eo recedere, adorando alium. Quomodo ergo Deus potuiſſet illos increpare, quòd in Diis alienis ipſum provocarint, quòd Dæmoniis immolarint, & non ſibi? Sanè ſi omnis cultus à Deo rejectus, eſſet reverâ exhibitus alteri quàm Deo, dici poſſet, eoſdem Iſraelitas, peccantes in ſolemnitatibus, eaſque indebitè, licèt ipſi Deo, celebrantes, quas propterea Deus à ſe repulit (*calendas, & ſolemnitates veſtras odivit anima mea.* Iſaiæ 1. v. 14.) provocaſſe Deum in Diis alienis, & in earum ſacrificiis immolaſſe Dæmoniis, & non Deo: quin imò omni actu malo, utpotè à Deo rejecto, & ſiſtente in creatura, dici poſſet hominem fieri idololatram, & Dæmoniis immolare, non Deo. Cùm ergo per Moyſen pronunciaverit Deus, adoratores Vituli provocaſſe eum in diis alienis, immolaſſe Dæmoniis, & non ipſi, clarum eſt, eos honorem Deo debitum alteri à Deo contuliſſe, & non ſolùm veneratos fuiſſe verum Deum cultu indebito, & non ut oportebat: hæc enim eſt altera ſpecies ſuperſtitionis ab Idololatria diſtincta, ut dixi ex D. Tho. 2. 2. *q.* 93. *a.* 1., & 2.

XV. Dicunt ulteriùs Calvinus, & Voſſius, non eſſe credibile, Iſraelitas, recens egreſſos ex Ægypto, & prodigia in gratiam eorum edita ſub oculis habentes, eorum fuiſſe oblitos, aliumque Deum quæſiviſſe: *Deum quidem eſſe noverant* (inquit Calvinus lib. 1. Inſtit. c. 13. §. 8.) *cujus virtutem experti erant in tot miraculis: ſed propinquum ſibi eſſe, non confidebant, niſi oculis cernerent corporeum vultus ejus ſym-*

bo-

bolum . *A præeunte ergo imagine volebant cognoſcere*, *Deum itineris ſui eſſe Ducem* . Calvino ſubſcribit Voſſius. Quarè ſecundùm iſtos, cùm Iſraelitæ dixerunt Aaroni: *fac nobis Deos* (ſeu Deum) *qui nos præcedant*, idem fuit, ac dicere: fac nobis ſymbolum, quo dignoſcamus, Deum nos præcedere: & cum dixerunt: *Hi ſunt Dii tui Iſrael*, *qui te eduxerunt de terra Ægypti*, reſpexerunt ad verum Deum; quia falſi Dii eos non eduxerant. Hinc Aaron id audiens exclamavit: *Cras ſolemnitas Domini eſt*. Eò vel maximè, quia *Dii tui* Hebraicè ſonat *Elohim tui*, & ſatis conſtat, nomen *Elohim* tribui uni Deo Iſraelis. Ita Voſſius.

XVI. Sed infeliciter. Clamant enim contra ejuſmodi interpretationes, Scripturæ, & Patres ſupra relati. Certè vix credi poteſt, populum tot beneficiis cumulatum, dùm ea adhuc ſub oculis haberet, benefactori ſuo terga vertiſſe. Attamen verum fuit, ait Moyſes, Deuteron. 32. v. 15. *Incraſſatus eſt dilectus*, *& recalcitravit*: *incraſſatus*, *impinguatus*, *dilatatus dereliquit Deum factorem ſuum*, *& receſſit à Deo ſalutari ſuo*: beneficia, quæ Deo vero accepta referre debuèrat, corruptâ mente Diis Egyptiorum tribuit. Neque hoc in eo Populo mirum videri debet, ait S. Athanaſius: *in illud quicumque dixerit verbum* (modo Epiſt. 4. ad Serapionem) poſtquam enim arguit Hebræos, qui Dei opera à Chriſto patrata, dixerunt, eſſe opera Beelzebulis, ſubdit: *Verùm non inſolens eſt iſthæc eorum inſania*. *Si quidem horum Patres eâdem mente præditi*, *in Eremo*, *cùm nuper ex Ægypto egreſſi eſſent*, *Vitulo à ſe conflato*, *Dei erga ſe beneficia referentes*, *dicebant*. *Hi ſunt Dii tui Iſrael*, *qui te eduxerunt de terra Ægypti &c.*

XVII. Nec rèfert, quòd Aaron dixerit, *Cras ſolemnitas Domini eſt*. Nam Aaron hoc dixit, quia, vel fortè Vitulum quidem conflaverat, ut populo indulgeret, ſed in eorum inſaniam non conſenſerat. Vel, ut advertunt Lyranus, & Vatablus, quòd ſperaret Moyſen rediturum ante diem ſequentem, & feſtum Idoli mutaturum in ſolemnitatem veri Dei. Vel demum, ut notat Grotius *annot. in Exod.* ſuper hęc verba: quia ſperabat, Dei, quem colebant, ſpiritum in eam Imaginem venturum, ſicut de aſtrorum ſpiritibus gèntes aliæ ſentiebant.

XVIII. Nec nomen *Elohim* indicat, eos tunc ad verum Deum reſpexiſſe. Nam unde probat Voſſius, nomen *Elohim* ſoli vero Deo tribui? Hoc nomen, ut advertit Euſebius præparat. Evangel. lib. 11. c. 6. ab *El*, quod apud Hebræos robur, & poteſtatem ſignificat, impoſitum eſt. Falsò igitur putantes Hebręi, illius ementiti numinis robore, ac poteſtate ſe eductos ex Ægypto, dixèrunt: Hi ſunt *Elohim* tui.

XIX. Hæc pro veritate dixi. Cæterum, ut obſervavi ſuperiùs, etſi darem Calvino, & Voſſio hoc falſum, nimirùm Hebræos peccaſſe, quòd verum Deum adoraverint in Vitulo; non dabo tamen id, quod inferunt, peccare ſcilicet, ac Idololatriæ obnoxios eſſe omnes, qui Deum in Imaginibus venerantur, etiam Chriſtianos. Nam primò Hebræis datum fuerat præceptum de non facienda ſimilitudine ulla, quod præceptum, utpotè poſitivum, illos obligabat, non obligat tamen Chriſtianos. Secundò, quia Hebræi Symbolum Dei quæſiverunt in ſimulacro Paganico, & ritu Gentili Deum adorare præſumſerunt. At Chriſtiani in ſignum Dei aſſumunt eas ſimilitudines, & formas, ſub quibus Deus ipſe apparuit Prophetis. Tertiò, Hebræi, ut Calvinus ipſe fatetur, reſtringebant Dei præſentiam ad illud ſymbolum, nec propinquum ſibi eſſe credebant Deum, niſi oculis cernerent corporeum ejus ſymbolum. Ideoque cùm, moram trahente Moyſe in Monte, non ampliùs viderent Columnam ignis, aut nubis, ut priùs, quæ eos conſueverat præcedere, crediderunt, ſe à Deo derelictos. At catholici non hâc labo-

laborant inſaniâ. Deum ubique præſentem norunt, ſibi ſemper adeſſe credunt, quamuis per imagines magis excitentur ad ejus præſentiam conſiderandam; ſicut Hebræis data fuerat Arca, ut in ea ſpecialem Dei præſentiam conciperent, ac venerarentur; & Columna nubis per diem, atque ignis per noctem ſpecialem Dei præſentiam atteſtabatur. Quemadmodum ergo eſto vetitum ſit credere, ſic in Templo concluſam Dei præſentiam, ut alibi non ſit; non tamen vetitum eſt, habere Templa, atque Templum locum eſſe, cui ſpecialitèr Deus adſit, preces exaudiendo, nec propter abuſum aliquorum circa Templa, tollenda ideo Templa ſunt, ſicut Calvinus ipſe fatetur, qui *lib. 4. Inſtit. cap. 1. §. 5.* damnat proinde Xerſem, quòd *Magorum conſilio omnia ſuſtulerit Templa*, quòd *abſurdum putaret, Deos, quibus omnia patere debent, parietibus, & tegulis includi*. Eadem ratione non ſunt tollendæ imagines Dei, quia hoc non eſt *figere Deum terrenis mediis; ſed potiùs Vehiculis quibuſdam nos ſursùm efferre ad Deum in Cœleſti gloria contuendum*. Sed de his uberiùs, cum de ſacris Imaginibus, & earum veneratione ſermo erit.

§. IV.

De aliis ſpeciebus Polytheiſmi apud Hebræos.

XX. NOn in ſola Vituli Ægyptiaci adoratione ſtetit Idololatria Hebræorum; quin ad alias, eaſque inſaniſſimas ejuſdem ſpecies prolapſa eſt. Hi ergo, omiſſis aliis, apud Hebræos Polythei recenſentur: nimirùm Ranatitæ, Muſcaronitæ, Muſoritæ, Puteoritæ, Fortunatitæ, Tophetitæ, Molochitæ, Ramphanitæ.

XXI. *Ranatitæ*, Philaſtrio teſte, dicebantur, qui Ranas colebant: Cùm enim Moſis imperio infeſtatos ab illis Ægyptios vidiſſent, exiſtimarunt aliqui, hàc vanâ obſervantiâ iram ſe poſſe placare divinam.

XXII. *Muſcaronitæ*, ſic dicti à *Muſca*, & *Accaron*, erant apud Judæos, qui in Civitate Accaron Muſcas adorabant, ſeù potiùs Beelzebul Dæmoniorum Principem, qui erat Deus Accaron; dictus propterea Muſcarum Deus, quia fœdo Muſcæ colebatur Sacrificio. Ad hunc miſit Ochozias nuntios, eum conſulturus, an de infirmitate, quâ laborabat, convaleſceret. Verùm Elias divino monito ob id ei mortem prænunciavit 4. Reg. 1. v. 4. *Numquid non eſt Deus in Iſrael, ut eatis ad conſulendum Beelzebul Deum Accaron? Quamobrem de lecto, ſuper quem aſcendiſti, non deſcendes, ſed morte morieris*. Hunc indicarunt Phariſæi, cùm per contumeliam opera Chriſti Beelzebul aſcribebant, dicentes, Lucæ 11. v. 15. *In Beelzebul Principe Dæmoniorum ejicit Dæmonia*. Quos acutiſſimè redarguit Chriſtus.

XXIII. *Muſoritæ*, eodem Philaſtrio teſte, erant apud Judæos adoratores Murium. Hujus abominationis origo fuit hæc. Cum Philiſtiim Arcam Dei bello captam in Idolio Dagon repoſuiſſent, ut legitur 1. *Reg.* 5., *&* 6. aggravata eſt manus Dei ſuper illos; atque inter alias plagas ebullierunt villæ, & agri in medio regionis eorum, & nati ſunt mures. Quod videntes, de ſuorum Sacerdotum conſilio, remittentes Arcam, quinque Muribus aureis, juxta numerum Provinciarum Philiſtiim, eam donarunt. Qui mures maximo in honore à quibuſdam Judæis habiti, & tanquam numina culti fuere; propterea Muſoritæ vocati ſunt.

XXIV. *Puteoritæ*, eodem Philaſtrio Authore, fuere Judæi Puteos colentes, quos in altum fodiebant, indeque hauſtam aquam ſalutarem appellabant, quidpiam ſalutis in ea reponentes. Propterea objurgati per Jeremiam c. 2. v. 13. *Me dereliquerunt fontem aquæ vivæ, & foderunt ſibi ciſternas diſſipatas, quæ continere non valent aquas*. Huic forte alluſit Chriſtus. Joann. 4. cum promittens Samaritanæ aquam; & mu-

Digitized by Google

muliere reſpondente: *neque in quo hauriat habes, & Puteus altus eſt*, repoſuit: *omnis, qui biberit ex aqua hac, ſitiet iterum* (forte enim Puteus ille erat unus ex ſuperſtitioſis) *Qui autem biberit ex aqua, quam ego dabo ei* (nimirùm baptiſmatis) *non ſitiet in æternum*.

XXV. *Fortunatitæ* erant inter Judæos, qni fortunam, ſeu Reginam Cœli colebant, putantes (ut tradit Alexander ab Alexandro *Genial. Dierum lib.* 1.) eos, qui illam religioſè colerent, magnis incrementis augendos. Per reginam Cœli putat S. Hieronymus, ab iis intelligi Lunam, eò quòd præ cæteris aſtris hæc inferiora regat; vel militiam Cœli, puta Solem, Lunam, aliaque ſydera, ſicque accipi fortè debet, quod dicitur 2. *Paralip.* 33. *v.* 3. de Manaſſe, quòd adoravit militiam Dei. Planetæ enim, & aſtra in Cœlo, tanquam Milites Dei, ordinatâ velut acie incedunt, pugnant, vibrantque fulmina, cùm opus fuerit. Fortunatitas increpat Hieremias c. 7. v. 18. dum ait: *Mulieres conſpergunt adipem, ut faciant placentas Reginæ Cœli*. Cui *c.* 44. *v.* 18. iterum increpiti reſponderunt: *Ex eo autem tempore, quo ceſſavimus, ſacrificare Reginæ Cœli, & libare ei libamina, indigemus omnibus; & gladio, & fame conſumti ſumus*.

XXVI. *Tophetitæ* ex Judæis ii erant, qui filios, filiaſque ſuas in holocauſtum vivas offerebant in *Tophet*, ideſt in luco, ſeu ſylva Idolo Moloch celeberrima, in Valle filiorum Ennon poſita; pſallentibus interim Sacerdotibus altiſſimâ voce, tubis, ac tympanis (unde ortum loci nomen Tophet, quod eſt tympanum) perſtrepentibus, ne miſerorum puerorum ejulatus audiretur à parentibus, vel affinibus, quibus perſuadebant, infantes hâc viâ à Diis ad æthera rapi. Contra hos voce Domini clamant Prophetæ. David *Pſalm.* 105. *v.* 37. *Immolaverunt filios ſuos, & filias ſuas Dæmoniis*. *Iſaias c.* 30., *Ezechiel. c.* 16. eiſque mala comminatur Jeremias *c.* 7. *v.* 31. *Et ædificaverunt excelſa Tophet, quæ eſt in Valle filii Ennon: ut incenderent filios ſuos, & filias ſuas igni: quæ non præcepi, nec cogitavi in corde meo. Ideo, ecce Dies venient, dicit Dominus, & non dicetur amplius Tophet, & Vallis filii Ennon: ſed Vallis interfectionis, & ſepelient in Tophet, eò quòd non ſit locus:* Quod impletum eſſe, putat Hieronymus in dictum Caput ab anno nono Sedechiæ Regis uſque ad annum undecimum, obſidente Nabuchodonoſor Rege Babylonis Jeruſalem.

XXVII. *Molochitæ*, & *Ramphanitæ* apud eoſdem erant, qui Moloch, & Rempham Idola colebant, numina Ammonitarum, eiſdem filios, ac filias ſuas initiantes, contra præceptum Domini, *Levitici* 18., & 20. objurgati propterea per Jeremiam *c.* 32. *v.* 35., & Amos 5. *v.* 26. Moloch iis erat idem, quod conſiliarius, & Rempham idem, quod ſydus illud, quod Luciferum vocant, quodque dicitur Venus unus ex ſeptem Planetis, de quo S. Stephanus *act.* 7. v. 43., *& ſuſcepiſtis Tabernaculum Moloch, & Sydus Dei Veſtri Rempham, figuras, quas feciſtis adorare eas*. Hæ inter alias ſunt ſpecies Idololatrarum apud Judæos inſanientes; quas ſatis fuit recenſuiſſe, nam ex ſup adictis contra Idololatras Paganos manent refutatæ.

DUBIUM V.

De Polytheis apud Chriſtianos.

§. I.

Polythei apud Chriſtianos recenſentur.

I. Eſto non inveniam apud Chriſtianos, qui expreſsè Idola Paganorum coluerint, invenio tamen, qui Dei unitatem tollere non ſunt veriti. Hi autem ſunt: Carpocratiani, Gnoſtici, Cerdoniani, Valentiniani, Marcionitæ, Appellitæ, Manichæi, Severiani, Albanenſes, Albigenſes.

II.

II. *Carporratiani* à Carpocrate, genere Alexandrino, qui ſecundo ſeculo, Hadriano Imperatore, & Xiſto Pontifice erupit, dicti ſunt. Hic homo nequiſſimus, omniſque libidinis uſum licitum ducens, inter alia, teſte S. Auguſtino lib. de Hæreſ. c. 7. *Negabat, à Deo factum, ſed à neſcio quibus virtutibus, Mundum*. Ejus Diſcipuli Imagines Chriſti proponebant cum Imaginibus Philoſophorum, Pytagoræ, Platonis, Homeri, & aliorum. Et refert D. Auguſtinus ibidem: *Secta ipſius fuiſſe traditur quadam Marcellina, quæ colebat Imagines Jeſu, & Pauli, & Homeri, & Pythagoræ, adorando, & incenſum ponendo*.

III. *Gnoſtici*, ideſt *ſcientes*, ut ait S. Auguſtinus *ibi c. 6.* (qui ſic appellari voluerunt propter excellentiam ſcientiæ, ut hoc ſpecioſo nomine turpitudines, ac obſcœnitates, quas uſu habebant, velarent) vel à Nicolaitis, vel à Baſilide, vel à Carpocrate orti putantur. Hi inter cætera multa de Deo fabulati ſunt. Principes 369., ſeu minores Deos invehebant, cuique Cœlo inſidentes: In octavo collocantes Chriſtum unà cum Barbelone, ſeu univerſorum parente: ità ex S. Epiphanio *Hæreſ. 26.* quos arguit S. Irenæus *lib. 1. contra hæreſes c. 33.*, & S. Auguſtinus addit. *Dicuntur quoque bonum Deum, & malum Deum in ſuis dogmatibus habere*. Quam veſaniam adoptaſſe poſtea Manichæos infrà dicemus. A Simone Mago, vel à Menandro ejus diſcipulo dicitur hæc hæreſis excogitata, quamvis poſtea propagata.

IV. *Cerdoniani* Cerdonem habuere parentem. Hic ex Syria Romam profectus, eodem ſecundo ſeculo ſub Higino Papa, ex S. Jrenæo apud *Euſebium lib. 4. hiſt. c. 10.*, errorem ſuum retractavit, ſed illum reſumens, excommunicatus fuit. Hic, teſte S. Auguſtino *lib. de hæreſ. c. 21.* circa Dei unitatem erravit, quia *duo principia ſibi adverſantia dogmatizavit; Deumque Legis, ac Prophetarum non eſſe Patrem Chriſti, nec bonum Deum eſſe, ſed juſtum: Patrem verò Chriſti, bonum... Quidam verò in duobus principiis ſuis duos Deos ità eum dixiſſe perhibent, ut unus eorum eſſet bonus, alter autem malus*. Hæc D. Auguſtinus.

V. *Valentiniani* Valentinum Ducem nacti ſunt, qui ambitione Epiſcopatus, cujus repulſam paſſus eſt, errorem ſuum confinxit eodem ſeculo ſecundo ſub Antonino Pio, & Higino Papa. Nulla hæreſis fuit tot fabulis referta. De qua S. Auguſtinus *l. hæreſ. c. 11.* Poſuit, ſeu veriùs finxit Valentinus 30. Deos, quos vocavit *Eonas*. Horum quindecim Maſculi, & totidem fœminæ in varias veluti ſtirpes dividuntur. Quarum omnium Caput ſit unus Deus inviſibilis, ſempiternus, ingenitus, & incomprehenſibilis. Hunc *Proarchen*, *Propatora*, & *Bythen*, ſeu Primum Principium, Primum Patrem, & Profunditatem vocabat. Huic Conjugis loco ſociabat *Ennœam*, ſeu Cogitationem, quam etiam *Sigen*, ideſt Silentium, & *Charin*, ideſt Gratiam nuncupabat. Hæc à Bytho ſuſcepto ſemine gravida genuit *Nun*, ideſt mentem, Unigenitum, & Patrem, ac principium omnium, & unà cum eo *Aletbiam*, ideſt veritatem. Hæc fuit primigenia quaternitas radix omnium.: ex mente, & veritate proceſſiſſe dicebat Verbum, & vitam: ex Verbo, & vita, hominem, & Eccleſiam prodiiſſe. Et hæc erat Ogdoades Valentiniana. Rurſus ex Verbo, & vita Decadem Eonum ortam ſomniabat, ſcilicet profundum, & mixtionem; Senij expertem, & unionem; Per ſe naſcentem, & voluptatem; Immobilem, & concretionem; Unigenitum, & beatum. Ex homine, & Eccleſia duodecim alios Eonas progenitos eſſe, finxit, ſcilicet Paracletum, & fidem; Paternum, & ſpem; Maternum, & dilectionem; Intellectum, & Prudentiam; Eccleſiaſticum, & beatitudinem; voluntarium, & ſapientiam. Addebat Salvatorem 30. annos vixiſſe, ut hoc 30. Eonum myſterium indicaret; eoſdem in parabola operarionum, qui ad

Digitized by Google

Vineam Patris familias miſſi ſunt, ſignificatos; etenim alii circa horam primam, alii circa tertiam, alii circa ſextam, nonam, & undecimam vocati ſunt, quæ omnes in unum collectæ numerum trigeſimum efficiunt. Mirabile ſanè, mentem hominis tot deliria concipere potuiſſe: Sed mirabilius, ea apud aliquos, & non paucos, fidem obtinuiſſe.

VI. *Marcionitæ* authorem habuere Marcionem, patriâ Ponticum, Epiſcopi Catholici filium, ex Stoicorum Schola. Marcion ejectus ob ſtuprum ab Eccleſia per Parentem ſuum, Romam fugiens, Aniceto Pontifice, atque in Communionem Romanæ Eccleſiæ ſubrepere fruſtra conatus, Cerdoni ſeſe adjunxit, illumque audivit impietatis Magiſtrum. Error palmaris, quem de Deo habuit, fuit iſte. Duos Deos admiſit, unum bonum, alterum malum, cui mundi hujus adſpectabilis fabricam tribuit. Hæc ex S. Irenæo *lib.* 1. *cap.* 29. Tertulliano *lib.* 1. *contra Marcionem c.* 21., & S. Auguſtino de hæreſ. c. 22. dicente: *Marcion quoque, à quo Marcionitæ appellati ſunt, Cerdonis ſecutus eſt dogmata de duobus principiis: quamvis Epiphanius eum tria dicat aſſeruiſſe Principia, bonum, juſtum, pravum: Sed Euſebius Sinerum quemdam, non Marcionem trium principiorum, atque naturarum ſcribit auctorem.*

VII. *Apellitæ*, ab Apelle Marcionis diſcipulo, qui ſecundo ſeculo ſub Antonino Pio, & Teleſphoro Papa vixit, nomen, & errorem ſortiti ſunt. De his ſcribit S. Auguſtinus de hæreſ. cap. 23. *Apellitæ, quorum Apelles eſt Princeps, qui duos quidem Deos introducit, unum bonum, alterum malum; non tamen in duobus diverſis, atque inter ſe adverſis principiis, ſed unum eſſe principium, Deum ſcilicet bonum, & ab illo formatum alterum, qui cùm malignus eſſet, inventus eſt in ſua malignitate Mundum feciſſe.* Hæc S. Auguſtinus.

VIII. *Manichæi* à Manete appellationem ſumſere. Fuit hic genere Perſa, qui à quadam muliere emptus in ſervum, deinde manumiſſus, & adoptatus, demum ab ea omnium bonorum hæres conſcriptus fuit. *Cubricus* primùm illi nomen erat; ſed ne ſervitutis nomen ei probroſum eſſet, Manes appellari voluit, quæ vox Perſis idem eſt, ac *allocutio*. Verùm cùm hoc nomen apud Græcos malè ſonaret, quaſi ab inſania, & furore derivatum, Diſcipuli ejus poſtea *Manichæum*, quaſi manna fundentem appellavere, S. Auguſtino teſte *lib. de hæreſ. c.* 46. Errorem ſuum ſpargendi hæc illi occaſio fuit. Inter bona, à muliere adoptante ipſi relicta, fuere quædam ſcripta Scythiani cujuſdam genere Saraceni; quæ ad manus Terbinthi diſcipuli pervenientia, tandem apud illam Mulierem, in cujus domo habitaverat, eo miſerè extincto, remanſerunt. Hiſce in Libris præformatum reperit Manichæus errorem, quem evulgando poſtea fecit ſuum tertio ſeculo, ſub Aureliano Imperatore, & Felice Primo Pontifice, quo multos comparavit diſcipulos, multa de Chriſtiana Religione excerpta ſectæ ſuæ immiſcens. Hujus ergo Palmaris error fuit. Admittebat duo Principia ſuprema, inter ſe adverſa, & pariter æterna: quorum unum bonorum, alterum malorum numen eſſet: Duaſque naturas, & ſubſtantias, bonam, & malam propugnans, malam dicebat eſſe materiam, ideoque carnem, quia ex materia, à malo Principio procreatam eſſe dicebat: quâ ratione negabat Chriſtum in vera carne fuiſſe, ſed ſimulatâ ſolùm, & apparente: Generationem execrabatur, aliaque impia aſſerebat, de quibus agunt Patres, præſertim Auguſtinus in libris *contra Fauſtum*, *contra Adimantum*, & alibi, S. Epiphanius *hæreſ.* 66. Theodoretus *lib.* 1. *hæret. fabul. c.* 26., & alii.

IX. *Severiani* à Severo quodam Tatiani diſcipulo Eonum quorumdam fabulam à Valentino mutuati ſunt. Ex Tatiano etiam Encratitæ, qui ad Tatiani Magiſtri ſui dogmata addiderunt plu-

Digitized by Google

plura rerum principia, inter quæ Diabolum poſuere. Eruperunt ſecundo ſeculo.

X. *Albanenſes*, qui octavo ſeculo emerſerunt ſub Conſtantino Sexto Imperatore, & Leone Tertio Pontifice, cum Gnoſticis, Apelle, Manichæo, Carpocrate, Cerdone, & Severo duo rerum Principia conſtituerunt; unum bonum, alterum malum: à bono omnia bona, à malo omnia mala profluxiſſe dicebant. Eàdem ratione duo ſcripturæ Teſtamenta à duobus Diis illis profluxiſſe, blaterabant. Vetus quidem reſpuentes, quòd à malo Principio factum crederent, & proinde malum; Novum autem acceptantes, quòd à bono Deo, & Patre Domini Noſtri Jeſu Chriſti conditum exiſtimarent.

XI. *Albigenſes* decimotertio ſeculo in Galliis exorti ſunt. De Deo eadem ac Manichæi, & Albanenſes blaſphemabant. Duos conſtituebant Creatores, inviſibilium nempe, quem vocabant benignum Deum, & viſibilium, quem malignum Deum dicebant. Novum Teſtamentum benigno Deo, Vetus maligno attribuentes, illud acceptabant, reſpuebant iſtud, præter quaſdam auctoritates, quæ de veteri novo Teſtamento inſertæ ſunt; has enim ob reverentiam novi recipere dignum exiſtimabant. Veteris Teſtamenti Deum mendacem aſſerebant, quia Protoplaſtis dixit, quacumque die comederitis de ligno, morte moriemini; cùm tamen poſt comeſtionem mortui non ſint. Homicidam quoque ipſum nominabant: Tum quia Sodomitas, & Gomorrhæos incineravit, & aquis Diluvii Mundum delevit: Tum quia Pharaonem, & Ægyptios Mari obruit. Deum bonum curare animas dumtaxat, Deum malum corpora. Hæc & alia blaſphema de illis refert Petrus Vallium Cernaii in ſua, quàm Innocentio Tertio nuncupavit, Albigenſium hiſtoria *cap.* 2.

Hi ſunt præcipui, qui ex Chriſtianis Dei unitatem ſuſtulere. Eſto autem ex dictis pro Dei Unitate ſuperiùs abundè refelli poſſint, aliqua tamen ſpecialiter addenda operæ pretium judico.

§. II.

Refutantur pranarrati errores.

XII. PRimò quidem contra Marcionem ex Irenæo *lib.* 3. *cap.* 63. Dividere Deum in duos, alterum bonum, alterum non bonum, eſt Deum interimere: Deus enim, qui non eſt bonus, Deus non eſt; quia Deus non eſt, cui bonitas deeſt.

Si dicas, Deum non bonum eſſe tamen juſtum. Contra. Deus juſtus, qui bonus non eſt, Deus non eſt; ſicut Deus bonus, qui juſtus non eſt, Deus non erit. Juſtitia enim ſupponit Judicium, judicium autem ſapientiam. Sicut ergo Deus, qui ſapiens non eſſet, non eſſet Deus: ità nec Deus eſſet, qui bonus eſſet, & non juſtus.

XIII. Secundò ex eodem Irenæo *lib.* 4. *c.* 26. etiam contra Manichæos, & Albigenſes. Primum, & maximum Præceptum veteris Teſtamenti, nimirùm diligere Deum, & Proximum, eſt etiam præceptum à Deo novi Teſtamenti: ergo unus, & idem eſt legis, ac Evangelii conditor Deus. Eſto enim particularia præcepta data, ſint apta utriſque, & veteris Teſtamenti hominibus, & novi, quia alius ſtatus in uno, ac in altero; unde alii ritus, alia Sacrificia, alia Judicia in Veteri, ac in Novo; Præcepta tamen fundamentalia, & ſumma, ſine quibus nemo ſalvari poteſt, eadem ſunt in utroque: ergo in utroque idem Deus. His addo: Deus Veteris Teſtamenti præcipit homini, ut ipſum diligat toto corde; ergo non eſt Deus malus, quia malum non eſt objectum dilectionis, ſed ſugæ. Fugiſſent ergo homines à Deo malo, & quidem juſtè. Quare injuſtum fuiſſet præceptum illum Deum, etſi malum, amandi, quia malum amabile non eſt, ſi undequaque ſit malum.

XIV.

Digitized by Google

XIV. Tertiò, ex Tertulliano *lib.* 1. *adversùs Marcionem* ſic. Si Deus Novi Teſtamenti eſt novus, ac diverſus à Deo Veteris Teſtamenti, verus Deus non eſt: Verus enim Deus æternus eſt. Quis enim Deus novus, niſi falſus? Inſuper verus Deus, quia æternus, nec vetus, nec novus eſſe poteſt: Deus enim ſi eſt vetus, non erit: Si eſt novus, non fuit. Novitas enim initium teſtificatur; vetuſtas finem comminatur.

Verùm quia reſpondebant, Deum novi Teſtamenti novum eſſe, quia novitèr cognitum,

XV. Urgebat Tertullianus *c.* 9. Primò. Si Deus novi Teſtamenti verus Deus fuit, ignorari non potuit: & quia magnus, & quia benignus. Secundò, Deus, qui ignoratur, Deus incertus eſt; quod enim quæritur, quamdiu ignoratur, incertum eſt, quandiu quæritur, & poteſt non eſſe, quandiu incertum eſt. Tertiò. Quomodo ignorabatur Deus bonus? Deus Univerſi Conditor, hominis plaſmator, nonne erat Deus bonus? Hunc quomodo poterant homines ignorare, ſi ejus opus ſunt? Cùm in repentinis Deum invocabant, ipſi ſe commendabant, ejus auxilium depoſcebant, Deum certè cognoſcebant. At non Deum malum, ab hoc enim ſolùm timere poterant pænam, ergo Deum bonum, ac benignum, Deum ſcilicet Novi Teſtamenti.

XVI. Quartò, Ex eodem Tertulliano *cap.* 11. ſic arguo. Deus jure creationis omnium Dominus eſſe debet. Ergo Deus Novi Teſtamenti, vel Univerſum creavit, & ſic erit idem Deus, qui & Veteris, quem omnium Creatorem deſcribit Moſes: Vel ſi nihil creavit, non erit Deus, omnia non ejus erunt, ſed ipſi extranea.

Rursùs ſi univerſitas rerum Creatoris eſt, quid reſtat huic alteri Deo? Cùm plena, & occupata ſint omnia ſuo Auctore, planè alteri Divinitati nihil vacabit.

Deinde, ſi Deus novi Teſtamenti nihil condidit: vel hoc fuit, quia noluit condere, vel quia non potuit. Non potuiſſe, Deo indignum eſt: Noluiſſe verò, quomodo probatur? Si maximè bonus, cur bonitatem ſuam noluit effundere, cùm alter Deus, etſi malus, tanta fecerit? Imo Deus iſte bonus inſigniora, & ſuperiora opera condidiſſe dicendus eſſet, ut ex his potior, ac generoſior cognoſceretur Creatore.

Dicis, opus Dei boni fuiſſe excellens, Liberationem nimirùm hominis a lapſu, & peccato, quod à malo Deo permiſſum erat.

XVII. Sed contra primò. Vel Deus iſte, ut aſſeritur, bonus, potuit impedire hunc lapſum hominis, vel non potuit. Si non potuit, qualis eſt iſte Deus, qui non potuit impedire opus ab alio Deo permiſſum? Si potuit, & non impedivit, quia noluit: quomodo bonus, qui potens rantum malum impedire, noluit impedire? Rursùs ſi noluit impedire, ne homo laberetur: quare ipſum non erexit ſtatim poſt lapſum? quare non exercuit ſtatim ſuam bonitatem, ſi bonus eſt? *Quid enim tam malignum, quàm nolle prodeſſe, cùm poſſis? Quid de tali medico judicabis, qui nutriat morbum morâ præſidii? & periculum extendat dilatione remedii, quò pretioſiùs, aut famoſiùs curet?* Hæc Tertull. ibi. c. 22.

XVIII. Neque valet dicere, hunc diſcurſum urgere quoque contra noſtrum Deum verum, qui nec ſtatim, ſed poſt multa ſecula hominem à lapſu erexit.

Nam diſpar eſt ratio: Deus enim noſter eſt quidem bonus, ſed etiam juſtus. Juſtitia autem exigebat, ut homo voluntate ſuâ lapſus, in ſuo lapſu aliquo tempore remaneret, ut in pæna. At Deus Marcionis, Manichæorum, Albigenſium &c. erat totus naturâ bonus, nec alio modo ſe effundere poterat, quàm beneſaciendo. Unde ſi potuit benefacere ſtatim, & noluit; unde erit naturâ bonus?

XIX. Contra ſecundò, ex eodem Ter-

Digitized by Google

Tertulliano *ibi cap.* 23. Bonitas iſtius Dei in homine liberando fuiſſet irrationalis, ac injuſta. Irrationalis quidem, quòd primò non ſuum, ſed hominem ab alio Deo creatum, & conſequenter ab eo alienum adjuvit. *Nego* (inquit Tertullianus) *rationalem Dei Marcionis bonitatem ; jam hoc primò, quòd in ſalutem proceſſerit hominis alieni*. Si dixeris, quòd cùm Deus iſte non haberet hominem proprium, voluntariâ bonitate ſeſe effudit in alienum, & inimicum. Contra eſt. Non habere proprium, exiguæ virtutis eſt. *Porrò exigua, quæ ſuum non habuit, quomodo in alienum redundavit?*

Injuſta etiam: *quid enim injuſtius, quàm ità alieno benefacere ſervo, ut Domino eripiatur, ut alii vindicetur, ut adverſus Caput Domini ſubornetur? Talis aſſertor etiam damnaretur in ſeculo, nedum plagiator*. Hæc Tertullianus. Porrò non aliter ſe haberet Deus Marcionis, irrumpens in alienum mundum, eripiens alteri Deo hominem, Domino famulum, ab ipſo conditum, ſub ejus Jure, ac juſtitia poſitum.

XX. Si fortè dixeris, Deum bonum, eſto non ſit Creator, & Dominus hominis quoad carnem, quæ fuit à malo Deo, eſſe tamen conditorem, & Dominum quoad animam, ideoque hanc ſolam liberaſſe.

Contra ex eodem Tertulliano *c.* 24., *&* 25. Deus non eſſet perfectè bonus, ſi ſolam animam ſalvaret, imo ſalvare poſſet, non verò carnem. Secundò. Si Deus bonus animas, quarum eſt Dominus, regit: cur eas labi permiſit? cur non ſtatim erexit? cur erectas non omnes ſalvat, ſi ſummè, & unicè bonus? Si animas ſalvat, quæ culpæ magis ſunt reæ, cur non ſalvat carnem, quæ minorem habet partem in crimine? *Sed, etſi carni delicta reputantur, præcedit animæ reatus, & culpæ principatus animæ potiùs adſcribendus, cui caro miniſtri nomine occurrit* Carens denique animâ caro hactenus peccat. Unde infert Tertullianus. *Ità & in hoc injuſta bonitas, & ſic quoque imperfecta, innocentiorem ſubſtantiam relinquens in exitium* (cùm caro apud Marcionem non eſſet ſurrectura) *obſequio, non arbitrio delinquentem*. Hec Tertull. *cap.* 24. Videatur *cap.* 26. ubi acutiſſimè probat, Deum illum non eſſe Deum, nec bonum, ſi quæ prohibet, non vindicat; abſtineo enim, ne nimiùm prolixus evadam.

XXI. Sanctus Epiphanius, unum, eumdemque Deum utriuſque Teſtamenti *hæreſ.* 42. fusè, & evidentèr oſtendit ex ipſis novi Teſtamenti libris, quos Marcionitæ admittebant, ſcilicet Evangelio Lucæ, & Epiſtolis Paulinis, in quibus multa Dei antiqui præcepta approbantur, Prophetæ ejus recipiuntur, & facta commendantur.

XXII. Demum contra Manichæos procedit Sanctus Auguſtinus *lib. de natura boni cap.* 1. oſtendens, nullam naturam eſſe malam ſic. Omnis natura bona eſt; ergo à ſummo bono; ergo non eſt aliquod principium ſupremum, à quo ſint naturæ malæ. Antecedens probat. Omnis natura proximiùs, vel remotiùs participans eſt de ſummo bono, & quaſi per gradus ab eo deſcendit: vel enim ſpiritus eſt, & ſic proximiùs de eo participat, vel eſt Corpus, & ſic remotiùs, participat enim ab eo hoc bonum, quod eſt *eſſe*: ergo omnis natura, vel ſpiritus, vel corpus ſit, bona eſt.

Hoc confirmat *lib.* 1. *contra adverſarium legis, & prophetarum c.* 5. probans, nullam eſſe naturam malam, quia malum nihil aliud eſt, quàm privatio boni: privatio autem non eſt, niſi in re bona: ergo nulla natura eſt, quæ ſit mala. *Sed ipſa quoque vitia* (inquit) *teſtimonium perhibent bonitati naturarum: Quod enim malum eſt per vitium, profectò bonum eſt per naturam. Vitium quippe contra naturam eſt, quia naturæ nocet; nec noceret, niſi bonum ejus minueret: non eſt ergo malum, niſi privatio boni. Ac per hoc nuſquam eſt, niſi in re aliqua bona. Ac per hoc bona ſine malis eſſe poſſunt, ſicut ipſe Deus, & quædam ſuperiora cœleſtia;*

mala

Digitized by Google

mala autem ſine bonis eſſe non poſſunt. Si enim non nocent, mala non ſunt. Si autem nocent, bonum minuunt, & ſi totum conſumunt, nihil naturæ remanebit, cui noceatur: ac per hoc nec malum erit, à quo noceatur. Hæc Auguſtinus.

§. III.

Adverſariorum motiva diſſipantur.

XXIII. PRimum Marcionis argumentum erat. Si Deus bonus, ac præſcius futuri eſt; cur hominem labi in peccatum paſſus eſt, ac tantum malum ab eo non avertit, cùm poſſet? Ità apud Tertull. *lib. 2. adverſus Marc. c. 5.*

XXIV. Reſpondeo cum eodem Tertulliano *ibi c. 5. 6., & 7.* Deum creaſſe hominem libero præditum arbitrio, ſive ad bonum, ſive ad malum, unde ſi lapſus fuit, ſuâ voluntate liberâ lapſus eſt. Poterat quidem hominem, ne laberetur tenere, ſed id non præſtitit, non quia non bonus, ſed quia non debuit. Deus enim ex quo ſummè bonus, non poteſt quidem peccata efficere, aut velle, poteſt tamen, ſemel ac homini conceſſit arbitrium, ea permittere: Si enim hominem detineret, ne peccaret, videretur retractare quod ipſi conceſſerat, nempe liberum arbitrium, aut præſcius non fuiſſe, quòd eo uſurus eſſet ad malum. Ità Tertullianus cap. 7. *Si enim interceſſiſſet* (inquit) *reſcidiſſet arbitrii libertatem, quam ratione, & bonitate permiſerat.... Nonne tunc magis deceptus ex impræſcientia futuri videretur, cùm obſtitiſſet? & quòd quaſi ignorans, quomodo evaſurum eſſet, indulſerat, quis non diceret?*

Aliter reſpondet S. Auguſtinus *lib. 14. de Civit. Dei cap. 27.* Quòd in poteſtate quidem Dei fuit, ut neque Angelus, neque homo caderet. *Sed hoc eorum poteſtati maluit non auferre; atque ità, & quantum mali eorum ſuperbia, & quantum boni ſua gratia valeret, oſtenderet.* Et Serm. 26. aliàs 11. de verbis Apoſtoli: *Hoc modo* (inquit) *oſtendere voluit Deus homini, quid valeret liberum arbitrium ſine Deo.*

XXV. Dices. Si homo factus fuit ad imaginem Dei, & ejus anima ſpiritus Dei eſt; ſi malus fiat homo; cur malus non erit Deus?

XXVI. Valeret hoc, ſi homo fieret malus per ea, quibus eſt imago Dei, & non potius delendo in ſe imaginem Dei, & ab ejus ſpiritu, & regula recedendo. Homo quidem eſt ad imaginem Dei, ſed non eſt imago Dei perfecta. *Porro* (ait Tertull. cap. 9.) *imago veritati non uſquequaque adæquabitur. Aliud eſt enim ſecundùm veritatem eſſe, aliud ipſam veritatem eſſe. Sic & adflatus, quum imago ſit Spiritus, non poteſt ità imaginem Dei comparare; ut quia veritas, ideſt Spiritus, ideſt Deus, ſine delicto eſt: ideo & adflatus, ideſt imago non debuerit admiſiſſe delictum:* videatur Tertullian. ibi pulchrè rem hanc exponens. Interim audiatur D. Tho. *p. p. q. 93. ar. 1. ad 2.* ubi ait, quòd aliter eſt Imago Dei Filius Dei, aliter homo. Filius Dei *eſt imago perfecta, perfectè implens illud, cujus imago eſt: & ideo dicitur* imago, *& nunquam* ad imaginem. *Homo verò, & propter ſimilitudinem dicitur* imago, *& propter imperfectionem ſimilitudinis dicitur:* ad imaginem. *Et quia ſimilitudo perfecta Dei non poteſt eſſe, niſi in identitate naturæ, imago Dei eſt in filio ſuo Primogenito, ſicut imago Regis eſt in filio ſuo connaturali. In homine autem, ſicut in aliena natura, ſicut imago Regis in nummo argenteo; ut patet per Auguſtinum in libro de decem Chordis c. 8.* Quare ſicut in nummo poteſt imago Regis obliterari, ſic & in homine imago Dei, quin Deo aliquid deſit.

XXVII. Secundò obiiciebant. Deus à primordio ſeverus fuit; ergo non naturâ bonus.

Reſpondeo. Deum priùs erga hominem ſeſe exercuiſſe, effundendo in eum divitias ſuæ bonitatis, quo oſtendit

Digitized by Google

dit, ſe eſſe naturâ bonum. Quòd ſi poſtea exercuit in hominem ſuam ſeveritatem, hoc non fuit ex natura Dei præcisè. ſed ex hominis delicto, quod quia juſtus punire debuit. *Prior* (ait Tertullian. lib. 2. adverſus Marcionem cap. 11.) *bonitas Dei ſecundùm naturam, ſeveritas poſterior ſecundùm cauſam. Illa ingenita, hæc accidens: illa propria, hæc accomodata &c.* In ſeveritate tamen adhuc bonus, quia Juſtus: Juſtitia, *non ſpecies ſolummodo, ſed tutela reputanda eſt bonitatis, quia bonitas, niſi juſtitiâ regatur, ut juſta ſit, non erit bonitas, ſi injuſta ſit. Nihil enim bonum, quod injuſtum; bonum autem omne, quod juſtum.*

XXVIII. Tertiò Obiiciebant. Deus Creator pronunciat ſe conditorem malorum. Amos 3. v. 6. *ſi erit malum in Civitate, quod non fecerit Dominus.* & Iſaiæ 45. v. 7. *Ego Dominus creans malum.*

Reſpondet Tertullianus loco laudato cap. 14., Deum ſe pronunciare auctorem malorum pœnæ, & ſupplicii, non culpæ, ac delicti, quin imo hæc per mala pœnæ curat avertere. Malorum culpæ auctor eſt Diabolus; Malorum pœnæ Deus creator: *quæ quidem mala ſunt illis, quibus rependuntur. Cæterum ſuo nomine bona quâ juſta, & bonorum defenſoria, & delictorum inimica, atque in hoc ordine Deo digna.* Idem S. Auguſtinus lib. contra *Adimantum cap. 26. Ità ergo*, inquit, *Deus malum facit, quod non ipſi Deo malum eſt, ſed eis, in quos vindicat... Quamvis enim malum ſit Gehenna damnato: juſtitia tamen Dei bona, & ipſe fructus eſt ex arbore bona.*

XXIX. Obiiciebant quartò Marcionitæ. Sævus eſt, qui viſitat iniquitates Patrum in filios: at is erat Deus Conditor *Exod. 20. verſ. 5. Ego ſum Deus tuus Zelotes viſitans iniquitatem Patrum in filios.* Ergo &c.

Reſpondet primò Tertullianus *ibi cap. 15.* negando majorem:. ſi enim *benedictio Patrum ſemini quoque eorum deſtinabatur, ſine ullo adhuc merito ejus, cur non & reatus Patrum in filios quoque redundaret? Sicut gratia, ità & offenſa.* Reſpondeo ſecundò, minorem eſſe veram, ſi filii imitentur iniquitates parentum; ſecùs verò ſi non imitentur. Ità idem Tertullianus loco laudato, S. Hieronymus in *cap. 18. Ezechiel.*, & S. Auguſtinus contra *Adimant. cap. 7.* Quare comminationem Exodi factam explicans Ezechiel *cap. 18.* poſt multa de impio, & pœna ejus præmiſſa ſubdit. *Quòd ſi genuerit filium, qui videns omnia peccata Patris ſui, quæ fecit, timuerit, & non fecerit ſimile eis .... hic non morietur in iniquitate Patris ſui, ſed vitâ vivet.* Reſpondetur tertiò cum S. Hieronymo, loco citato, laudatum Exodi textum indicare potiùs Dei patientiam, & miſericordiam, quâ *non ſtatim puniat, ſed differat ſententiam puniendi*, quàm ſævitiam. Denique cùm pœna eſſet tantùm temporalis, & filij aliquid Patris ſint: ſævum non eſt, ſed juſtum, ut pœna debita parentibus redundet in filios: hoc enim & in humanis contingit, dùm ſæpe ob delictum parentis ſpoliantur bonis, & exules vagari coguntur & filii.

XXX. Obiiciebant quintò. Quomodo bonus Deus, qui Talionis legem indixit: qui multos cibos vetuit, qui tot ſacrificiorum, atque oblationum onere ſuos prægravavit? talis erat Deus Veteris Teſtamenti.

Reſpondeo ad ſingula. Primò legem talionis, quâ jubebatur, ut oculus redderetur pro oculo, dens pro dente, latam fuiſſe, non ut injuriæ mutuò exercendæ licentiam daret, ſed potiùs ut violentiam paris pœnæ metu coerceret: *Nihil enim amarius* (inquit Tertullianus citatus *cap. 18.*) *quàm idipſum pati, quod feceris aliis.* Secundò, lex illa lata fuit, non ad provocandum furorem vindictæ, ſed potiùs ad limitem ei præſcribendum; ne ſcilicet offenſus rependeret pœnam culpâ graviorem. Ità S. Auguſtinus contra *Adimantum cap. 8.*, & *lib. 19. contra Fauſtum c. 25. Oculum* (inquit) *pro*

pro oculo, dentem pro dente, non fomes, ſed limes furoris eſt; non ut id, quod ſopitum erat, hinc accenderetur; ſed ne id, quod ardebat, ultra extenderetur. Populus enim ille rudis graviorem pro offenſa vindictam ſumſiſſet. Quare ad frenandum furorem, præſcriptum fuit, ne ultra offenſam eſſet vindicta; donec Evangelio adveniente totalis offenſæ condonatio perfectiori populo ſuaderetur.

Hinc (S. Auguſtinus contra Adimantum cap. citato) *duorum Teſtamentorum differentia demonſtratur: ſed amborum tamen ab uno Deo conſtitutorum*; ſicut enim Pater aliqua permittit puero, quæ non permittit adulto; ſic idem Deus aliqua toleravit in populo Judaico, quæ non toleravit in Chriſtiano. Eâdem ratione repudium uxoris Judæis permiſit, Chriſtianis prohibuit, ut ipſe Chriſtus *Matth.* 19. teſtatur, & S. Auguſtinus *lib.* 19. *contra Fauſtum cap.* 29.

XXXI. Quod ſpectat certorum Ciborum interdictionem, oſtendit etiam, bonum fuiſſe Deum, quia, ut ait Tertullianus *cap.* 18. citato: hæc exercendæ continentiæ causâ præcepta erat, & ut hujus beneficio ad cæteras virtutes Populus ille formaretur. Addit S. Auguſtinus *lib.* 6. *contra Fauſtum cap.* 7. quòd certi cibi interdicebantur, non quòd naturâ eſſent immundi, ſed ad myſticam ſignificationem. Quòd enim in veteri lege animalia, quæ non ruminant, immunda vocentur, hoc non naturâ, ſed ſignificatione dicitur, quia ſignificant eos, *qui eùm libenter audiant verba ſapientiæ, poſtea de his omnino non cogitant*.

XXXII. Multitudo autem Sacrificiorum fuit à Deo imperata ob bonum hominum, ut hiſce ſacrificiis, & oblationibus detentus, ab Idololatria, ad quam pronus erat, Populus ille coerceretur. Ità Tertullian. *lib.* 2. *contra Marcionem* citato *cap.* 18., & 19., & Gregorius Nazianzenus *orat.* 42. Sic etiam, ut eum arctiùs ſibi devinciret, & ſubditum haberet, tot præceptis eum oneravit.

XXXIII. Neque dicatur, ſacrificia illa fuiſſe mala, quia ſimillima Sacrificiis, quæ falſis numinibus offerebantur.

Nam reſpondet S. Auguſtinus *lib.* 20. *contra Fauſtum cap.* 21. quòd ſacrificia Paganorum fuerunt mala, quia falſis Numinibus, ſeu veriùs Dæmoniis offerebantur, ſacrificia verò Hebræorum fuiſſe bona, quia offerebantur vero Deo. *Sicut autem* (ait Auguſtinus laudatus) *non ideo contemnenda, vel deteſtanda eſt virginitas Sanctimonialium, quia & Veſtales Virgines fuerunt: ſic non ideo reprehendenda ſacrificia Patrum, quia ſunt & Sacrificia Gentium. Quia ſicut inter illas Virginitates multum diſtat, quamvis nihil aliud diſtet, niſi quæ, cui voveatur, atque reddatur: ſic inter ſacrificia Paganorum, & Hebræorum multum diſtat, eo ipſo quod hoc ſolum diſtat, quæ, cui ſint immolata, & oblata: illa ſcilicet ſuperba impietati Dæmoniorum idipſum ſibi hoc arrogantium, quo haberentur Dii, quia divinus honor eſt ſacrificium: illa vero uni Deo, ut ei offerretur ſimilitudo promittens veritatem ſacrificii, cui erat offerenda ipſa reddita veritas in Paſſione Corporis, & Sanguinis Chriſti*.

XXXIV. Neque dicas iterum. Si idem eſt Deus veteris, ac novi Teſtamenti, cur ſacrificia, oblationes, cæteræque obſervantiæ, quæ præceptæ erant in veteri, ſunt abrogatæ, & prohibitæ in novo? Hoc certè probat, non eſſe eundem Deum utriuſque, aliàs ſibi contradiceret.

Reſpondet S. Auguſtinus *lib.* 19. *contra Fauſtum cap.* 18. In veteri lege præcepta alia fuiſſe moralia, alia cæremonialia, quæ adhibebantur in figuram illius, qui venturus erat, nempe Chriſti. Prima æquè obſervantur in novo, ac in veteri, & talis eſt Decalogus, ad quem ſæpè provocabat Chriſtus. Secunda verò, cum jam ſint impleta, non amplius obſervari debent. Nec ideo ſecum pugnat Creator, cùm vario in ſtatu varia tradidit præcepta, inquit S. Auguſtinus *lib.* 32.

con-

contra Fauſtum cap. 14. Nam *ſicut ager non debet reprehendere medicinalem doctrinam, ſi aliud illi hodie præceperit, aliud cras; prohibens etiam, quod ante præceperat; ſic enim ſe habet ſanandi ejus corporis ratio: ità genus humanum ab Adam uſque ad finem ſeculi, quandiu corpus, quod corrumpitur, aggravat animam, ægrum, atque ſaucium, non debet divinam reprehendere medicinam, ſi in quibuſdam hoc idem, in quibuſdam verò aliud priùs, aliud poſteriùs obſervandum præcepit, præſertim, quia ſe aliud præcepturam eſſe promiſit*,

XXXV. Obiiciebant ſextò. 2. Corinth. 4. v. 4. dicit Paulus: *In quibus Deus hujus ſeculi excæcavit mentes Infidelium*. Et Chriſtus Joan. 12. v. 31. *Nunc Princeps hujus mundi eiicietur foras*. Dantur ergo duo Dii, nempe Deus hujus ſeculi, Princeps hujus mundi, qui ſpiritualis cæcitatis auctor ſit, & malorum, & Deus bonorum omnium fons.

XXXVI. Reſpondeo, S. Irenæum *lib.* 3. *adverſus hæreſes cap.* 7. opinari, in iis Pauli verbis, ut in aliis *hyperbaton*, ſeu vocis tranſpoſitionem eſſe, ac debere ſic conjungi, *Deus excæcavit mentes Infidelium hujus ſeculi*. Quam expoſitionem probat etiam S. Auguſtinus *lib.* 21. *contra Fauſtum cap.* 2. Nec ideò tamen Deum eſſe malum, quia excæcatio illa pœna eſt; *nec hoc facit malitia, ſed juſtitia*. Hoc idem ſentit S. Joannes Chryſoſtomus *homil.* 8. *in* 2. *ad Corinth.*, dicens: *Quid autem eſt Deus ſeculi hujus? Marcionitæ dicunt, de Opifice juſto solùm, & non bono hæc dicta eſſe: narrant enim, eſſe Deum quendam juſtum, & non bonum. Manichæi verò dicunt, Diabolum hîc dici, volentes, valdè abſurdè, alium Opificem introducere, præter eum, qui eſt. Solet enim Scriptura vocare Deum, non à dignitate ejus, qui ſic appellatur, ſed ab infirmitate ſubditorum, ut quando Mammona Dominum dicit, & ventrem Deum. At non ob hoc ſimpliciter, vel venter Deus, vel Mammona Dominus, ſed illorum, qui ſibi ſe ſubiiciunt. Cæterum nos dicimus, quòd neque de Diabolo hoc dictum ſit, ſed de Univerſorum Deo, & ſic legendum;* quòd incredulorum ſeculi hujus excæcavit Deus ſenſus: *Futurum enim ſeculum non habet incredulos, ſed præſens dumtaxat: Quod ſi & aliter quis legerit:* Deus ſeculi hujus; *neque hoc reprehenſionem habet: non enim hoc oſtendit, ipſum hujus dumtaxat ſeculi ſolùm eſſe Deum; nam etiam Deus Cœli dicitur, & non eſt ſolius Cœli Deus..... Quomodo igitur excæcavit? nunquid efficaciâ ſuâ ad hoc impellens? abſit. Sed permittens, & concedens*. Hæc Chryſoſtomus.

XXXVII. Verùm S. Auguſtinus abſque ullo ſcrupulo admittit, etiam his verbis *Deus hujus ſeculi* non intelligi Deum Creatorem, ſed Diabolum, qui mentes Infidelium malis ſuaſionibus, & tentationibus excæcat. Videri poteſt *lib.* 22. *contra Fauſtum cap.* 9., & *lib.* 2. *contra Adverſarium legis, & Prophetarum cap.* 7. cui adhærent S. Cyrillus initio *lib.* 2. *contra Julian.*, & ante omnes Tertullianus *lib.* 5. *contra Marcionem cap.* 11. Ac demum S. Thomas in caput 4. ſecundæ ad Corinth. *lect.* 2., *& prim. part. quæſt.* 65. *art.* 1. ubi ait: *Dicitur autem Diabolus Deus hujus ſeculi, non creatione; ſed quia ſeculariter viventes ei ſerviunt, eo modo, quo Apoſtolus loquitur ad Philipp.* 3. Quorum Deus venter eſt.

Eodem etiam modo à Chriſto dictus fuit Diabolus *Princeps hujus mundi:* quia homines illi dederant ſupra ſeipſos Principatum, eum colendo ut Deum, vel illi vitiis ſerviendo, qui tamen per Chriſtum erat eiiciendus foras. Ita intelligunt S. Joannes Chryſoſtomus *homil.* 6. *in Joann.*, & S. Auguſtinus *lib. de Agone Chriſtiano cap.* 1. dicens: *Princeps hujus mundi miſſus eſt foras: non quia extra mundum miſſus eſt, quomodo quidam hæretici putant; ſed foras ab animis eorum, qui cohærent Verbo Dei, & non diligunt mundum, cujus ille Princeps eſt.... non quia ipſe Dominus eſt hujus mundi; ſed Princeps cupiditatum earum, quibus concupiſcitur omne, quod tranſit*.

XXXVIII. Obiiciebant ſeptimò. Bonus Deus non præcipit fornicationem, non mandat rapinam, & fraudem: atqui Deus veteris Teſtamenti præcepit Prophetæ Oſeæ fornicationem c. 1. v. 2. *Vade, ſume tibi uxorem fornicariam, & fac tibi filios fornicationum.* Mandavit rapinam, & fraudem *Exod.* 11. dùm juſſit Hebræis, ut peterent vaſa aurea, & argentea ab Ægyptiis, & ea raperent. Probavit etiam fraudem, & mendacium, quia *Exod.* 1. benefecit obſtetricibus, quæ mentitæ fuerunt Pharaoni: Ergo &c.

XXXIX. Reſpondeo ad primum cum S. Auguſtino *lib.* 22. *contra Fauſtum* (qui pro Manichæis idem opponebat) *cap.* 80. Non præcepiſſe Deum Oſeæ, ut cum muliere illa fornicaretur, ſed ut eam, quæ fornicata priùs erat, ad meliorem frugem commutatam duceret uxorem, & hoc ad Sacramentum, nimirùm ad vocationem Gentilium ſignificandam. Vide eundem Sanctum Doctorem *ibi cap.* 89.

Dici etiam poteſt cum S. Thoma 1. 2. *qu.* 94. *ar.* 5. *ad* 2., & *qu.* 100. *ar.* 8. *ad* 3. quòd *Oſeas accedens ad uxorem fornicariam, vel adulteram, non eſt fornicatus, nec mœchatus, quia acceſſit ad eam, quæ ſua erat ſecundùm mandatum divinum, qui eſt auctor inſtitutionis Matrimonii.*

XL. Eâdem ratione Hebræi petentes ab Ægyptiis, & ſecum aſportantes vaſa aurea, & argentea, rapinam non admiſerunt; quia, ut ait D. Thomas locis laudatis, Furtum eſt acceptio rei alienæ, & non ſuæ; qui autem accipit ex Mandato Dei, qui eſt omnium Dominus, jam non accipit rem alienam, ſed jam ſuam. Addit Tertull. *lib.* 2. *contra Marcionem cap.* 20. Non fuiſſe rapinam, ſed mercedem laborum: *Repoſcunt* (inquit) *Ægyptii de Hebræis vaſa aurea, & argentea. Contra, Hebræi mutuas petitiones inſtituunt, allegantes, ſibi mercedes reſtitui oportere illius operariæ ſervitutis, pro Laterinis deductis, pro Civitatibus, & Villis ædificatis.* Ex quo concludit: actum utrinqe per legatos, & tandem Ægyptios prætioſæ illi ſuppellectili renuntiaſſe. Ità ferè S. Auguſtinus *lib.* 22. *contra Fauſtum cap.* 71. dicens: *Quia peregrinos labore gratuito injuſtè, ac vehementer affixerunt. Digni ergo erant, & iſti, quibus talia juberentur, & illi, qui talia paterentur.* Exiſtimat tamen, hoc permiſſionem fuiſſe potiùs, quàm mandatum.

XLI. De Obſtetricibus reſpondet S. Thomas 2. 2. *quæſt.* 110. *art.* 3. *ad* 2. quòd *Obſtetrices non ſunt remuneratæ pro mendacio, ſed pro timore Dei, & benevolentia, ex qua proceſſit mendacium: unde ſignanter dicitur Exodi* 1. *Et quia timuerunt obſtetrices Deum* (ideſt non interficiendo maſculos Hebræorum, ut eis præceperat Rex Ægypti) *ædificavit illis domos. Mendacium verò poſtea ſequens non fuit meritorium.* Hæc Divus Thomas.

XLII. Obiiciebant octavò. Deus Judæorum ſibimet erat contrarius. Prohibuit operari Sabbato; deinde juſſit Arcam circumferri Sabbato. Vetuit fieri Simulacra; deinde Moyſi juſſit, ut faceret effigies Cherubim, ac Serpentis. Erat inconſtans, quia obnoxius pœnitentiæ. Gen. 6. v. 6. *pœnituit eum, quod hominem feciſſet in terra.* 1. Reg. 15. v. 11. *Pœnitet me, quod conſtituerim Saul Regem.* Jeremiæ 26. v. 19. *Et pœnituit Dominum mali, quod locutus fuerat adverſum eos.* Erat etiam ignorans, nam quærens Adam *Gen.* 3. *v.* 9. dicebat, *Adam, Adam, ubi es?* & ad Cain, Gen. 4. v. 9.: *Ubi eſt Abel frater tuus?* & de Sodomis. Gen. 18. v. 21. *Deſcendam, & videbo, utrum clamorem ... opere compleverint.*

XLIII. Reſpondendum eſt ad hæc omnia. Ad primum dico, Deum prohibuiſſe die Sabbato opera ſervilia, non autem opera Religionis, & Caritatis. Sic reſpondet Irenæus *lib.* 4. *adverſus hæreſ. cap.* 19. Tertull. *lib.* 4. *contra Marc. cap.* 21. Concordat S. Auguſt. *lib. contra Adimantum cap.* 22. aſſerens exemplum Chriſti, qui hominem ſanavit die Sabbati.

XLIV.

Digitized by Google

XLIV. Quod Simulacra ſpectat, reſpondet Tertullianus *lib. 2. contra Marc. cap. 22.*, Deum illa vetuiſſe, ut Idololatriam cohiberet, ſubiicit enim: *& non adorabis ea*. Cherubin autem, & Serpentem fieri juſſit; non ad adorandum, ſed illa in ornamentum, iſtum in remedium. Quare cùm comperiſſet Ezechias, Hebræos abuti illo Serpente ad adorandum, illum confregit *4. Reg. 18. v. 4.*, & laudatus eſt.

XLV. Neque quòd dicatur, Deum pœnituiſſe, arguitur inconſtantiæ. Alio enim ſenſu Deum dicitur pœnitere, alio homines, illum metaphoricè, iſtos propriè. Ità Tertullianus citato libro *cap. 24.* Cui conſonat S. Auguſtinus *lib. 1. contra Adverſar. leg., & Prophet. cap. 20. Non enim* (inquit) *ſicut hominem pœnitet Deum, ſed ſicut Deum; quemadmodum non ſicut homo iraſcitur, nec ſicut homo miſeretur, nec ſicut homo zelat, ſed omnia ſicut Deus. Pœnitentia Dei non eſt poſt errorem: ira Dei non habet perturbati animi ardorem: Miſericordia Dei non habet compatientis miſerum cor, unde in latina lingua nomen accipit: Zelus Dei non habet mentis livorem. Sed Pœnitentia Dei dicitur rerum in ejus poteſtate conſtitutarum hominibus improviſa mutatio: ira Dei eſt vindicta peccati: miſericordia Dei eſt bonitas opitulandi: Zelus Dei eſt Providentia, quâ non ſinit, eos, quos ſubditos habet, impunè amare quod prohibet &c.* quæ explicat D. Thomas *1. p. q. 19. ar. 7. ad 2.* dicens: *Illud verbum Domini* (pœnituit) *metaphoricè intelligendum eſt ſecundùm ſimilitudinem noſtram: cùm enim nos pœnitet, deſtruimus, quod fecimus .... ſic igitur Deus pœnituiſſe dicitur ſecundùm ſimilitudinem operationis; inquantum hominem, quem fecerat, per Diluvium à facie terræ delevit.* Hæc D. Thomas. Sic pœnituiſſe dicitur, conſtituiſſe Saulem Regem, quia ipſum amovit à Regno.

XLVI. Illæ autem voces Divinæ: *Adam, ubi es?* non ſunt neſcientis, & ideò ipſum quæritando clamantis. *Nec enim* (ait Tertull. loco allato *cap. 25.*) *ſimplici modo, ideſt interrogatorio ſono legendum eſt: Adam, ubi es? ſed impreſſo, & incuſſo, & imputativo: Adam, ubi es! ideſt in perditione es, jam hìc non es, ut increpandi, & dolendi exitus vox ſit. Igitur interrogabat Deus, quaſi incertus, ut, & hìc liberi arbitrii probans hominem, in cauſa, aut negationis, aut confeſſionis, daret ei locum ſpontè confitendi delictum, & hoc nomine relevandi.* Idem dici poteſt de Cain. Conſentit S. Auguſtinus in Pſalm. 118. Serm. 9. dicens: *Quando enim dixit Deus: Adam, ubi es? non ubi eſſet ignorabat, ſed ſuperbum increpabat: & ubi tunc eſſet, ideſt, ad quam miſeriam perveniſſet: non ſcire cupiebat, ſed interrogando increpans admonebat.* Quod repetit *lib. 13. de Civitate Dei cap. 15.* qui de Cain *lib. 12. contra Fauſtum cap. 10.* loquens. *Interrogabat* (inquit) *Deus Cain, non tanquam ignarus, eum, à quo diſcat; ſed tanquam Judex reum, quem puniat.*

XLVII. Similiter verba hæc, *deſcendens ego videbo* (inquit idem Auguſtinus *lib. 1. quaſt. in Geneſ. q. 39.*) *ſi non dubitantis, quid duorum potiùs eventurum ſit; ſed iraſcentis, & minantis accipiamus, nulla quaſtio eſt: more quippe humano Deus in Scripturis ad homines loquitur ... ſolemus etiam ſic minaciter loqui: Videamus, ſi hoc tibi facio: aut videamus, ſi non illi fecero: & ſi non potuero tibi facere: vel ſciam; ideſt hoc ipſum experibor, utrum non poſſim. Quod, cum minando, non ignorando dicitur, irati apparet effectus; ſed perturbatio non cadit in Deum. Mos autem humana locutionis, & uſitatus eſt, ut humana infirmitati congruat, cui Deus coaptat locutionem ſuam.* Hæc S. Auguſtinus.

His ſatis; in quibus ſi nimiùm fortè prolixus apparui, ignoſcat lector. Ea enim Candidato neceſſaria ſcitu exiſtimavi, tanquam generales regulas ad multorum, quæ in ſacris litteris occurrere poſſunt, intelligentiam.

QUÆ-

Digitized by Google

QUÆSTIO III.

De Eſſentia Dei.

STatuto, Deum eſſe, & hunc eſſe unum, rectus ordo poſtulat, ut ſcrutemur, quantùm poſſumus, quid ſit. In quo duplici viâ poſſumus incedere, vel viâ affirmationis, affirmando de Deo perfectiones, quas in creaturis videmus, purificatas tamen ab omni imperfectione: vel viâ negationis, ſeu remotionis, negando de illo imperfectiones, quæ in Creaturis ſunt. D. Thomas hâc *qu. 3. ar. 1., & 2.* à via negationis incipit, ſeu remotionis, quia hic modus tenuitati noſtræ cognitionis magis aptatur. Quarè 1. Contra gentes cap. 14. *eſt autem*, inquit, *viâ remotionis utendum, præcipuè in conſideratione divinæ ſubſtantiæ. Nam divina ſubſtantia omnem formam, quam intellectus noſter attingit ſuâ immenſitate excedit: & ſic ipſam apprehendere non poſſumus, cognoſcendo quid eſt, ſed aliqualem ejus habemus notitiam, cognoſcendo, quid non eſt. Tantò enim ejus notitiæ magis appropinquamus, quantò plura per intellectum noſtrum ab eo poterimus removere:* in hoc enim *differentias ejus ad alia pleniùs intuemur.* Hunc igitur ordinem ſequentes ponimus.

DUBIUM I.

Utrum Deus ſit Corpus.

§. I.

Error Antropomorphitarum.

I. NOn defuere, qui Dèo Corpus, & quidem humanum affingerent, dicti propterea *Antropomorphitæ* à nomine græco, *Antropos*, ideſt homo, & *Morpha*, ideſt forma, ſpecies, ſtatura. Cui autem primò in mentem venerit hoc delirium, non adeò exploratum eſt. Hoc morbo laboraſſe quoſdam Judæorum ſimplices, ſicut & Tertullianum, *qui Deum corporalibus lineamentis figurabant*, cenſet S. Thomas 1. *contra Gentes c.* 20. ſecutus S. Auguſtinum *epiſt.* 157. modò 190. ad Optatum *cap.* 4. ubi cùm dixiſſet, Tertullianum contendere, animas humanas non eſſe ſpiritus, ſed corpora, ideoque generatione propagari, ſubdit. *Neque hoc Tertullianum ſomniaſſe mirandum eſt: qui etiam ipſum Creatorem Deum, non eſſe, niſi corpus, opinatur.* Hunc ſuum errorem paſſim prodit Tertullianus, præcipuè *lib. 2. contra Marcion. cap. 16., & lib. contra Praxeam cap. 7.*

II. Non deſunt tamen, qui patrocinium Tertulliani ſuſcipientes, dicant, eum erraſſe quidem in loquendi modo, at non in re: dixiſſe Deum eſſe Corpus, ſed eſſe etiam ſpiritum; ità loco citato adverſus Praxeam: *Quis enim* (inquit) *negabit, Deum Corpus eſſe: etſi Deus ſpiritus ſit?* Negat, Deum corpus eſſe viſibile, habens lineamenta corporis humani; Ità loco citato *adverſus Marcionem.* Cenſent ergo eum dixiſſe, Deum eſſe Corpus, ſumendo Corpus pro ſubſtantia, ſeu ente condiſtincto à nihilo, ut videre eſt *lib. de Anima cap. 7.*, & *lib. de Carne Chriſti cap. 11.*: ità Tertullianum excuſat S. Auguſtinus *lib. 10. de Geneſ. ad litteram c.* 25. ubi afferens cauſam, cur poſuerit animam eſſe corpus, ait: *timuit, ne nihil eſſet, ſi corpus non eſſet, nec de Deo valuit aliter ſapere:* additque, Tertullianum hunc errorem retractaſſe, dum ait: *Omne corporale paſſibile eſt* (*lib. de anima cap. 7.*) *Debuit ergo mutare ſententiam, quâ paulò ſuperiùs dixerat, etiam Deum Corpus eſſe. Neque enim arbitror, ità eum deſipuiſſe, ut etiam Dei naturam paſſibilem crederet:* & *lib. de hæreſ. hæreſ.* 86. poſtquam dixit, Tertullianum non ſolùm animam dixiſſe Corpus: ſed etiam Deum; ſubdit: *Nec tamen hinc hæreticus dicitur factus: Poſſet enim quoquomodo putari, ipſam naturam, ſubſtantiamque divinam, corpus vocare; non*

tale

tale corpus, cujus partes alia majores, alia minores valeant, vel debeant cogitari, qualia ſunt omnia, quæ propriè dicimus corpora; quamvis de anima tale aliquid ſentiat: ſed potuit, ut dixi, propterea putari Corpus Deum diſere, quia non eſt nihil, non eſt inanitas, non eſt corporis, vel animæ qualitas, ſed ubique totus, & per locorum ſpatia nulla partitus, in ſuâ tamen naturâ, atque ſubſtantiâ immutabilitèr permanet. Ità Tertullianum S. Auguſtinus excuſat. Utut ſit, certum eſt Tertullianum, ſi erravit, Antropomorphitarum parentem dici non poſſe, quia hi Corpus humanum Deo affingebant; Tertullianus verò eſto Deum eſſe Corpus dixerit: hoc tamen eſſe longè ab humano diverſum aſſerit *lib. 2. adverſus Marcionem cap. 16.*

III. Antropomorphitarum ergo errorem præformarunt Seleucus, & Hermias Galatæ, qui Deum eſſe Corporeum dixerunt. Hunc ſuum fecit Audæus natione Syrus, temporibus Valentis Imperatoris, & Damaſi Papæ, anno 380., qui, ut refert Theodoretus *lib. 4. hiſt. cap. 10.* ſtultè interpretatus hæc verba *faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram, Deum humanâ formâ præditum eſſe exiſtimavit, & corporis membris circumdatum eſſe credidit, Divinæ Scripturæ mentem haud quaquam perſipiens. Etenim ſcriptura ſæpe numero humanorum membrorum vocabula divinis operationibus imponit:* Hactenus inquit Theodoretus. Qui Audæi errorem per Syriam amplexi ſunt, Audæani dicti fuerunt. Audæum, cæteroquin pium, ac religioſum virum, excuſare conatur S. Epiphanius *hæreſ. 70.* tanquam ex imperitia duriori modo præfata verba Sacræ Scripturæ interpretantem, ſchiſmaticum illum vocans, non hæreticum.

IV. Hic error per Syriam promulgatus, poſtea anno 395. Theodoſio ſeniore, & Siricio Papa, nequitiâ quorundam virorum, qui dicebantur Vadiani (ſeu potius Audiani, Audæi diſcipuli) per Ægyptum latè propagatus fuit, ubi *Antropomorphitarum* nomen conſecuti ſunt. His adhæſit Mahometes anno 630. Heraclio Imperatore, & Honorio Primo Papa; qui in ſuo Alcorano poſuit Deum eſſe corporeum ens, in altiſſimis tamen habitantem. Contra hæc deliramenta ſit.

§. II.

Veritas Catholica.

V. DIco. Deus non eſt Corpus, neque habens membra humana, neque ullo alio modo: ſed eſt puriſſimus Spiritus. Probat D. Thomas *hôc art. 1.* ex teſtimonio Chriſti Joann. 4. v. 24. *Spiritus eſt Deus*, quod repetit D. Paulus 2 Cor. 3. v. 17. *Dominus autem Spiritus eſt.* ſed Spiritus non eſt Corpus, imo directe condiſtinguitur à corpore, nec membra humana habere poteſt; unde Chriſtus *Lucæ ultimo v. 39.* Diſcipulis dubitantibus, num ipſe eſſet Spiritus ſub apparentia Corporis, *Videte* (inquit) *manus meas, & pedes... palpate, & videte, quia Spiritus carnem, & oſſa non habet.* Ergo &c.

VI. Si dicas, nomen ſpiritus ſignificare etiam rem corpoream, ut Act. 2. v. 2. *Factus eſt repentè de Cœlo ſonus tanquam advenientis Spiritus vehementis.*

VII. Sed contra eſt. Nam Spiritum, de quo in Actis Apoſtolicis, eſſe corporeum, nempe ventum, flatum aeris, indicat verborum contextus, quo deſcribitur adveniens cum ſono ad corporalem auditum. Sed talis ſpiritus non eſt Deus, verùm talis, ut nullo loco ſit alligatus, ubique præſens, ſpiritu potiùs, quàm corpore colendus: ſubjungit enim Chriſtus: *veri adoratores adorabunt Patrem in ſpiritu, & veritate*, ſuper quæ D. Auguſtinus tract. 15. in Joann. *Quare* (inquit) *Pater tales quærit, qui adorent eum, non in Monte, non in Templo, ſed in ſpiritu, & veritate?* Spiritus eſt Deus. *Si Corpus eſſet Deus, oportebat, eum adorari in Monte,*

quia

quia corporeus eſt Mons, oportebat, eum adorari in Templo, quia corporeum eſt Templum.

VIII. Accedit, quòd Deus eſt ſpiritus per ſe oculo corporali inviſibilis. *prim. ad Timoth.* 1. 17., & non ſolùm quia in altiſſimis habitat, ut voluit Mahumetes. *Regi ſeculorum immortali, & inviſibili*. At ſi eſſet Corpus præcipuè humanum figuratum, & coloratum, eſſet per ſe viſibilis. Ergo &c.

IX. Rationes etiam philoſophicæ Deum non eſſe corpus evincunt. Primò. Nam Deus eſt primum movens prorsùs immobile, ut oſtenſum eſt: at ſi eſſet corpus, non eſſet movens prorsùs immobile, cùm non detur corpus, quod non ſit mobile ſaltem motu locali: & hoc Antropomorphitæ negare non poſſunt, nam Deum habere corpus putant, quia legunt in Scripturis ipſum deambulare. *Geneſ.* 3. 8. deſcendere *Geneſ.* 18. *v.* 21. Ergo &c.

X. Secundò. Deus eſt primum ens: ergo non corpus. Conſequentia probatur. Primùm ens debet eſſe in actu, & nullo modo in potentia, quia licèt in uno, & eodem, quod exit de potentia ad actum, prius ſit potentia, quàm actus tempore, ſimpliciter tamen actus prior eſt potentiâ; quia quod eſt in potentia non reducitur ad actum, niſi per ens in actu. Sed omne corpus eſt in potentia: nam utpote continuum eſt diviſibile; ergo ſi Deus eſt primum ens ſimplicitèr, non poteſt eſſe corpus.

XI. Tertiò. Deus eſt id, quod eſt nobiliſſimum in entibus: tale autem non eſſet, ſi foret corpus: quia, aut eſſet corpus vivum, aut non vivum. Si non vivum, eo ſimplicitèr nobilius eſſet corpus vivum. Si vivum, cùm corpus non vivat per ſe ipſum, aliàs omne corpus eſſet vivum, ſed vivat per vitam, ſicut corpus noſtrum vivit per animam, eo nobilior eſſet vita, ſeu anima, per quam vivit. Ità S. Thomas hâc *qu.* 3. *ar.* 1., & 1. *contra gentes cap.* 20.

XII. Quartò. Deus eſt objectum noſtram imaginationem, & intellectum tranſcendens Job. 36. v. 26. *Ecce Deus magnus vincens ſcientiam noſtram*: at talis non eſſet, ſi eſſet corpus: nam non eſſet corpus infinitum, quia hoc non datur; deinde ſi eſſet infinitum, occuparet omnia loca, & non relinqueret ſpatium cæteris corporibus: ergo eſſet corpus finitum: finitum autem corpus, nec intellectum, nec imaginationem noſtram tranſcendit.

XIII. Quintò. Præter ſenſum datur intellectus, qui ſuperior eſt ſenſu: ergo præter objectum ſenſibile, & corporale dari debet objectum intelligibile, & ſpirituale, quod ſit nobilius. Vel ergo Deus non eſt ens corporale, vel non eſt inter entia nobiliſſimum. Has duas rationes tradit D. Thomas *pr. contra gentes*, loco citato.

XIV. Sextò probari poteſt. Si corporeus eſt Deus, & membra habet ut homo, non erit totus ubique, ſed pars ejus in uno loco erit, alia in alio: imò cum corpus ejus finitæ magnitudinis ſit, ità erit in uno loco, puta in Cœlis, ut in aliis locis non ſit. Quomodo ergo dicit David *Pſal.* 144. *verſ.* 3. quòd *magnitudinis ejus non eſt finis?* Quomodo Pſal. 138. v. 8. *Si aſcendero in Cœlum* (inquit) *tu illic es: Si deſcendero in Infernum ades?*

XV. Septimò. Si Deus eſt corpus: ergo conſtat ex partibus, quarum quælibet minor, & non æquè perfecta erit, ac totum, & conſequenter finita in ſuo eſſe: quodlibet autem, quod in Deo eſt, infinitum eſſe debet.

§. III.

Antropomorphitarum fundamenta.

XVI. Suum delirium fundabant Antropomorphitæ in eo, quòd ſacræ litteræ Deo tribuant partes, & proprietates corporis humani. Job enim *cap.* 11. *verſ.* 8. 9. Deo tribuitur trina dimenſio: de eo enim dicitur: *Excelſior Cœlo eſt: & quid facies? profundior Inferno: & unde cognoſces? longior*

Digitized by Google

gior terra menſura ejus, & latior mari. Ecce in Deo profunditas, longitudo, & latitudo, quæ corporis proprietates ſunt.

Secundò. Job 40. v. 4. Deus habet brachium. *Si habes brachium, ut Deus*. Habet oculos. Pſalm. 33. v. 16. *Oculi Domini ſuper juſtos*. Habet manus. Job 10. 8. *Manus tuæ fecerunt me*. Habet digitos. Exodi 8. 19. *Digitus Dei eſt hic*. *Exod.* 31. 18. dicitur quòd: *Dedit Dominus Moyſi.... duas tabulas teſtimonii lapideas, ſcriptas digito Dei*. Habet dexteram. Pſal. 117. v. 16. *Dextera Domini fecit virtutem, dextera Domini exaltavit me*. Habet os, & pedes. Geneſ. 3. 8. *Cùm audiſſent* (Adam, & Eva) *vocem Domini Dei deambulantis ad auram poſt meridiem*. Sedet. Iſai. 6. v. 1. *Vidi Dominum ſedentem*. Stat. Iſaiæ 3. 13. *Stat ad judicandum Dominus*. Quid plura? Homo factus eſt ad imaginem, & ſimilitudinem Dei. Si ergo imago, nempe Homo, corpus, & membra habet: cur ea non habet Deus, ad cujus ſimilitudinem factus eſt Homo?

XVII. Ità ſuum delirium tegebant imperiti, neſcientes, quòd Sacra Scriptura tradit nobis ſpiritualia, & divina ſub ſimilitudinibus corporalibus, & ſub ſimilitudine quantitatis corporeæ quantitatem virtutis ejus deſignat: per profunditatem, virtutem ad cognoſcendum occulta, vel ejus incomprehenſibilitatem: per altitudinem, excellentiam virtutis ejus ſuper omnia: per longitudinem, durationem ſui eſſe, vel proceſſum virtutis ejus omnia penetrantis: per latitudinem, affectum dilectionis ad omnia, vel ſuperextenſionem virtutis ejus ad omnia. Ità ex D. Thom. *hic ad primum*.

Similiter per humana membra divinas operationes deſignat: per brachium, potentiam: per oculos, perſpicacitatem cognitionis, quâ omnia intuetur: per manus, vim omnium operativam: per digitum, ſpiritum Dei, ideſt Spiritum Sanctum, ut exponit S. Auguſtinus in *Exod. qu.* 25.; per dexteram, Dei protectionem; per pedes, divinam præſentiam. Dicitur ſedens, propter ſuam immobilitatem, & auctoritatem: & ſtans propter ſuam fortitudinem ad debellandum omne, quod adverſatur. Homo autem dicitur factus ad imaginem, & ſimilitudinem Dei, non ſecundùm corpus, ſed ſecundùm id, quo excellit cætera animalia; unde ſubditur, ut præſit piſcibus maris &c. *Excellit autem homo cætera animalia, quantum ad rationem, & intellectum; unde ſecundùm intellectum, & rationem, quæ ſunt incorporea, homo eſt ad imaginem Dei*. Ità S. Thomas hìc ad ſecundum.

XVIII. Audire placeat S. Auguſtinum *Epiſt.* 148. olim 111. ad Fortunatianum *cap.* 4. ità monentem: *De membris Dei, quæ aſſiduè Scriptura commemorat, ne quiſquam ſecundùm carnis hujus formam, & figuram nos eſſe crederet ſimiles Deo, propterea eadem ſcriptura* (Pſalm. 16. 8.) *& alas habere Deum dicit, quas nos utique non habemus. Sicut ergo alas cùm audimus, protectionem intelligimus: ſic & cùm audimus manus, operationem intelligere debemus; & cùm audimus pedes, præſentationem: & cùm audimus oculos, viſionem, quâ cognoſcit; & cùm audimus faciem, notitiam, quâ innoteſcit; & ſi quid aliud eadem ſcriptura tale commemorat, puto ſpiritualiter intelligendum. Neque hoc ergo tantùm, aut ego prior; Sed omnes, qui qualicumque intelligentiâ reſiſtunt eis, qui ob hoc Antropomorphitæ nominantur*.

XIX. Deinde ex omnibus interponens unum Sanctum Hieronymum proſequitur. *Cùm ergo ille vir in ſcripturis doctiſſimus Pſalmum* (93. 9.) *exponeret, ubi dictum eſt*. Intelligite ergo, qui inſipientes eſtis in populo, & ſtulti aliquando ſapite. Qui plantavit aurem non audiet, aut qui finxit oculum non conſiderat? *inter cætera:* ,, Iſte locus, *inquit*, adverſus eos maximè facit, qui Antropomorphitæ ſunt, qui dicunt, Deum habere membra, quæ etiam nos habemus; ver-

„ verbi cauſa dicitur Deus habere o-„ culos, quia oculi Domini reſpici-„ unt omnia, manus Domini facit „ omnia. *Et audivit* (inquit) *Adam* „ *ſonum pedum Domini deambulantis in* „ *Paradiſo:* hæc ſimpliciter audiunt, „ & humanas imbecillitates ad Dei ma-„ gnificentiam referunt. Ego autem „ dico, quòd Deus totus oculus eſt, „ totus manus eſt, totus pes eſt. To-„ tus oculus eſt, quia omnia videt. „ Totus manus eſt, quia omnia opera-„ tur. Totus pes eſt, quia ubique eſt. „ Ergo videte, quid dicat. *Qui plan-* „ *tavit aurem non audiet, aut qui finxit* „ *oculum, non conſiderat?* & non dixit: „ Qui plantavit aurem; ergo ipſe au-„ rem non habet, non dixit, ergo ipſe „ oculos non habet? Sed quid dixit? „ *Qui plantavit aurem, non audiet,* „ *qui finxit oculos, non conſiderat?* „ Membra tulit, efficientias dedit. Hęc ex S. Hieronymo S. Auguſtinus. Videndus etiam eſt Damaſcenus *lib.* 1. *de fide cap.* 11. qui ſingula, quæ de Deo modo corporeo dicuntur, diligenter expendit. Ex quibus diſcimus quòd licèt Deus cauſet in homine membra, imò & quorumcumque corporalium cauſa ſit, non tamen nec membra, ſeu quicquam horum in ſe formaliter habet, ſed eminentiſſimam virtutem hæc omnia faciendi, non enim eſt horum cauſa univoca, & particularis, ſed æquivoca, & univerſaliſſima. Sicut Sol eſt cauſa plantarum, ſegetum &c. quamvis Sol nec planta, nec ſeges ſit.

DUBIUM II.

An Deus ſit compoſitus.

§. I.

An ex materia, & forma.

I. Poſtquam D. Thomas ſtabilivit art. 1., Deum non eſſe Corpus inſtituit ar. 2. hoc quæſitum: nec ſuperfluè, ait Cajetanus hìc. Quia eſſe corpus, & eſſe compoſitum ex materia, & forma, non idem ſunt, neque convertuntur apud omnes. Nam Averroes ponit Corpus in Cœlis, & tamen non compoſitum ex materia, & forma, de quò Nazianz. *orat.* 34., & Damaſcenus *lib.* 1. *de Fide cap.* 4. Avicebron autem ponit compoſitum ex materia, & forma in ſubſtantiis ſpiritualibus, & tamen non Corpus; quales aliqui putabant eſſe Angelos. Agareni etiam in Deo ponebant eſſentiam, & ejus animam. Hi fuere Chriſtiani quidam, qui à Mahumete dementati anno 650. Chriſtianiſmum ex parte ejuraverunt.

II. Dico ergo. In Deo nulla eſt compoſitio formæ, & materiæ. Probat primò D. Thomas: quia omne taliter compoſitum habet potentiam actui admixtam, materia enim eſt id, quod eſt in potentia: ſed Deus eſt actus puriſſimus: Ergo &c. Secundò. Omnè compoſitum ex materia, & forma eſt bonum, & perfectum per ſuam formam: Ergo non eſt primum, & ſummum, quod debet eſſe bonum per ſe, & non per aliud: Ergo cùm Deus ſit per eſſentiam bonus, & primum in genere boni, debet eſſe bonus per ſe, non per aliud, & participativè ab alio. Tertiò. Omne tale compoſitum eſt agens per ſuam formam; ergo non eſt primum, & per ſe agens. Sed Deus eſt primum agens ſimpliciter, & in omni genere; ergo non debet eſſe agens per formam, ſed debet eſſe per eſſentiam ſuam forma ſimpliciſſima, & puriſſima.

III. Nec dicas. Ignis eſt primò, & per ſe agens: & tamen non eſt per ſe forma. Nam reſpondeo, quòd ignis, etſi dicatur primum agens in ordine calidorum, non tamen eſt primum ſimplicitèr in ordine agentium, ſicut eſt Deus, & ideo nec agit ſe toto, ſed ratione formæ, nec oportet, ut per ſe forma ſit.

§. II.

§. II.

An ex Deo, & Deitate.

IV. Dico. In Deo non adeſt compoſitio inter Deum, & ſuam naturam, ſeu inter Deum, & Deitatem, ſed Deus verè, & propriè eſt ſua eſſentia, ſua deitas. Eſt Catholica veritas ſtatuta in Concilio Remenſi contra Gilbertum cognomento Porretanum Epiſcopum Pictavienſem, in quo hæc ejus propoſitio inter alias proſcripta eſt: *Divina eſſentia non eſt Deus:* dicebat enim, divinam eſſentiam, ſeu deitatem, eſſe quidem *quâ Deus eſt*, non tamen *qua Deus ſit:* quod idem dicebat de aliis prædicatis divinis, nolens, in divinis abſtracta prædicari de concretis, neque è contra. Quare Boetii verba in libro de Trinitate ſic exponebat (referente S. Bernardo ſerm. 80. in Cantica.) *Pater eſt veritas, ideſt verus: Filius eſt veritas, ideſt verus. Spiritus Sanctus eſt veritas, ideſt verus: & hi tres ſimul non tres veritates, ſed una veritas, ideſt unus verus.* Contra quam expoſitionem exclamat S. Bernardus: *O obſcuram, perverſamque explanationem! quàm veriùs, saniùſque per contrarium ità dixiſſet: Pater eſt verus, ideſt veritas. Filius eſt verus, ideſt veritas. Spiritus Sanctus eſt verus, ideſt veritas. Et hi tres unus verus, ideſt una veritas. Quod quidem feciſſet, ſi Sanctum dignaretur Fulgentium imitari, qui ait: Una quippe veritas unius Dei, imo una veritas, unus Deus.*

V. Imò, ut refert Gaufredus Clarevallenſis Abbas *in Epiſt.* ad Albinum Cardinalem Epiſcopum Albanenſem, preſſus à S. Bernardo Gilbertus, ut fateretur, vel negaret, quòd divina eſſentia, vel natura, divinitas ejus, ſapientia, bonitas, magnitudo, non eſt Deus, ſed eſt forma, qua eſt Deus, auſus ſit dicere *forma Dei, & divinitas, quâ Deus eſt, ipſa Deus non eſt.* Et in libello contra Gilbertum ejus errorem exponens ait: *Initium malorum hoc erat. Forma ponebatur in Deo, quâ Deus eſſet, & qua non eſſet Deus, ut humanitas hominis forma eſt, non quâ ſit, ſed quâ ſit homo.* Et infra. *Unde & ejuſmodi enunciationes, Divinitas eſt Deus, Sapientia &c., falſas eſſe omnino tam impiè, quàm liberè auſus eſt profiteri. Porrò converſas earum, Deus eſt veritas, Deus eſt ſapientia, cateraſque ejuſmodi emphaticas eſſe tradebat, ac ſi de homine diceretur: Tu quantus, quantus, totus Sapientia es.* Hæc Gaufredus.

VI. Totum proceſſum contra Gilbertum narrat Otho Friſingenſis *lib.* 1. de geſtis Friderici I. Imperatoris *cap.* 56., & 57. ubi concludit: *Romanus Pontifex definivit, ne aliqua ratio in Theologia inter naturam, & Perſonam divideret, neve Deus divinâ eſſentiâ diceretur ex ſenſu ablativi tantùm, ſed etiam nominativi .... Epiſcopus vero (Gilbertus) præmiſſam Summi Pontificis ſententiam reverentèr excipiens, Archidiaconis ſuis in gratiam receptis, cum ordinis integritate, & honoris plenitudine, ad propriam diaceſim remeavit.* Quare erravit quidem Gilbertus, ſed hæreticus non fuit.

VII. Ex dictis apparet, Gilbertum exiſtimaſſe, attributa Dei, neque a ſe invicem, neque ab eſſentia reipsâ diſtingui, ſed tantùm ratione Theologicâ, ſeu formali. Sanctus enim Bernardus *lib.* 5. *de Conſiderat. cap.* 7. fatetur, ab ipſo, ejuſque diſcipulis dici magnitudinem, bonitatem &c. unam eſſe divinitatem, ſed eam non eſſe Deum, ſed illi conferre, ut Deus ſit. *Non multa inquiunt, ſed unam tantùm divinitatem, qua omnia illa ſunt Deo ut ſit, conferre aſſerimus.* Hinc ab aliquibus dubitatur, an doctrina Scoti diſtinguentis pluſquàm ratione, & intelligentiâ inter divinam naturam, & attributa, & inter attributa invicem: ita ut, licèt divina natura reipsâ ſit ſua attributa, formalitèr tamen non ſit, a Gilberti doctrina diſcrepet. Nihil, vel parum diſtare judicat Petavius

tom. 1. *Theologic. dogm. lib.* 1. *cap.* 8. *num.* 8. Quod judicium olim tulerat Jo. Gerſon *in Epiſt.* ad quendam Fratrem Minorem *anno* 1442., in qua refert, per Prædeceſſores ſuos in Sacra Theologiæ facultate inter cæteros damnatum fuiſſe hunc articulum: *Quòd aliquid ſit Deus realiter, quod non ſit formaliter Deus.* Sed hanc cauſam tractandam ſuſcipere, noſtrum non eſt, minùs verò de ea judicare.

VIII. Probatur ergo Catholica veritas contra Gilbertum. Primò ex Scriptura Joann. 14. verſ. 6. *Ego*, inquit Chriſtus, *ſum via, veritas, & vita:* & Joannis Epiſt. 1. cap. 6. v. 6. *Spiritus eſt, qui teſtificatur, quoniam Chriſtus eſt veritas:* Sicut autem ſe habet veritas ad verum, & vita ad viventem, ità Deitas ad Deum; Ergo ſicut Deus eſt veritas, & vita; ità Deus eſt deitas.

Secundò. Probatur ex D. Auguſtino *lib.* 11. *de Civitate Dei cap.* 10. ſic dicente: *Propter hoc itaque Natura dicitur ſimplex, cui non ſit aliquid habere, quod vel poſſit amittere, vel aliud ſit habens, aliud quod habet, ſicut vas aliquem liquorem, vel Corpus colorem, aut aer lucem, ſive fervorem, aut anima ſapientiam. Nihil enim horum eſt id, quod habet: nam neque vas liquor eſt, nec corpus color, aut aer lux, ſive fervor, neque anima ſapientia eſt. Hinc eſt, quòd etiam privari poſſunt rebus, quas habent, & in alios habitus, vel qualitates verti, atque mutari, ut & vas evacuetur humore, quo plenum eſt, & corpus decoloretur, & aer tenebretur, & anima deſipiat.* Quibus verbis docet, nec diſtingui poſſe inter Deum habentem Deitatem, & Deitatem, quam habet, & inſuper nihil eorum, quæ Deus habet, illi deficere poſſe. Rurſus lib. 5. de Trinitate cap. 11. *Sicut* (inquit) *Trinitas unus Deus dicitur, magnus, bonus, æternus, omnipotens, idemque ipſe: ſic ſua dici poteſt Deitas, ipſe ſua magnitudo, ipſe ſua bonitas; ipſe ſua æternitas, ipſe ſua omnipotentia.*

IX. Tertiò. Probatur rationibus, quibus S. Bernardus urgebat Gilbertum. Primò. Si id, quod eſt Deus, non eſſet id, quò eſt Deus, nimirùm ſua Deitas, jam eſſet compoſitus ex Deo, ideſt habente Deitatem, & Deitate; ſicut quia homo, ideſt habens humanitatem, non eſt humanitas, homo eſt compoſitus ex humanitate, & habente ipſam, & homo, & humanitas duæ res ſunt: ſed Deus, & natura Dei eſt omnino ſimplex; ergo. Ità S. Bernardus *lib.* 5. *de Conſider. cap.* 7. Gilberti diſcipulos perſtringens: *Aſſeritis ergo* (inquit) *etſi non multiplicem, duplicem Deum, & non ad merum ſimplex perveniſtis, neque ad id, quò melius cogitari non poteſt. Tam non eſt ſimplex, quod vel uni fuerit obnoxium forma, quàm nec virgo vel uni cognita viro.*

Secundò. Ratione, quâ utitur *ſerm.* 80. *in Cantica* ſic: Deitas, aut Deus eſt, aut aliquid, quod non eſt Deus, aut nihil: atqui non poteſt eſſe nihil, cùm ſit natura divina, quâ eſt Deus, & ſine qua non eſſet Deus; ſed nec dici poteſt, quòd ſit aliquid, quod non eſt Deus, quia vel eſſet minor Deo, vel major, vel par. Non poteſt eſſe minor Deo, quia eſt id, quô Deus eſt, & proinde infinitum, ſicut Deus. Non poteſt eſſe major; aliàs eſſet ſummum bonum, & non eſſet Deus. Nec poteſt eſſe par. Alias duo eſſent ſumma bona, & non unum, quod eſt impoſſibile. Relinquitur ergo, quòd Deus propriè ſit ipſa Deitas, & Deitas ipſe Deus.

X. Quartò, probatur ratione Divi Thomæ hìc: In rebus incorporeis non diſtinguuntur ſuppoſitum, & natura, ſive eſſentia: Sed Deus eſt incorporeus: ergo ſuppoſitum, & natura in Deo non diſtinguuntur, atque adeò Deus eſt ſua eſſentia, vel natura. Major probatur. Ideo in rebus corporeis differunt natura, & ſuppoſitum, quia natura ſolum includit ea, quæ ingrediuntur definitionem ſpeciei; ſuppoſitum autem præter illa etiam inclu-

cludit materiam individualem cum accidentibus ipſam individuantibus. Unde id, quod eſt homo, habet in ſe aliquid, quod non eſt humanitas, neque omnino idem eſt homo, ac humanitas, cum plura includat homo, quæ non includit humanitas. In ſubſtantiis autem incorporeis, cùm non fiant individuæ per materiam, ſed per ſe ipſas, nihil includit ſuppoſitum, ſeu individuum, quod natura non includat, unde in eis eſt idem ſuppoſitum, ſive individuum, quod natura, ſive eſſentia.

XI. Ut hæc ratio intelligatur, & evaneſcant difficultates, quæ circa illam oriuntur. Supponendum eſt, ſuppoſitum duo addere ſupra naturam. Primum ſunt principia individuantia; & hæc in rebus corporalibus ſunt hæ carnes, hæc oſſa, hæc anima, deſignantia hanc materiam, quæ eſto in humanitate non includantur, includuntur tamen in homine individuo. Secundum, quod ſuppoſitum addit ſupra naturam, eſt ſubſiſtentia, ſeu per ſe exiſtentia, quæ eſt realitas quædam poſitiva, velut terminus, & complementum naturæ, ratione cujus redditur condiſtincta, & incommunicabilis, nedùm pluribus individuis, ſed etiam pluribus ſuppoſitis. Quando ergo Sanctus Thomas dicit, quòd in rebus incorporeis non diſtinguuntur ſuppoſitum, & natura, ſumit ſuppoſitum, non adæquatè quoad utrumque, ſed inadæquatè, nimirùm pro ut ſolùm addit principia individuantia, ut conſtat ab exemplo, quod ibi affert, & pro ut ſuppoſitum idem eſt, ac individuum naturæ: ut inde concludat, quòd, cùm natura ſpiritualis, & incorporea non individuetur per materiam, aut aliud accidens ipſi, ſed per ſe ipſam, in ea ſuppoſitum hâc ratione non diſtinguitur à natura, ſicut contingit in Corporalibus. Non tamen D. Thomas accipit ſuppoſitum, prout addit etiam ſubſiſtentiam reddentem naturam incommunicabilem etiam pluribus ſuppoſitis.

XII. Quod neceſſariò dicendum eſt, ne doctrina D. Thomæ ſit ſibimet contradictoria. Etenim Angeli ſunt ſubſtantiæ incorporeæ, & immateriales: & tamen in eis realiter differt id, *quo eſt* ab eo, *quod eſt*, ſeu natura, & ſuppoſitum, ut videre eſt *1. p. qu. 50. ar. 2. ad 3., qu. 75. ar. 5. ad 4., lib. 2. contra gentes cap. 52., qu. de ſpiritualibus creat. art. 1. ad 8., & quodlib. 2. art. 4.*, ubi ex profeſſo quærit, *utrum in Angelis ſit aliud ſuppoſitum à natura:* & affirmativè reſpondet: quia ſubſtantiis immaterialibus creatis aliquid accidit præter rationem ſpeciei. Non quidem aliquid, quod ſit determinativum ſpeciei ad eſſe individuum, cùm ipſa natura ſpeciei non individuetur per materiam, ſed per ſe ipſam. *Sed quia non eſt ſuum eſſe, accidit ei aliquid præter rationem ſpeciei, ſcilicet ipſum eſſe, & alia quædam, quæ attribuuntur ſuppoſito, & non naturæ, propter quod in eis ſuppoſitum non eſt omnino idem cum natura.* Quare, ut præfata contrarietas tollatur, dicendum eſt, D. Thomam, dum ait, generalitèr in ſubſtantiis incorporeis non diſtingui ſuppoſitum, & naturam, non loqui de ſuppoſito, ut dicit utrumque, ſcilicet naturam individuam, & per ſe exiſtentem, vel ſubſiſtentem incommunicabiliter, ſed ſolùm, ut dicit naturam in individuo. Nec ulteriùs intentum Sancti Doctoris protendebatur, quod erat tantùm oſtendere, Individuum naturæ divinæ, quod dicitur *hic Deus*, ſeu *habens divinitatem*, eſſe idem cum natura divina, & hoc vocat *ſuppoſitum*, ſcilicet *quod eſt*, abſtinens ab ulteriori notione ſuppoſiti divini, ut dicit Perſonam incommunicabilem, quia de hoc agere præſentis loci non erat, ubi agit de abſolutis, non de relativis, ut notat Cajetanus *ad hunc articulum tertium*.

XIII. Supereſt tollere ſcrupulum Gilberti Porretani, qui ſupra. Is enim fateri timebat, Deum eſſe ſuam deitatem, ſeu naturam, ne cogeretur dicere, quòd ſicut Deus eſt incarnatus,

ità

Digitized by Google

ità quoque dici deberet, quòd Deitas, ſeu natura divina ſit incarnata.

Sed hunc ſcrupulum tollit D. Thomas 1. *par. qu.* 39. *ar.* 5. *in c.* dicens, *quod ad veritatem locutionis non ſolùm oportet conſiderare res ſignificatas, ſed etiam modum ſignificandi ... Licèt autem ſecundùm rem ſit idem Deus, quod Deitas, non tamen eſt idem modus ſignificandi utrobique. Nam hoc nomen Deus, quia ſignificat divinam eſſentiam, ut in habente, ex modo ſuæ ſignificationis naturalitèr habet, quòd poſſit ſupponere pro Perſona. Et ſic ea, quæ ſunt propria Perſonarum, poſſunt prædicari de hoc nomine Deus, ut dicatur, quod Deus eſt genitus, vel generans ... ſed hoc nomen eſſentia non habet ex modo ſuæ ſignificationis, quòd ſupponat pro Perſona, quia ſignificat eſſentiam, ut abſtractam.* Ità S. Thomas contra Abbatem Joachim, qui errans aſſerebat, quòd ſicut dicitur Deus genuit Deum, ita poteſt dici, quòd eſſentia genuit eſſentiam, cùm aliud non ſit Deus, quam divina eſſentia. Idem docet 3. *par. qu.* 16. *ar.* 5. ubi ex diverſitate modi ſignificandi infert, quædam dici *de filio Dei, quæ non dicuntur de divina natura, ſicut dicimus, quòd filius Dei eſt genitus, non tamen dicimus, quòd divina natura ſit genita ... & ſimiliter in myſterio Incarnationis dicimus, quòd filius Dei paſſus eſt* (vel incarnatus) *non autem dicimus, quòd natura divina ſit paſſa.* (vel incarnata.)

XIV. Evaneſcit etiam alter Gilberti ſcrupulus, quô timebat, ne ſi fateretur, idem eſſe naturam, ſeu eſſentiam divinam, & perſonam, incideret, vel in errorem Arii, dividentis eſſentiam, ſicut dividuntur Perſonæ, vel in confuſionem Sabellii, omnia de Deitate dicentis, quæ de Perſonis dicuntur, motus hâc Theodoreti contra Sabellium auctoritate: *Qui naturam, & Perſonam unum eſſe intelligit, aut in diviſionem Arii incidit, aut in confuſionem Sabellii*, & S. Hilarii dicentis: *Non idem eſt natura, quod naturæ res eſt, ſicut non idem eſt homo, & quod hominis eſt, nec idem ignis, & quod ipſius ignis eſt, & ſecundùm hoc non idem eſt Deus, & quod Dei eſt.*

XV. Evaneſcit inquam: etenim eſſet quidem fortè timendi ratio, nè incideremus in diviſionem Arii, vel in confuſionem Sabellii, ſi naturam, & ſuppoſitum, aut etiam Perſonam poneremus, velut duo nomina ſynonyma, ideſt idem omnino, ſolùm diverſis nominibus ſignificatum, ſeu idem tam ex parte rei ſignificatæ, quàm ex modo ſignificandi; Non autem ſi ſtatuamus (ut de facto ſtatuimus) naturam, & ſuppoſitum, & perſonam eſſe quidem unum, & idem ex parte rei ſignificatæ, non verò ex parte modi ſignificandi, & naturam ſignificari per modum abſoluti, Perſonam verò per modum relativi. Sic enim multiplicare poſſumus Perſonam, & non dividere, & multiplicare eſſentiam, ſeu naturam, ut Arius, & rurſus aliquid dicere de Perſona, quod non dicamus de Natura, contra Sabellium. Theodoretus autem in primo ſenſu loquebatur, non in ſecundo.

XVI. Sanctus Hilarius *lib.* 8. *de Trinitate num.* 22. (ubi verba à Gilberto prolata reperiuntur) arguebat Arianum dicentem ſpiritum Chriſti, & ſpiritum Dei non eſſe ejuſdem naturæ, quia ſpiritus Chriſti ponitur diverſus à ſpiritu Dei, tali forma ipſum perſtringens: aut nomine ſpiritus Dei ſignificare vis propriam Patris naturam, aut rem illius quidem propriam, ſed ab ipſo tamen diſtinctam: quia alius eſt ſpiritus, alius cujus eſt ſpiritus, utrumvis eligas, Pater, & Filius oſtenduntur unius naturæ, cùm Chriſti, & Patris unus, & idem ſit ſpiritus, proindeque natura, & Spiritus Sanctus ut Patris, ità & Chriſti ſit, adeoque res naturæ unius, ſeu eorum, quorum natura una ſit. Cûm verò ait *non idem eſt natura, quod natura res*, ſolùm vult non eſſe idem intelligentiâ, & ratione. Ità enim ſe expreſſerat *lib.* 2. *de Trin. nu.* 32. ubi exponens illud Apoſtpli 2. Cor. 3. 17. *Quia Dominus*

ſpi-

Digitized by Google

ſpiritus eſt, ubi autem ſpiritus Domini eſt, ibi libertas eſt, ait, *Diſſerevit ad intelligentiæ ſignificationem eum qui eſt, ab eo, cujus eſt. Non enim habere, haberique unum eſt, neque eadem ſignificatio continet eum, atque ejus*. Ex quibus patet, Hilarium diſtinguere in Deo naturam, ſeu qui eſt, à re naturæ, ſeu à cuius eſt ſolo modo ſignificandi; & etiam patet, exempla, quæ adducit de homine, & igne, adduci quidem in exemplum diſtinctionis, non tamen modi diſtinctionis.

§. III.

An Deus componatur ex eſſentia, & eſſe.

XVII. DIco. In Deo idem eſt eſſentia, & eſſe abſque ulla compoſitione. Ità S. Thomas hìc *art.* 4. & Probat primò. Quia ſi eſſe, ſive exiſtere in Deo, eſſet aliud ab eſſentia Dei, oporteret, ut eſſe Dei eſſet cauſatum, vel à principiis eſſentiæ, vel ab aliquo exteriori: *quia quidquid eſt in aliquo, quod eſt præter eſſentiam ejus, oportet eſſe cauſatum, vel à principiis eſſentiæ, ſicut accidentia propria conſequentia ſpeciem, ut riſibile conſequitur hominem, & cauſatur ex principiis eſſentialibus ſpeciei, vel ab aliquo exteriori, ſicut calor in aqua cauſatur ab igne:* Sed eſſe Dei non poteſt eſſe cauſatum ab aliquo exteriori, quia cùm Deus ſit prima cauſa efficiens non poteſt accipere eſſe ab alio extrinſeco. Neque poteſt cauſari ex ipſa eſſentia, ſeu ex principiis eſſentiæ, aliàs eſſentia Dei eſſet ſibi cauſa eſſendi, nulla enim rès ſufficit, ut ſibi ſit cauſa eſſendi, ſi habeat eſſe cauſatum. Imò ſi eſſentia Dei eſſet cauſa ſui eſſe, cùm omnis cauſa efficiens, ut cauſet, debeat eſſe actu, jam eſſentia divina eſſet ante ſuum eſſe, & proinde eſſet, antequam eſſet.

XVIII. Secundò probat. Quia eſſe eſt actualitas eſſentiæ, vel naturæ; ergo ſi eſſentia Dei non eſt ſuum eſſe, erit diſtincta à ſuo eſſe, & conſequenter à ſua actualitate, & ad ipſam comparabitur, ut potentia ad actum, nec erit actus puriſſimus.

Tertiò. Illud, quod habet eſſe, & non eſt eſſe, eſt ens, non per eſſentiam, ſed per participationem, ſicut illud, quod habet ignem, & non eſt ignis, eſt ignitum per participationem; ergo ſi Deus non eſt ſuum eſſe, erit ens per participationem, & non per eſſentiam, & proinde nec primum ens.

An verò D. Thomas ità ſentiat, quòd eſſentia Dei ſit ſuum eſſe, ut non realiter ſolùm, & quaſi phyſicè, ſed etiam metaphyſicè illud ſibi identificet, ut per illud Deus metaphyſicè eſſentialitèr conſtituatur, res erit infrà examinanda.

§. IV.

Alia genera compoſitionum à Deo excluduntur.

XIX. REſolvit S. Thomas hìc ar. 5., Deum non eſſe in genere aliquo, neque directè, neque reductivè. Non directè, quia ea, quæ ſub genere continentur, ſunt ſpecies, ſicut homo, qui continetur ſub animali, ut ſub genere, ſpecies eſt. Deus autem ſpecies eſſe non poteſt, quia hæc conſtituitur ex genere ut potentiali, & contrahibili, & differentiâ ut actuante, & determinante, ut patet in homine, in quo animal, quod eſt genus, ſumitur à natura ſenſitiva, rationale verò à natura intellectiva. Intellectivum autem comparatur ad ſenſitivum, ſicut actus ad potentiam: In Deo autem nihil eſt, aut cogitari poteſt, quod ſe habeat per modum potentiæ, & actus, cùm totus ſit actualitas, & quidem puriſſima; igitur &c.

Secundò. Cùm eſſe Dei ſit ejus eſſentia, oporteret, quòd genus ejus eſſet ens: ens autem genus eſſe non poteſt, omne enim genus habet differentias, quæ ſunt extra eſſentiam generis: nulla autem differentia poſſet inveni-

Digitized by Google

veniri, quæ eſſet extra eſſentiam entis, quia quod eſt extra ens, eſt non ens; non ens autem non poteſt eſſe differentia entis: Ergo.

Tertiò. Ea, quæ ſunt in aliquo genere conveniunt in quidditate, ſeu in eſſentia, & differunt in eſſe, aliud enim eſt eſſe hominis, aliud equi, aliud hujus hominis, & illius hominis: ergo oportet, ut quæcumque ſunt in genere, differant in eis eſſentia, & eſſe. Cùm ergo in Deo idem ſit eſſentia, & eſſe, Deus non eſt in aliquo genere directè, ſicut ſpecies.

XX. Neque etiam reductivè, ut punctum, & unitas reducuntur ad genus quantitatis, ut ejus principia, neque ſicut cæcitas, & omnis privatio reducitur ad genus ſui habitus. Nam quod ſic reducitur ad aliquod genus, ultra illud non ſe extendit, ut patet in puncto, & unitate, quæ non ſe extendunt ultra genus quantitatis: Deus autem eſt principium totius eſſe ſe extendens ad omnia genera tanquam menſura excedens: unumquodque enim tantum habet de eſſe, quantum ei appropinquat: igitur non continetur in aliquo genere, tanquam principium ejus, ſed potiùs continet omnia genera. De hoc videri poteſt S. Doctor *1. contragentes cap. 25.*, *& qu. 7. de potentia art.* 3. Quod fusè tractant Logici ſtatuentes, Deum non poni in prædicamento ſubſtantiæ, & Metaphyſici de ente comparatè ad ſua inferiora.

XXI. Statuit inſuper S.Thomas *a. 6.*, Nullum accidens eſſe in Deo, ac proinde nec compoſitionem ex ſubjecto, & accidente: & hoc (ut ait *1. contragentes cap.* 23. ex Averroe 12. *Metaph. comment.* 39.) contra eos, qui ponebant *quaſdam intentiones divinæ eſſentiæ ſuperadditas*. Hoc probat primò, quia ſubjectum comparatur ad accidens, ſicut potentia ad actum, nam ſubjectum ſecundùm accidens eſt aliquo modo in actu: Deus autem, qui eſt purus actus, ad nihil poteſt comparari ut potentia.

XXII. Secundò. Licèt id, quod eſt, aliquid aliud poſſit habere adjunctum, tamen ipſum eſſe nihil aliud adjunctum habere poteſt: *Sicut quod eſt calidum poteſt habere aliquod extraneum, quàm calidum, ut albedinem; ſed ipſe calor nihil habet præter calorem;* Sed Deus eſt ipſum eſſe per eſſentiam; ergo non poteſt aliquid habere, quod ſit illi adveniens, & non ſit eſſentiale.

XXIII. Tertiò. Hoc accidens, vel eſſet accidens commune, & ſic Deo conveniret aliquid per accidens, quod eſſet contra rationem primi entis, cui quidquid convenit, debet convenire per ſe, cùm id, quod eſt per ſe, ſit prius eo, quod eſt per accidens. Vel eſſet accidens per ſe, ſeu proprium: & hoc eſſet contra rationem primæ cauſæ, cùm enim accidentia per ſe, & propria emanent à principiis eſſentiæ, jam in Deo eſſet aliquid cauſatum.

Probari etiam poteſt, quia Deus ſe ipſo eſt infinitè perfectus: ſi autem in eo eſſet aliquod accidens, per illud perficeretur, eſſet enim aliqua ejus perfectio à Deo diſtincta.

Id probant omnes ſcripturæ, quæ aſſerunt, Deum eſſe perfectiſſimum, & prorsùs immutabilem, quia quod recipit accidentia, præſertim ſeparabilia, mutari poteſt.

XXIV. Nota tamen, hìc ſermonem eſſe de accidentibus, ut vocant, prædicamentalibus, quæ denominant ſubjectum, ponendo in eo entitatem aliquam inhærentem, & quidem intrinſecè; non verò de accidentibus purè prædicabilibus. Fatemur enim de Deo poſſe aliquid accidentaliter prædicari, ratione mutationis, non in Deo, ſed in Creatura factæ; ſic in tempore dicitur Creator, Dominus, incarnatus. Vide *qu. 13. art. 7.*

XXV. Si dicas. D. Auguſt. *lib. 5. de Trinit. cap.* 5. de Deo loquens: *nec tamen* (inquit) *omne, quod dicitur, ſecundùm ſubſtantiam dicitur:* Ergo aliquid de Deo dicitur ſecundùm accidens.

Nego conſequentiam. Nam S. Doctor cùm priùs *cap.* 4. dixiſſet: *Accidens autem non ſolet dici, niſi quod aliquâ mutatio-*

Digitized by Google

tatione ejus rei, cui accidit, amitti poteſt. Quod & exemplis probaverat. Loquens poſtea de Deo *cap.* 5. ait. *Quamobrem nihil in eo ſecundùm accidens dicitur, quia ei nihil accidit*. Et immediatè ante verba in argumento prolata. *In Deo autem* (inquit) *nihil ſecundùm accidens dicitur, quia nihil in eo mutabile eſt*. Cùm ergo aſſerit, non omne, quod in Deo dicitur, ſecundùm ſubſtantiam dici, non contraponit ſubſtantiam accidenti, ſed ſubſtantiam abſolutam relativo: ſubdit enim atim. *Dicitur enim ad aliquid, ſicut Pater ad filium*. Quod quidem verum eſt, nam de Deo præter prædicata ſubſtantialia eſſentialia, abſoluta, & communia, dicuntur etiam relativa, quæ, teſte eodèm Auguſtino ibi, *non ſecundùm ſubſtantiam dicuntur, quia non quiſque eorum ad ſe ipſum, ſed ad invicem, atque ad alterutrum iſta dicuntur: neque ſecundùm accidens, quia & quod dicitur Pater, & quod dicitur Filius, æternum, atque incommutabile eſt eis &c.* Vide D. Thomam infra *qu.* 28. *ar.* 2. *ad primum*.

XXVI. Ex omnibus prædictis infert D. Thomas *art.* 8. quòd Deus eſt omnino ſimplex. Quod primò ex dictis manifeſtum ſupponit. *Cùm enim in Deo non ſit compoſitio quantitativa partium, quia corpus non eſt. Neque compoſitio formæ, & materiæ, neque in eo ſit aliud natura, & ſuppoſitum, neque aliud eſſentia, & eſſe. Neque in eo ſit compoſitio generis, & differentiæ, neque ſubjecti, & accidentis, manifeſtum eſt, quod Deus nullo modo compoſitus eſt, ſed eſt omnino ſimplex*.

XXVII. Secundò probat, quia omne compoſitum eſt poſterius ſuis componentibus, & dependens ex eis. Tertiò. Quia omne compoſitum cauſam habet; quæ enim ſecundum ſe diverſa ſunt, non conveniunt in aliquod unum, niſi per aliquam cauſam adunantem ipſa: Deus autem, cùm ſit primum ens, non poteſt eſſe poſterius, dependens, aut cauſatus ab aliquo.

XXVIII. Quartò. In omni compoſito oportet eſſe potentiam, & actum, quia una pars eſt actus reſpectu alterius, vel ſaltem omnes partes ſunt ſicut in potentia reſpectu totius: in Deo autem nihil eſſe poteſt, quod naturam potentiæ ſapiat.

XXIX. Quintò. Omne compoſitum eſt aliquid, quod non ſunt partes. Quod in totis eterogeneis, ſeu diſſimilium partium manifeſtum eſt; nulla enim partium hominis eſt homo, neque aliqua partium pedis eſt pes. In totis autem homogeneis, aut ſimilium partium, licèt aliquid, quod dicitur de toto, dicatur de parte, ſicut pars aeris eſt aer, & aquæ aqua; aliquid tamen dicitur de toto, quod non convenit alicui partium; non enim ſi tota aqua eſt bicubita, bicubita erit pars ejus: at de Deo non poteſt aliquid dici, quod de quolibet ejus prædicato non dicatur; ut diſcurrenti patebit: eſt enim ipſum eſſe, cui nihil alienum poteſt accedere; ergo &c.

XXX. Si quæras: cur in Deo non eſt compoſitio ex tribus Perſonis?

Reſpondet D. Thomas de potentia q. 7. ar. 1. ad 10. *quod pluralitas Perſonarum nullam compoſitionem in Deo inducit: Perſonæ enim dupliciter poſſunt conſiderari. Uno modo ſecundùm quòd comparantur ad eſſentiam, cum qua ſunt idem re: & ſic patet, quòd non relinquitur aliqua compoſitio. Alio verò modo ſecundùm quod comparantur ad invicem. Et ſic comparantur ut diſtinctæ, non ut adunatæ. Et propter hoc nec ex hac parte poteſt eſſe compoſitio. Nam omnis compoſitio eſt unio*. Eſto autem Perſonæ faciant numerum, non tamen faciunt compoſitionem. Quia numerus tunc facit compoſitionem, quando numerus eſt major qualibet unitate, ſeu non eſt tantum in uno, quantum in numero. Quantum autem perfectionis eſt in Trinitate, tantum eſt in qualibet, ſeu in una Perſona.

§. V.

Deus an in compoſitionem aliorum veniat.

XXXI. Reſolvit D. Thomas negativè *hîc art.* 8.; & hoc contra quoſdam (præſertim Varronem) qui, teſte D. Auguſtino *lib.* 7. *de Civit. Dei cap.* 6., ponebant, Deum eſſe animam mundi, vel animam primi Cœli, ut alii opinabantur. Contra pariter alios dicentes, Deum eſſe principium formale omnium rerum; quæ (ait Divus Thomas) dicitur fuiſſe opinio Almarianorum. Contra tandem David de Dinando, qui, teſte eodem Sancto Doctore, ſtultiſſimè poſuit, Deum eſſe materiam primam.

Probat primò. Deus eſt prima cauſa efficiens; ergo non poteſt eſſe forma rei factæ, nec ejus materia. Secundò. Deus eſt per ſe primò agens; quod autem in compoſitionem aliorum venit, non primò, & per ſe agit, ſed magis ipſum compoſitum. Rursùs pars eſt minùs perfecta toto compoſito; Deus autem eſt inter omnia perfectiſſimum. Tertiò. Deus eſt ſimpliciter primus in entibus; nulla autem pars poteſt eſſe ſimpliciter prima in entibus; nam materia eſt ſimpliciter poſterior forma, quia potentia: forma, quæ eſt pars compoſiti, eſt participata, & proinde poſterior eo, quod eſt per eſſentiam, ſicut ignis in ignitis, eſt poſterior eo, quod eſt per eſſentiam ignis. Hùc referri debent ea, quæ S. Doctor adfert. 1. *contragentes cap.* 17., *&* 27., ubi docet, inſanum eſſe dicere, Deum eſſe, vel materiam, vel formam.

XXXII. Sed dices. Perſona Chriſti eſt compoſita ex duabus naturis, ut 3. *par. qu.* 2. *art.* 4.; ergo non repugnat Deo venire in compoſitionem alicujus.

Reſpondet D. Thomas loco ex 3. *par.* citato ad 2. *Quòd illa compoſitio Perſonæ ex naturis non dicitur eſſe ratione partium, ſed potiùs ratione numeri, ſicut omne illud, in quo duo conveniunt, dici poteſt ex illis compoſitum.* Vide Divum Thomam etiam in 3. *diſt.* 6. *qu.* 2. *ar.* 3. *ad* 2., ubi docet, quòd Perſona Chriſti non dicitur compoſita, quaſi eſſe ſuum ſit ex multis conſtitutum, ſed quia ad multa ſe extendit, quæ aſſumuntur in illud eſſe, & in eo conveniunt. Sed de hoc ſuo loco.

DUBIUM III.

Quodnam ſit Conſtitutivum metaphyſicum Dei.

§. I.

Quædam prænotantur.

I. Vidimus hactenus, quid non ſit, nunc ad inveſtigandum, quid ſit Deus, progredimur. Opus ſanè arduum, & humani ingenii hebetudinem infinitè ſuperans. *De Deo* enim (cum Damaſceno dicam lib. 1. de fide cap. 4.) *impoſſibile eſt, quidnam eſſentiâ ſuâ, ac naturâ ſit, enunciare: aptiuſque eſt ex omnium remotione, & negatione ſermonem de eo facere. Neque enim aliquid eſt eorum, quæ ſunt; non ut nullatenus ſit; ſed quia ſuper omnia, quæ ſunt, atque etiam ſupra ipſummet eſſe ipſe ſit. Etenim ſi cognitiones circa res, quæ ſunt, verſantur; profectò quod cognitionem ſuperat, ſupra eſſentiam quoque erit; viciſſimque quod eſt ſupra eſſentiam, cognitionem ſuperabit.*

Propterea tot, & tam variæ in aſſignanda Dei eſſentia, & metaphyſico ejus conſtitutivo, non ſolùm inter Gentiles Philoſophos, opiniones fuerunt, ſed & adhuc ſunt inter Theologos Catholicos, adeò ut nec diſcipuli D. Thomæ inter ſe conſentiant. Et meritò quidem; agitur enim de indaganda prima, & fundamentali radice, quâ Deus ſit Deus, quâ à creaturis ſecernatur, & ratione cujus omnia, quæ in Deo ſunt, Deo conveniant. Quare Damaſcenus concludit: *Quæcumque de Deo per affirmationem dicimus, non Dei natu-*

Digitized by Google

naturam, ſed quæ circa naturam illius ſunt, oſtendunt. Ità ſive bonum, ſive juſtum, ſive ſapientem, ſive quodcumque tandem aliud dixeris, non Dei naturam, ſed quæ circa naturam ſunt, exponis.

Nihilominus ipſam etiam naturam Dei pro viribus inveſtigare Theologi conati ſunt. Quorum opiniones ad quatuor reducimus. Prima, quæ eſt Nominalium, docet, eſſentiam, ſeu naturam Dei metaphyſicè conſtitui per cumulum, ſeu actualem congeriem omnium perfectionum. Altera, quæ eſt Scoti, ejuſque ſcholæ, eſſe infinitatem radicalem, ſeu exigentiam omnium perfectionum contendit. Tertia, cui plures ex noſtris ſubſcribunt, in ſummo intellectivo eſſentiam Dei conſtituit; ſed Auctores hujus ſententiæ adhuc inter ſe pugnant. Quidam enim contendunt, naturam divinam conſtitui per radicem intelligendi, ſive intelligere radicale; alii per ipſum actuale intelligere. Primam tenent inter alios Godoy, & Ferre. Secundam, Salmanticenſes, Gonet, & alii. Quarta conſtitutivum metaphyſicum Dei in eſſe à ſe, ſeu per eſſentiam ponit. Ita ex noſtris non pauci, inter quos Bancel, Contenſon, & ex extraneis Juenin, aliique.

III. Priuſquam reſolutionem ſtatuam; noto, hìc me non loqui de Deo ut realitèr eſt in ſe, cùm enim omnia, quæ ſunt in Deo, ſint realitèr actu unum, ubi oppoſitio relativa non obviat, omnia ſunt æqualitèr eſſentialia, & conſtitutiva realia, & phyſica divinitatis: & in hoc ſenſu prima ſententia aſſerens, Deum conſtitui per congeriem omnium perfectionum, verum dicit. Cæterum, ſi ſermo ſit de Deo, ut cadit ſub conſideratione noſtra, concipimus in eo unam perfectionem per modum quidditatis, eſſentiæ, & naturæ, quæ ſit quaſi prima, ratione cujus omnes aliæ Deo conveniant, & Deo attribuantur; & hæc vocamus attributa: ſumtâ analogiâ à rebus creatis, in quibus aliqua eas conſtituunt, aliqua ab eis emanant, & rei jam conſtitutæ adveniunt. Neque hoc eſt recentiorum ſcholaſticorum figmentum. Damaſcenus ſupra relatus diſtinguit in Deo naturam, & ea, *quæ circa naturam ſunt*, & Baſilius. *lib. 1. contra Eunomium* luculentèr oſtendit, ea, quæ in ſe ſimplicia ſunt, mentis noſtræ perceptione concipi, & nominari, ac ſi eſſent diviſa. Quærimus ergo, quodnam inter prædicata Divina illud ſit, quod à nobis percipitur tanquam prius, quô Deus à creaturis primò ſecernitur, & ex quo alia, quæ in Deo ſunt, emanare concipimus.

§. II.

Statuitur aſſertio.

IV. Dico. Deus metaphyſicè conſtituitur per ipſum eſſe à ſe, & per ſe in tota plenitudine eſſendi. Quare ſi Deus deſcribi deberet, ſic exprimenda foret ejus notio: Deus eſt *Qui eſt a ſe, & per ſe in tota plenitudine eſſendi*. Ità Deus, qui ſolus ſe ipſum novit, & ſolus naturam ſuam explicare poteſt, expoſuit: Quæſitus enim à Moyſe, quiſnam eſſet, reſpondit (Exodi 3. v. 14.) *Ego ſum qui ſum. Sic dices filiis Iſrael: Qui eſt, miſit me ad vos*. Quæ verba ponderans D. Hilarius lib. 1. de Trinit. nu. 5. *Admiratus ſum planè* (inquit) *tam abſolutam de Deo ſignificationem... Non enim aliud proprium magis Deo, quam eſſe, intelligitur: quia idipſum, quod eſt, neque deſinentis eſt aliquando, neque capti &c.* Damaſcenus etiam *lib. 1. fidei cap. 9.* poſtquam dixit, cætera nomina, quæ de Deo dicuntur, exprimere, non *quid ratione ſubſtantiæ ſit, ſed aut quid non ſit explicare, aut relationem quandam ad aliquid eorum, quæ ab ipſo diſtinguuntur, aut quidpiam eorum, quæ naturam, aut operationem ſequuntur:* addit. *Ex omnibus porrò nominibus, quæ Deo tribuuntur, nullum æquè proprium videtur, atque* ὁ ὤν, *idest* qui eſt: *quemadmodum ipſemet, cùm Moyſi in Mon-*

Digitized by Google

te reſponderat, ait, dic filiis Iſrael: Qui eſt, miſit me. *Nam totum eſſe velut immenſum quoddam, ac nullis terminis definitum eſſentiæ pelagus complexu ſuo ipſe continet.* Idem ſenſerat Gregorius Nazianzenus, qui orat. 36. *Ens vero* (inquit) *proprium ſanè eſt Dei, ac totum, nec priore aliqua re, nec poſteriore .... definitum, ac circumciſum. Alia autem nomina partim poteſtatis eſſe conſtat, partim œconomiæ &c.*

V. Propterea S. Auguſtinus *in Pſal.* 134. *num.* 6. obſervans, quòd Deus, poſtquam dixerat Moyſi *Ego ſum qui ſum. Dices filiis Iſrael: Qui eſt miſit me ad vos*, poſtea eidem Moyſi dixit: *Vade, dic filiis Iſrael, Deus Abraham, & Deus Iſaac &c. miſit me ad vos*. Ità Deum per Moyſen interrogat. *Certè Domine nomen illud habes: quia & tu dixiſti Ego ſum .... Unde modò mutaſti nomen, ut diceres, Deus Abraham &c.?* Subinde inducit, Deum Moyſi ſic reſpondentem: *Quod dixi, Ego ſum qui ſum: verum eſt, ſed non capis. Quod autem dixi, Ego ſum Deus Abraham &c. & verum eſt, & capis. Quod enim Ego ſum qui ſum, ad me pertinet: quod autem Deus Abraham, & Deus Iſaac &c. ad te pertinet: & ſi deficis in eo, quod mihi ſum, cape quod tibi ſum.* Ex quibus patet, *qui eſt* eſſe prædicatum Dei ut in ſe eſt, alia verò, quatenus reſpicit alia à ſe: ſed prædicatum, quod dicitur de Deo in ſe, eſt prius prædicatis, quæ de Deo dicuntur in ordine ad alia; ergo hoc prædicatum *qui eſt*, eſt prius &c. Hinc hoc nomen *qui eſt* correſpondens huic *Tetragrammaton* Græcè, ſeu nomini quatuor litterarum, quod Hebraicè eſt *Jehova*, tantâ veneratione ab Hebræis habebatur, ut nullus niſi ſolus Summus Sacerdos, qui illud deſcriptum in fronte geſtabat, pronunciare auderet, & is etiam tunc ſolùm, cùm vel Populo benediceret, vel Sancta Sanctorum ingrederetur.

VI. Præfatis Patribus accedit S. Thomas, qui 1. *p. qu.* 13. *art.* 11. ubi quærit, an hoc nomen *qui eſt* ſit maximè Dei proprium, reſpondet affirmativè. Cujus prima ratio eſt hæc. Hoc nomen *qui eſt* non ſignificat formam aliquam, ſed ipſum eſſe: at eſſe Dei eſt ipſa ejus eſſentia, & hoc nulli alii convenit: ergo hoc maximè propriè nominat Deum. Unumquodque enim denominatur à ſua forma: ſed forma Dei idem eſt, ac Dei conſtitutivum; Ergo &c.

VI. Probatur ergo hac unicâ ratione deſumtâ ex D. Thoma laudato ſic. Illud cogitare debemus, eſſe conſtitutivum metaphyſicum Deitatis, quod primò in Deo concipimus, ut diſtinctivum Dei à creaturis, & ut rationem, ac quaſi radicem, quâ omnia, quæ in Deo ſunt, Deo conveniant: ſed hujuſmodi eſt eſſe à ſe, & per ſe, ſeu per eſſentiam ſubſiſtens in tota plenitudine eſſendi; ergo &c. Maj. patet, quia conſtitutivum rei idem eſt, ac diſtinctivum rei, & prima ratio, ſeu radix eorum omnium, quæ conveniunt rei. Minor vero pro prima parte clara eſt: Nam ſolus Deus eſt, qui à ſe eſt, creaturæ autem habent eſſe à Deo, & quidem participatè, & non cum plenitudine. Pro ſecunda verò parte probatur ex D. Thom. 1. *par. qu.* 4. *art.* 2. citato *ad* 3. ſic. Ex quo Deus ſit eſſe à ſe, & per eſſentiam, & per ſe ſubſiſtens in tota plenitudine eſſendi, per rationem à priori ſequitur, quòd in ſe habeat vivere, intelligere, velle, omnemque perfectionem ſive de genere eſſendi, ſive de genere operandi, quia totum clauditur in plenitudine eſſendi, ſicut enim intelligere à ſe, & cum tota plenitudine intelligendi eſt ratio, & radix, quâ Deo omnes perfectiones de linea intellectiva conveniant, ità ex quo ſit ipſum eſſe à ſe, & cum omni plenitudine eſſendi, ſit, ut omnia prorſùs de linea eſſendi quæcumque perfectionem dicant, Deo inſint. Hoc etiam oſtenditur ab oppoſito: ex quo enim creatura non ſit eſſe a ſe, & per ſe, & in tota plenitudine, ſed habeat eſſe ab alio, & quidem participatum, oritur, quòd creaturæ deſint omnes, vel ſal-

tem

tem multæ perfectiones. Ergo ex quo Deus ſit ipſum eſſe à ſe, & cum tota plenitudine eſſendi, oriuntur omnes perfectiones in ipſo.

VII. Confirmatur diſcurſu D. Thomæ *qu.* 4. 1. *par. art.* 2. citato. Iſte diſcurſus eſt à priori: Deus eſt ipſum eſſe à ſe, & per eſſentiam ſubſiſtens in tota plenitudine eſſendi: ergo vitam, bonitatem, ſapientiam, omneſque perfectiones in ſe habet: ergo eſſe à ſe eſt prima radix omnium divinarum perfectionum. Antecedens probatur. Si calor eſſet à ſe per ſe ſubſiſtens, nihil de perfectione caloris ipſi poſſet deeſſe: intantum enim calidum non habet totam perfectionem calidi, quia calor ab eo participatur, & proinde non ſecundùm totam plenitudinem caloris. Cum ergo omnes perfectiones quæcumque ſint, pertineant ad perfectionem eſſendi, fit, ut, quia Deus eſt tota perfectio ac plenitudo eſſendi, habeat in ſe omnes perfectiones.

§. III.

Solvuntur argumenta.

VIII. PRimò obiiciunt. Deum debemus conſtituere per gradum perfectiſſimum inter modos eſſendi; ſed gradus perfectiſſimus non eſt gradus entis, qui potiùs eſt infimus, & communis cum lapidibus; benè quidem gradus intellectivus: unde Angelos & Homines, qui inter Creaturas perfectiores ſunt, non per gradum entis, ſed per gradum intellectivum conſtituimus, & definimus; ergo &c. aliàs ſequeretur, quòd per gradum ignobiliorem conſtitueremus Deum, quàm Angelum, & hominem.

Reſpondeo diſtin. min. gradus entis abſolutè, & communiter ſumtus, concedo min. gradus entis per eſſentiam, & ut dicit eſſe cum tota plenitudine eſſendi, neg. min. Eſto gradus entis communiter ſumti, ut ſcilicet eſt quoddam analogum determinabile per modos particulares eſſendi, ſit gradus infimus; Gradus tamen entis ſumtus, ut dicit eſſe per eſſentiam, à ſe, & in tota plenitudine eſſendi, eſt gradus perfectiſſimus, actualiſſimus, actu quaſcumque perfectiones entis, etiam intellectivum, in ſe claudens, ut dicebam. Aliud enim eſt eſſe *ens*, aliud eſt eſſe ipſum *eſſe*; ſicut aliud eſt eſſe calidum, aliud eſſe ipſummet calorem. Ens vel dicit eſſe, ut participatum, vel ſaltem abſtrahit ab eſſe, vel non eſſe participatum. At ſecundum determinatè dicit, eſſe illimitatum, & omnem perfectionem de linea eſſendi & in ſe claudens, & radicans, & per hoc explicamus conſtitutivum Dei, quo non convenit, ſed diſtinguitur ab Angelo, & Homine, qui licèt cum Deo conveniant in hoc, quòd ſunt ens, ideſt habens eſſe, non tamen conveniunt in hoc, quòd ſint ipſum eſſe, ſicut eſto cum Deo conveniant in hoc, quòd ſunt naturæ intellectivæ, non tamen conveniunt in hoc, quod eſt intellectivum à ſe, ſeu per eſſentiam. Meliùs tamen conſtitutivum Dei explicamus per eſſe à ſe & in tota plenitudine, quia ſic explicamus per id, ex quo ut à radice, & ratione fluit etiam ipſum intellectivum, imo quæcumque perfectio, quæ in Deo eſt.

IX. Hoc mirificè confirmat doctrina D. Thom. 1. *par. qu.* 13. *art.* 11. in corpore, ubi probat hoc nomen *qui eſt* eſſe maximè proprium Deo hac ratione, quia eſt maximè univerſale. Nam cætera nomina, vel ſunt minùs communia, vel ſi convertantur cum ipſo, addunt aliquid quod ipſum aliquomodo determinet: Cum autem intellectus noſter pro hoc ſtatu ipſam Dei Eſſentiam pro ut in ſe eſt, cognoſcere nequeat, ſed *quemcumque modum determinet circa id, quod de Deo intelligit deficiat à modo, quo Deus in ſe eſt, ideo quantò aliqua nomina ſunt minùs determinata, magis communia, & abſoluta, tanto magis propriè dicuntur de Deo à nobis.* Et confirmat auctoritate Damaſceni ſupra relatâ ex *lib.* 1. *de fide cap.* 9. Atque adeò, quia Deum no-

Digitized by Google

nominamus, ſicut concipimus, quemadmodum illud nomen eſt maximè Dei proprium, quod eſt magis abſolutum; ità & ille conceptus erit maxime de Deo proprius, qui magis abſolutus eſt, qui nullum eſſendi modum determinat, ſed indeterminatè ſe habet ad omnes, omnes in ſe claudens tanquam pelagus ſubſtantiæ infinitum.

XI. Secundo obiiciunt: ſicut Deus eſt ens per eſſentiam, & in tota plenitudine: ità homo, puta, eſt ens participatione; ſed nullus conſtituit hominem per hoc, quòd ſit participatione ens; ergo neque debet conſtitui Deus per hoc, quòd ſit ens per eſſentiam. = Rurſus ſi ens per eſſentiam eſt radix vitæ, & intellectionis in Deo, jam ſequitur, quòd vita, & intellectio ſint proprietates, & attributa Dei, quia quod concipitur ut radicatum in eſſentia, & ut conſequens illam, proprietas eſt; ſed Deus eſt eſſentialiter vivens, & intelligens; ergo &c.

XII. Reſpondeo ad primum, diſparitatem eſſe, quia ratio entis ab alio & participati in homine eſt illi communis cum Angelo, cæteriſque creaturis, unde ſicut non diſtinguit, ità nec conſtituit, quia idem eſt conſtitutivum ac diſtinctivum. At ratio entis per eſſentiam eſt Deo propriiſſima, & etiam prima, ut vidimus, & conſequenter eum primò conſtituit, ſicut eum primò diſtinguit. Imò retorqueo hanc inſtantiam. Eſto homo ut homo eſt, non conſtituatur per hoc, quòd ſit ens participatum: ſi tamen hominem, quatenus creatura eſt à Deo diſtincta, conſtituere, & definire velimus, non alitèr hoc præſtabimus, quàm dicendo, eſſe ens habens eſſe participatum; ergo dùm conſtituimus ac explicamus eſſentiam Dei ut ab omni creatura diſtincti, non alitèr præſtabimus, quàm dicendo, eum eſſe ipſum eſſe imparticipatum, per eſſentiam, & in tota eſſendi plenitudine.

XIII. Ad ſecundum dico, quòd vivere, & intelligere poſſunt ſumi in Deo, aut pro proximo principio vivendi, & intelligendi, vel pro vita, & intellectione actuali; aut pro intelligere, & vivere radicali, ſeu pro radice intelligendi. Si primo modo accipiantur vivere, & intelligere, nego, quòd ſint prædicata metaphyſicè eſſentialia Dei, ſed attributa, quæ à priori poſſunt de ipſo probari, & quidem ex ipſo eſſe per eſſentiam: unde Divus Thomas 1. *par. qu.* 14. *art.* 1. probat, in Deo eſſe ſummum intelligere; quia eſt ſummè immaterialis, ideſt à ſe & per eſſentiam. Et *qu.* 18. *art.* 3. probat, in Deo eſſe ſummum gradum vitæ, quia eius natura eſt ſuum intelligere; quare omnia divina prædicata reducuntur ut ad radicem ad eſſe à ſe, & per eſſentiam.

Si vero vivere, & intelligere ſumantur radicalitèr, admitto eſſe prædicata eſſentialia Dei, ſecundaria tamen & quaſi generica: non tamen primaria, differentialia, & conſtitutiva; niſi enim dixeris vivere, & intelligere à ſe, & per eſſentiam, nunquam habebis vivere, & intelligere divinum. Quare cùm eſſe à ſe, & per eſſentiam ſit conceptus & prædicatum, quod omnia trahit, & facit ea eſſe divina, dicitur eſſe prædicatum propriiſſimum Dei, & radix omnium, quæ in Deo ſunt, quin ſequatur, cætera prædicata eſſe solùm proprietates. Sicut quia rationale eſt id, quod trahit gradum ſenſitivum, cæteroſque gradus ſuperiores ad eſſe humanum, dicitur conceptus proprius hominis, quin ex hoc ſequatur, ſenſitivum radicale eſſe hominis proprietatem.

XIV. Tertiò obiiciunt. Conſtitutivum eſſentiale alicujus rei, debet eſſe conceptus ità proprius naturæ, ut eam contradiſtinguat ab omnibus aliis prædicatis attributalibus: ſed hujuſmodi in Deo non eſt eſſe à ſe, & per eſſentiam, cùm hoc ſit prædicatum commune, & tranſcendens omnia divina, etiam attributalia; nam omnia hæc ſunt ens a ſe, per eſſentiam, & in tota plenitudine eſſendi; ergo &c.

Reſ-

Reſpondeo diſtinguendo minor. non eſt ens à ſe, ut dicit negationem eſſendi ab alio, ut à cauſa, vel ut principio, omitto minorem: ut dicit negationem eſſendi ab alio etiam ut à ratione radicis virtualis, nego min. Ratio ergo entis, ſeu eſſe à ſe, & per eſſentiam dupliciter ſumi poteſt. Uno modo, ut dicit non eſſe ab alio, ut à cauſa, vel principio reali; & ſic eſſe à ſe, & per eſſentiam clauditur implicitè in omni prædicato, hoc ipſo quòd divinum ſit. Secundo, ut dicit non eſſe ab alio, neque ut à radice, & ratione virtuali, à qua adhuc noſtro modo concipiendi emanet, & ex qua probari poſſit à priori; Et hoc modo eſſe à ſe, per ſe, per eſſentiam convenit ſoli naturæ divinæ, quæ ità à ſe eſt, ut non ſolùm non ſit ab alio, ut causâ, vel principio reali: ſed neque ut à radice virtuali; & hoc modo eſſe à ſe conſtituit naturam divinam, & fons eſt omnium divinarum perfectionum. Et hæc inſtantia ſolui debet à Scotiſtis, & Thomiſtis nobis in hac parte adverſantibus. Nam infinitas, quam Scotiſtæ ponunt pro conſtitutivo Dei, reperitur in omnibus divinis prædicatis: intelligere, ſeu intellectivum tranſcendit omnia de genere intellectivo, imò implicitè claudit omnia divina prædicata, & ea tranſcendentiâ activâ, & etiam paſſivâ tranſcendit. Vel ergo nullo prædicato conſtitui poterit Deus, quia nullum eſt, quod non tranſcendat omnia divina; vel dicendum, quòd talis tranſcendentia non officit. Quemadmodum ergo Scotiſtæ duplicem infinitatem diſtinguunt, nempe radicalem propriam naturæ, & hâc conſtituunt Deum: Thomiſtæ ſimilitèr intellectivum radicale, & hòc Deum conſtituunt; & inſuper infinitatem, & intellectualitatem formalem, & actualem, & hæc Deum jam conſtitutum ſupponit, & à Deo jam in natura conſtituto virtualitèr emanat: Ità nos loquimur de aſſeitate, ſeu de ratione entis per eſſentiam: quia dum primò concipimus ipſum eſſe à ſe, per ſe, & in tota plenitudine eſſendi, nullo alio intellecto ſtatim concipimus divinam naturam fontem omnium divinarum perfectionum, qui conceptus licèt implicitè in quacunque divina perfectione claudatur, explicitè tamen à ſola divina natura exhibetur, quod ſufficit.

XV. Dices. Etiam intelligere divinum includit omnes divinas perfectiones, quia inter prædicata divina unum includit aliud; ergo non eſt cur excludatur à conſtitutivo Dei.

Reſpondeo diſtinguendo antecedens: includit formalitèr, & ex vi ſuæ lineæ, nego antecedens, identicè, concedo antecedens. Intelligere ergo divinum includit alias divinas perfectiones, non ex vi ſuæ lineæ formaliter; ſic enim ſolùm includit omnem perfectionem ordinis intellectualis. Sed identicè, quia eo ipſo quòd divinum eſt, omnem divinam perfectionem includere debet. At verò ipſum eſſe per eſſentiam, & in tota plenitudine eſſendi, ex ſuo conceptu formali includit omnem poſſibilem perfectionem. Cùm enim omnis imaginabilis perfectio ſit aliquod ens, debet per ſe includi in èo, quod eſt ens à ſe, imò ipſum eſse cum tota eſſendi plenitudine.

XVI. Quartò obiiciunt. Verbum divinum ex vi ſuæ generationis accipit formaliter naturam divinam: Sed Verbum Divinum ex vi generationis accipit formaliter intelligere, non verò ipſum eſse per eſsentiam; ergo natura divina debet conſtitui per intelligere.

Rèſpondeo negando min. Nullus enim unquam dixit, Verbum Divinum eſse genitum, & formaliter accipere naturam divinam, quia accipit ex vi ſuæ proceſſionis intelligere, ſed ideo dicitur genitus & filius, quia accipit naturam divinam per intelligere, & quia actio intellectiva Dei eſt de ſua ratione aſſimilativa in natura, in quocumque natura divina collocetur: quare ſi collocetur in eſse à ſe, & per eſsentiam, hoc erit, quod primò communi-

municatur Verbo ex vi ſuæ generationis.

XVII. Quartò obiiciunt: Si Deus conſtitueretur per ipſum eſse à ſe & per eſsentiam, exiſtentia eſset de conceptu metaphyſico Dei, quia nomine *eſſe* intelligitur exiſtentia: ſed hoc eſt falſum, conceptus enim objectivus eſsentiæ eſt diſtinctus à conceptu objectivo exiſtentiæ: ergo &c.

Reſpondeo primò diſting. maj. Si per ly *eſſe* intelligeretur ultimus terminus eſſendi, conc. maj. ſi per ly *eſſe* intelligatur principium eſſendi, nego maj. Itaque nomine *eſſe*, & poſſumus intelligere ultimum terminum eſſendi: & hic eſt exiſtentia. Et poſſumus intelligere per ly *eſſe* entitatem, ſeu quidditatem, quæ eſt principium eſſendi; ſicut vivere, & intelligere ſumi poſſunt, & pro actu vivendi, & intelligendi, & pro natura vivente, & intelligente. Quando ergo dicimus, Deum conſtitui per ipſum eſſe per eſſentiam, nomine *eſſe* non intelligimus exiſtentiam, quæ non conſtituit rem, ſed ultimò complet rem jam in ſuo eſſe eſſentiali conſtitutam; ſed intelligimus entitatem in genere eſſendi talem, ut totam eſſendi plenitudinem amplectatur, omneſque eſſendi modos contineat.

XVIII. Reſponderi poteſt ſecundò negando min. non enim videtur abſonum dicere, exiſtentiam eſse de conceptu metaphyſico Dei, cùm dicimus, eſsentiam Dei eſse ipſum eſse per eſſentiam; imò hoc videtur eſſe conforme D. Thomæ, & rationi. D. Thomæ quidem, quia ipſe paſſim docet, exiſtentiam creatam eſse proprium effectum Dei, quia forma, quâ Deus agit, nempe natura Dei, eſt ipſum eſse: Si autem exiſtentia in Deo eſset tantùm modus eſsentiæ, & non eſsentia, non eſset in Deo principium quo agendi, ſed pura conditio, ut in nobis. Rationi etiam, quia prædicatum illud, quod ſe habet ut fons omnium divinarum perfectionum, non poteſt non eſſe eſsentiale metaphyſicè: at eſse, & exiſtere à ſe, & in tota eſsendi plenitudine eſt fons omnium divinarum perfectionum, ut ſupra oſtendimus, & docet D. Thomas 1. par. qu. 4. art 2. *ſecundùm hoc enim aliqua perfecta ſunt, quòd aliquomodo eſſe habent*; ergo &c. Quare licèt conceptus eſsentiæ ſit diſtinctus à conceptu exiſtentiæ in eſsentia creata, quæ habet eſse, & non eſt ipſum eſse; benè tamen poterit eſſe idem conceptus eſsentiæ, & exiſtentiæ in eſsentia divina, cujus eſsentia eſt ipſum eſse.

XIX. Tandem obiiciunt Sanct. Thomam, qui in 1. *ad Annibald. diſt.* 35. *qu.* 1. *art.* 2. *ad* 3. ait *ſicut intelligere eſt idem cum eſſentia, ità & velle:* ſed intelligere & velle non ſunt idem cum eſsentia metaphyſicè, & conſtitutivè; ergo quamvis dicat, quòd ipſum eſse ſit idem cum eſsentia, non ſequitur, quòd ſit idem conſtitutivè, ſed tantùm realitèr.

Secundò. 1. *par. qu.* 14. *art.* 4. in corp. dicit, quòd *ipſum Dei intelligere ſit ejus eſſentia, & ejus eſſe.*

Tertiò. In 1. *ſent. diſt.* 10. *qu.* 2. *art.* 1. *ad* 1. docet, quòd *eſſentia divina ſecundùm intellectum ſit prius quàm eſſe ſuum, & eſſe, prius, quàm æternitas.*

Quartò. 1. *par. qu.* 13. *art.* 11. *ad* 1. docet, quòd hoc nomen *qui eſt, eſt magis proprium, quàm hoc nomen Deus, quantum ad id, à quo imponitur, ſcilicet ab eſſe, & quantum ad modum ſignificandi, & conſignificandi: Sed quantum ad id, ad quod imponitur nomen ad ſignificandum, eſt magis proprium hoc nomen Deus, quod imponitur ad ſignificandum naturam divinam.*

XX. Reſpondeo exponendo ſingulas D. Tho. auctoritates. Ad primam dico, D. Thomam ibi ſolum intendere divinæ ſimplicitatis unitatem inviolatam ſervare, ſtatuendo, quòd in Deo intelligere, ſicut & velle ſint idem cum eſsentia, nempe *realitèr:* non autem ſtatuere, quòd intelligere ſit divina eſsentia conſtitutivè, ſicut nec velle, quod eſse divinæ eſsentiæ conſtitutivum, nullus dixit.

Ad

Ad ſecundam eodem modo dico, Sanctum Doctorem ibi ſolùm velle, quòd intelligere Dei ſit ejus eſsentia, & ejus eſse realiter & identicè, ideſt non aliud, quàm ejus ſubſtantia. Ad tertiam dico, S. Thomam ibi ſumere eſſe, ut dicit ultimum terminum, & complementum eſsentiæ: ſic enim eſſentia divina, quæ explicat principium eſsendi, ſecundùm intellectum eſt priùs quàm eſse ſuum: ut probabiliter ſupra diximus. Sed veriùs dico, ibi Divum Thomam reſpondere, non in ſua, ſed in aliorum opinione, quam tamen non approbat; et propterea ante præallata verba dixerat, *Poſſet etiam dici, quamvis non ità benè &c.*

Ad quartam dico, D. Thomam in præcitatis verbis non negare, nomen *qui eſt* ſignificare ejus eſſentiam: dixerat enim in corpore ejuſdem articuli, hoc nomen *qui eſt*, eſse maximè proprium Dei, quia ſignificat eſse, in quo conſiſtit ejus eſsentia, & quod *inter alia nomina hoc maximè propriè nominat Deum: Unumquodque enim denominatur à ſua forma*. Solùm ergo præcitatis verbis vult, hoc nomen Deus, eſse magis proprium ex parte rei ſignificatæ, & hoc nomen *qui eſt* ex modo ſignificandi, quia hoc nomen Deus propriè eſt impoſitum ad ſignificandam naturam divinam; ſed nomen *qui eſt* potiùs imponitur ad explicandum, in quo conſiſtat natura divina quàm ad eam ſignificandam: ſicut hoc nomen *homo* eſt magis proprium, quàm *animal rationale*, quia nimirùm imponitur præciſè ad ſignificandam naturam hominis, non ad eam explicandam: e contra vero *animal rationale* imponitur ad illam explicandam, quod eſt præter rationem nominis. Imo addit, hoc nomen *Tetragrammaton* eſse adhuc magis proprium, quàm hoc nomen *Deus*, quia eſt impoſitum ad ſignificandam naturam divinam ut in ſe ſubſiſtentem, & incommunicabilem. Nomen autem *Tetragrammaton* ſignificare ipſum *eſſe*, ſuperiùs adnotavimus.

XXI. Solent aliqui hìc diſtinguere in Deo inter eſſentiam, & naturam, diverſumque utrique aſſignare conſtitutivum. At in hoc morari non vacat. Sicut enim cùm quærimus, quid eſt homo, & per quid conſtituatur, non involvimur his diſtinctionibus, dicentes, homo eſt hoc ſecundùm eſsentiam, & aliud ſecundùm naturam, ſed planè & reſolutoriè dicimus, homo eſt animal rationale; ità in præſenti quærentes quid ſit, & per quid conſtituatur Deus, vanum, & inutile exiſtimavimus diſtinguere inter naturam, & eſsentiam: ſed diximus, ſive eſsentiam voces, ſive naturam, hæc formaliſſimè conſtituitur per ipſum eſse à ſe, per ſe, & in tota plenitudine eſsendi; eò vel maximè, quòd tale eſse, quod eſt plenitudo eſsendi, cùm ſit fons, & radix nedum eſsendi; ſed & operandi, quia totum continetur in eſſe, amplectitur, & eſsentiam, quæ dicitur principium eſsendi, & naturam, quæ explicatur per principium operandi.

XXII. Infertur quoque, quòd gratia, quæ eſt formalis participatio naturæ divinæ, participat per ſe primò eſſe divinum, quod ſicut in Deo, ità & in creaturis rationalibus juſtis radicat operationes ſupernaturales. Unde primum, quod per ſe gratia communicat, eſt eſſe divinum participatum, quo anima ſit Deo grata, & potens facere operationes ſimiles operationibus divinis. Hiſce ſtatutis multiplices tricæ vitantur, quibus inutilitèr, ut puto, Theologiæ Candidati implicantur.

DUBIUM IV.

An in Deo ſint omnes perfectiones, & quomodo.

§. I.

Quædam pranotata.

I. HAnc quæſtionem excitat Divus Thomas hac 1. *p. q.* 4. *art.* 2., 1. *contragentes c.* 28., & alibi. Supponit *art.* 1. hujus quæſt., Deum eſſe

eſſe perfectum, imò perfectiſſimum in ſe. Eſt enim primum principium in genere efficientis, & conſequentèr maximè in actu, ſecundùm hoc autem dicitur perfectum, ſecundùm quòd eſt in actu. Inſuper perfectum dicitur illud, cui nihil deeſt propriæ perfectionis, & ut ait 1. *contragentes c. 28.* Univerſaliter perfectum dicitur, *cui non deeſt alicujus generis nobilitas:* Deo autem, qui eſt ipſum eſſe, nullius generis nobilitas deeſſe poteſt. Ex hoc igitur naſcitur quæſitum, an omnis cujuſcumque generis perfectio in Deo ſit.

II. Duo genera perfectionum diſtinguunt Theologi ex D. Anſelmo *in Monologio c. 14.* Nempe perfectio ſimplicitèr, & perfectio in certo genere. Prima, ut ait Anſelmus, eſt, quæ in unoquoque melior eſt ipſa, quàm non ipſa; ſeu, ut alii dicunt, eſt illa, quæ in ſuo conceptu formali nullam claudit intrinſecè imperfectionem. Ità ſapientia eſt perfectio ſimpliciter, quia in unoquoque meliùs eſt, eſſe ſapientem, quàm non ſapientem, & in conceptu formali ſapientię nulla clauditur intrinſecè imperfectio. Secunda verò, nempe perfectio in certo genere, eſt ſecundum Anſelmum illa, quæ in aliquo melior eſt non ipſa, quàm ipſa, ſeu, ut alii dicunt, quæ in ſuo conceptu formali licèt abſtracto claudit aliquam imperfectionem. Sic eſſe aurum perfectio eſt in certo genere, non ſimpliciter, quia licèt plumbo melius foret eſse aurum, quàm non aurum; homini tamen melius eſt eſse non aurum, quàm eſse aurum, & ratio formalis auri non poteſt ab omni imperfectione depurari. De his ergo quærimus, an in Deo ſint omnes, & quomodo?

III. Noto inſuper, aliquam perfectionem poſse eſse in aliquo duplicitèr; uno modo formaliter, ità ut ſit in illo ſecundum rationem formalem, illudque denominet, ac de illo prædicetur: ſic in igne eſt formalitèr calor, quia ignis habet in ſe rationem formalem caloris, ac denominatur, & dicitur formaliter calidus. Alio modo virtualitèr, ſeu eminentèr, quia licèt non ſit in illo ſecundùm ſuam rationem formalem, eſt tamen in illo ratione virtutis ſuperioris eminentèr illam continentis. Sic in Sole eſt ſolùm virtualiter calor, quia licèt Sol non ſit formaliter calidus, virtus tamen Solis eminenter continet calorem, eſtque potens calorem in hæc inferiora producere. His præmiſſis.

§. II.

Reſolutiones quæſiti.

IV. Dico primò. Omnes cujuslibet generis perfectiones ſuo modo præcontinentur in Deo. Probatur primò ex Sacris Litteris. Pſalm 49. v. 11. *Pulchritudo agri mecum eſt*, Pſal. 93. v. 9. *Qui Plantavit aurem non audiet? aut qui finxit oculum non conſiderat?* Iſaiæ 66. v. 9. *Nunquid ego, qui alios parere facio, ipſe non pariam? Roman. 11. v. 36. ex ipſo, & per ipſum, & in ipſo ſunt omnia.* Hoc idem aſserunt Patres, Auguſt. *tract. 3. in Joann.*, & lib. 5. *de Gen. ad litter. cap. 13.*, & Damaſcenus *lib. 1. cap. 8.*

V. Probatur primò ratione: Omne, quod movet aliquid ad perfectionem tanquam cauſa ſuperior, priùs habet in ſe perfectionem, ad quam movet, ſicut magiſter priùs habet in ſe doctrinam, quam aliis tradit: Sed Deus eſt cauſa ſuperior, quæ omnia alia movet ad ſuas perfectiones; ergo illorum omnium perfectiones in ſe præhabere debet.

VI. Secundò. Deus eſt ipſum eſse per ſe ſubſiſtens; ergo totam perfectionem eſsendi in ſe continet: ſi enim aliquod calidum non habeat totam perfectionem calidi, hoc ideo eſt, quia calor non participatur ſecundum perfectam rationem caloris, & quia calidum non eſt ipſe calor, ſed ſolum habens calorem: ſed ſi calor eſset per ſe ſubſiſtens, nihil ei poſset deeſse de perfectione caloris. Cùm ergo Deus ſit ipſum eſse per ſe ſubſiſteus in tota plenitudine eſsendi,

ut

Digitized by Google

ut dictum eſt, & omnes perfectiones pertineant ad lineam eſſendi, omnis cujuſcumque generis perfectio, quæ aliquomodo eſt, in Deo erit. Ubi nota cum D. Thom. hìc *ad* 3. quòd eſto ens non actu contineat vivens, ſapiens, &c. ſed potius è contra, quia non oportet, ut illud, quod participat eſſe, participet illud ſecundùm omnem modum eſſendi: tamen ipſum eſſe Dei, quod eſt ipſum eſſe ſubſiſtens, includit in ſe vitam, & ſapientiam, quia nulla de perfectionibus eſſendi poteſt deeſſe ei.

VII. Dico Secundò. Perfectiones ſimpliciter tales continentur in Deo formaliter, perfectiones verò non ſimpliciter, ſed ſolum in certo genere tales, ſunt in Deo ſolum eminentèr, ideſt quòd eſto de Deo propriè dici non poſſint, in Deo tamen eſt virtus earum eminentiori modo præcontentiva, ſicut & cauſativa. Ità D. Thomas, tùm hoc articulo, tùm 1. *contragentes cap.* 28. 29. 30. 31.

VIII. Probatur ratione prima pars. Illa perfectio eſt formalitèr ponenda in Deo, quæ in ſuo formali conceptu nullam imperfectionem includit: tales ſunt quæ vocantur perfectiones ſimplices; Ergo hæ formalitèr ſunt in Deo. Et proinde in Deo eſt formaliter vita, ſapientia, bonitas, intellectus, voluntas, juſtitia, miſericordia, quia omnia iſta, licèt, ut in creaturis ſunt, aliquibus imperfectionibus involvantur, quia tamen his implicantur ex conditione ſubjecti, nimirum creaturæ, in qua ſunt, ideoque tantùm ex conceptu materiali: ideo ſi transferantur in Deum, earum conceptus formalis omni imperfectione ſpoliatus invenitur; & hoc modo de Deo formaliter dicuntur.

IX. Obſervandum tamen eſt, ait Divus Tho. 1. contragentes cap. 30., *aliqua prædictorum nominum perfectionem abſque defectu importare quantum ad illud, ad quod ſignificandum nomen eſt impoſitum: quantum verò ad modum ſignificandi omne nomen cum defectu eſt. Nam nomine res exprimimus eo modo, quo intellectu concipimus: intellectus autem noſter ex ſenſibilibus cognoſcendi initium ſumens, illum modum non tranſcendit, qui in rebus ſenſibilibus invenitur, in quibus aliud eſt forma, & habens formam propter formæ, & materiæ compoſitionem: forma verò in his rebus invenitur quidem ſimplex, ſed imperfecta, utpote non ſubſiſtens. Habens verò formam invenitur quidem ſubſiſtens, ſed non ſimplex, imo concretionem habens: unde intellectus noſter quidquid ſignificat ut ſubſiſtens, ſignificat in concretione: Quod verò ut ſimplex ſignificat, non ut quod eſt, ſed ut quo eſt: & ſic in omni nomine à nobis dicto quantùm ad modum ſignificandi imperfectio invenitur, quæ Deo non competit, quamvis res ſignificata aliquo modo eminenti Deo conveniat, ut patet in nomine bonitatis, & boni. Nam bonitas ſignificat ut non ſubſiſtens, bonum autem ut concretum, & quantùm ad hoc nullum nomen Deo convenienter aptatur, ſed ſolùm ad id, ad quod ſignificandum nomen imponitur.*

X. Secunda verò pars probatur. Perfectiones non ſimpliciter, ſed ſolùm in certo genere, tales ſunt, ut earum eſſentia, ſeu ratio formalis non poſſit ab omni imperfectione depurari, ità ut ſi omnem imperfectionem ab eis removeas, non maneat ampliùs conceptus formalis, & eſſentia illarum: ſed nulla imperfectio poteſt formalitèr eſſe in Deo; ergo &c. major prob. rationes formales ac eſſentiales hominis, equi, lapidis ſic dicunt rationes corporis ſenſitivi, quanti &c. ut ſi ejuſmodi ab iſtis demas, non remaneat ampliùs eorum eſſentia, & natura, ut per ſe patet. Ergo hujuſmodi nomina neque ex parte rei ſignificatæ Deo convenire formaliter, ac de Deo dici poſſunt, niſi ad ſummum ſecundùm metaphoram, ut ait D. Tho. 1. *contragentes cap.* 30. citato dicens, *quæcumque verò nomina hujuſmodi perfectionem deſignant modo proprio creaturis, de Deo dici non poſſunt, niſi per ſimilitudinem, & metaphoram per quam quæ ſunt unius rei, alteri ſolent adaptari: ſicut aliquis homo dicitur lapis pro-*

Digitized by Google

pter duritiem intellectus. Hujuſmodi autem ſunt omnia nomina impoſita ad deſignandam ſpeciem rei creatæ, ſicut homo, & lapis.... ſimilitèr etiam quæcumque nomina proprietates rerum deſignant, quæ ex propriis principiis ſpecierum cauſantur, de Deo dici non poſſunt, niſi metaphoricè.

XI. Quòd verò hujuſmodi perfectiones non ſimplicitèr tales inveniantur in Deo ſaltem eminentèr, & virtualitèr, probatur ratione D. Thomæ hac *qu.* 4. *art.* 2. ſic: Quidquid perfectionis eſt in effectu, oportet inveniri in cauſa effectiva, effectus enim præexiſtere debet virtute in cauſa agente, vel ſecundùm eandem rationem, ſi ſit agens univocum, vel eminentiori modo, ſi ſit agens æquivocum, ſicut in Sole eſt ſimilitudo eorum, quæ generantur per virtutem Solis: omne enim agens in quantum agens, eſt in actu, & præcontinet effectum modo perfectiori: ſed Deus eſt prima cauſa effectiva rerum; ergo oportet, ut præcontineat, & omnium rerum perfectiones actu, vel formali, vel eminentiali præexiſtant in Deo.

XII. Porrò quid ſit, effectum virtute præexiſtere in cauſa æquivoca, docet D. Thomas 2. *contragentes cap.* 31. Sol enim dicitur virtute calidus, non ſolùm quia calorem facit, ſed quia virtus, per quam hoc facit, eſt aliqualitèr conformis calori; niſi enim aliqualitèr eſſet de genere caloris, & ſi non in ſpecie, Sol per eam agens nullo modo ſimile generaret. Dicitur autem effectus præexiſtere in cauſa æquivoca eminentiori modo, quia præexiſtit in virtute, quæ una ad plures effectus ſeſe extendit. Sicut per eandem virtutem, per quam Sol facit calorem, facit & multos alios effectus in inferioribus corporibus, utpote ſiccitatem. Et ſic calor, & ſiccitas, quæ in igne ſunt qualitates diverſæ, Soli attribuuntur per unam virtutem, quæ ideo perfectior eſt, ſicut poteſtas regia eminentiori modo in rege eſt, quàm in miniſtris inferioribus, quia in rege una extenditur ad omnia illa, ad quæ diverſæ ſub illa poteſtates ordinem habent.

XIII. Sic ergo virtus divina continet omnia creata, & omnia præexiſtunt actu in illa, quia cùm ſit ipſum eſſe, omnia habent conformitatem cum illa, non quidem in ſpecie, ſeu in genere, ſed in eſſe, quod omnia ab ipſa participant: & hoc modo, ait S. Thomas 1. *part. qu.* 4. *art.* 3., omnia aſſimilantur Deo, quæ ſunt à Deo, in quantum ſunt entia, ut primo, & univerſali principio totius eſſe. Quia verò virtus divina, una exiſtens omnes quoſcumque effectus, qui per diverſas virtutes produci poſſunt, in ſe continet: ideo eminentiori modo in illa præexiſtunt, quam in virtute ſuæ cauſæ univocæ, & particularis, & in ſe ipſis, quia in virtute ſuæ cauſæ, & in ſe ipſis modo limitato exiſtunt, in virtute autem divina modo univerſaliſſimo, & illimitato.

XIV. Obſervat tamen S. Doctor, citato *art.* 3. *ad* 4., quòd eſto *aliquomodo concedatur, quòd creatura ſit ſimilis Deo; nullo tamen modo concedendum eſt, quod Deus ſit ſimilis Creaturæ. Quia in his quidem, quæ unius ordinis ſunt recipitur mutua ſimilitudo: non autem in cauſa, & cauſato. Dicimus enim, quòd imago ſit ſimilis homini, & non è converſo; & ſimilitèr dici poterit aliquomodo, quod creatura ſit ſimilis Deo, non tamen, quòd Deus ſit ſimilis creaturæ.* Hæc D. Thomas.

§. III.

An Deus, & creatura ſimul ſint aliquid melius, & perfectius, quàm Deus ſolus.

XV. Dico. Deus cum creaturis non eſt aliquid melius, & perfectius, quàm Deus ſolus. Probatur. Nam ex dictis Deus in ſuo ampliſſimo ſinu comprehendit omnes perfectiones creatas etiam individuales, vel formalitèr, vel eminentèr: & omnis creatura, etſi perfecta, nihil addit ſupra divi-

Digitized by Google

vinam excellentiam, niſi dependentiam, limitationem, & defectum: Sicut ergo punctum additum lineæ, inſtans æternitati, umbra corpori non faciunt quid perfectius, ità tota rerum poſſibilium univerſitas, Deo nihil addit, ſed ſolum deficientèr adumbrat perfectionem divinam. Hoc expreſſit Iſaias cap. 40 v. 15. *Ecce gentes quaſi ſtilla ſitulæ, & quaſi momentum ſtateræ reputatæ ſunt*. Et v. 17. *Omnes gentes quaſi non ſint, ſic ſunt coram eo, & quaſi nihilum, & inane reputatæ ſunt ei*.

XVI. Confirmatur hoc ex doctrina D. Thomæ, tùm *in 3. diſt. 6. qu. 2. art. 3. ad 1.*, ubi oſtendit, Perſonam Verbi ut habentem humanitatem non eſſe quid melius Perſonâ Verbi ſine humanitate his verbis: *In Perſona compoſita quamvis ſint plura bona, quàm in Perſona ſimplici; quia eſt ibi bonum increatum, & bonum creatum: tamen Perſona compoſita non eſt majus bonum, quàm ſimplex, quia bonum creatum ſe habet ad bonum increatum, ſicut punctum ad lineam, cùm nulla ſit proportio unius ad alterum. Unde ſicut lineæ additum punctum non facit majus: ità nec bonum creatum additum in Perſonâ bono increato, facit melius. Vel etiam quia tota ratio bonitatis omnium bonorum eſt in Deo: unde & ipſe dicitur omne bonum. Unde non poteſt ſibi fieri additio alicujus boni, quod in ipſo non ſit*. Tùm etiam *qu. 5. de malo art. 1. ad 4. Bonum* (inquit) *creatum additum bono increato non facit majus bonum, nec magis beatum. Cujus ratio eſt. Quia ſi duo participantia conjungantur, augeri poteſt in eis quod participatur: ſed ſi participans addatur ei, quod eſt per eſſentiam tale, non facit aliquod majus: ſicut duo calida adjuncta ad invicem poſſunt facere magis calidum: ſed ſi eſſet aliquid, quod eſſet calor per eſſentiam ſuam ſubſiſtens, ex nullius calidi additione intenderetur. Cùm ergo Deus ſit ipſa eſſentia bonitatis... omnia autem alia bona per participationem, ex nullius boni additione fit Deus magis bonus, quia cujuslibet rei alterius bonitas continetur in ipſo*. Idem repetit hac *1. p. quæſt. 103. art. 3. ad 3.*

XVII. Quare ad ſummum dici poteſt, quòd Deus, & creaturæ ſint plures res ſecundum numerum, quod indicavit D. Thomas *1. diſt. 24. qu. 1. art. 1. ad 4.* Ubi ait, quòd Deus *aliquomodo poteſt connumerari aliis rebus, ut dicatur; quòd Deus, & Angelus ſunt duæ res: non tamen ſimpliciter, & propriè ſicut creaturæ ad invicem connumerantur; quæ univocè in aliquo uno conveniunt: & ex hoc non ſequitur, quòd Deus ſit pars alicujus, vel quòd Deus, & Angelus ſint aliquid majus, quàm Deus; ſed quòd ſint plures res*. Quò pacto, ut ſupra diximus, *3. p. qu. 2. art. 4. ad 2.* admittit, Perſonam divinam cum humanitate componere ratione numeri.

QUÆSTIO IV.

De Divinis Attributis.

QUas in Creaturis proprietates vocamus, has in Deo attributa dicimus. Quare attributa in Deo ſunt perfectiones, & prædicata, quæ de Deo affirmantur verè, tanquam naturæ divinæ propria, & quaſi ab ea emanantia. Qualia ſunt juſtitia, miſericordia, bonitas, ſapientia &c. Unde ea, quæ de Deo metaphoricè dicuntur, ut *Leo*, *Agricola*, attributa Dei non ſunt, uti neque Perſonæ Divinæ propriè attributa ſunt, quia prædicata abſoluta non ſunt, ſed relativa. De his ergo in hac quæſtione tractabimus: & primò quidem in generali, deinde in ſpecie de aliquibus ſermonem inſtituemus.

DU-

DUBIUM I.

Quomodo attributa inter ſe, & ab Eſſentia Dei diſtinguantur.

§. I.

Varietas errorum, & opinionum.

I. Circa hoc argumentum duplex quondam fuit error è regione oppoſitus. Gilbertus Porretanus, de quo ſupra, inter eſſentiam, & attributa, tùm inter attributa invicem, poſuit diſtinctionem actualem in re. An verò poſuerit diſtinctionem actualem realem, quaſi eſſent diverſæ res, an ſolùm actualem modalem, vel formalem, in medio res eſt: aliqui dubitant, affirmant aliqui, alii negant, ut ſupra quæſt. præcedenti dubio 2. §. 2. num. 7. Gregorius verò Palama Græcus Schiſmaticus docuit, divinam eſſentiam realiter à ſuis operationibus diſtingui.

II. Alter error ex diametro oppoſitus fuit Eunomii, qui nullam, nec mentalem, diſtinctionem admittebat inter eſſentiam, & proprietates ſive abſolutas, ſive relativas: cùmque urgeretur ſcripturis, quæ eſſentiam, & attributa diverſis nominibus exprimunt, dicebat, hæc ſoni tantùm, & nominis differentiam indicare, ideòque eſſentiam, & ſapientiam, ſive alia attributa invicem non differre, niſi ſecundum nomen, aſſerebat.

III. Inter præfatos errores extremos mediant Catholicorum opiniones. Scotus cenſet, eſſentiam Dei, tùm ab attributis, & perſonis; tum attributa invicem, diſtingui diſtinctione ante opus intellectus actuali, non quidem reali, ſed formali ex natura rei. Thomiſtæ ſentiunt, eſſentiam ab attributis, & Perſonis, & attributa invicem, ante conſiderationem intellectus ſolâ diſtinctione virtuali diſtingui, & actu ſolùm diſtingui ratione ratiocinatâ. Nominales verò, Principe Ochamo, inter præfata ſolam diſtinctionem nominalem, & conceptuum formalium ortam ex diverſa connotatione, & reſpectu divinæ eſſentiæ ad creaturas, conſtituunt: ità ut eadem omnino ſimpliciſſima eſſentia divina connotando miſeriam ſublevandam dicatur miſericordia, connotando veritates certò, & clarè cognoſcendas dicatur ſapientia &c. Quæ autem, erroribus exploſis, probabilior, tutiorque via à nobis eligenda ſit, tandem ſtatuemus.

§. II.

Error Gilberti de diſtinctione reali.

IV. Gilberti errorem, precipuè quatenus in divinis actu diſtinguebat concretum ab abſtracto, Deum nimirùm à deitate, ſuperiùs citato loco refutavimus. Quia verò etiam de eſſentia in ordine ad attributa, & Perſonas tanquàm malè locutus, fuit delatus ad Eugenium Papam Tertium, à quo, tùm in Concilio Pariſienſi, tum in Remenſi ejus libellus damnatus fuit, & ipſe ejurare coactus, ideo ad ipſum reverti in præſenti adſtringimur.

V. Scio, non defuiſſe, nec deeſſe, qui Gilberti doctrinam in bonum ſenſum trahere conentur. Vazquez docet, eum catholicè ſenſiſſe circa identitatem eſſentiæ cum attributis divinis, & attributorum invicem, & inter iſta admiſiſſe identitatem realem: peccaſſe tamen contra fidem, quòd eſſentiam à Perſonis realiter diſtinxerit. Ità ſentit etiam Fraſſen. *tract. 1. diſput. 2. art. 2. quæſt. 1. de diſtinct. attribut. tom. 1.* Cæteri tamen Theologi, inter quos Juenin, *Inſtit. Theologi part. 1. diſſert. 3. de Attrib. in comm. qu. 1.*, ſentiunt, Gilbertum eodem modo fuiſſe locutum de eſſentia relatè ad attributa, ac relatè ad Perſonas, & de attributis invicem, & propterea peccaſſe tàm in uno, quàm in altero.

VI. Quamvis hac in cauſa me judicem conſtituere nolim; propendo tamen in ſententiam aſſerentem, eàdem diſtin-

Digitized by Google

ſtinctione attributa ab eſſentia, & ad invicem diſtinxiſſe, quâ ab eſſentia Perſonas diſtinguebat. Moveor ex iis, quæ S. Bernardus, ſtrenuus Gilberti in Concilio Remenſi oppugnator, ſcribit *ſerm.* 80. *in Cantica*, ubi *recedant*, inquit, *à nobis, chariſſimi, recedant novelli, non dialectici, ſed hæretici, qui magnitudinem, quâ magnus eſt Deus, & item bonitatem, quâ bonus, ſed & ſapientiam, quâ ſapiens, & juſtitiam, quâ juſtus, poſtremò divinitatem, quâ Deus eſt, Deum non eſſe, impiiſſimè diſputant*. Unde ſic diſcurro. Qui dixit, per diverſas formas Deum eſse magnum, bonum, ſapientem, juſtum ab ea, quâ Deus eſt, realiter actu diſtinxit attributa ad invicem, & ab eſsentia divina; hoc, Bernardo teſte, dixit Gilbertus; ergo &c. Hinc in ſymbolo à Concilio Remenſi contra Gilberti errores edito (to. 6. par. 2. Concil. Harduin. Col. 1299.) dicitur: *Credimus, & confitemur, ſimplicem naturam divinitatis eſſe Deum, nec aliquo ſenſu Catholico poſſe negari, quin Divinitas ſit Deus, & Deus divinitas. Sicubi verò dicitur, Domini ſapientiâ ſapientem, magnitudine magnum, divinitate Deum eſſe, & alia huiuſmodi, credimus, nonniſi eâ ſapientiâ, quæ eſt ipſe Deus, ſapientem eſſe, nonniſi eâ magnitudine, quæ eſt ipſe Deus, magnum eſſe; nonniſi eâ æternitate, quæ eſt ipſe Deus, æternum eſſe, nonniſi eâ unitate unum, quæ eſt ipſe: nonniſi eâ divinitate Deum, quæ eſt ipſe: ideſt ſe ipſo ſapientem, magnum, æternum, unum Deum*. Deinde ſubditur, *cùm de tribus Perſonis loquimur.... ipſas unum Deum, unam divinam ſubſtantiam eſſe fatemur &c.* Cùm ergo in hoc ſymbolo diſtinguant Remenſes Patres fidem de unitate attributorum cum eſsentia à fide unitatis Perſonarum cum illa, indicium eſt, Gilbertum in utroque erraſſe.

VII. Scio, Othonem Friſingenſem *chronic. lib.* 1. *cap.* 50. hac in parte patrocinium Gilberti ſuſcipere. Sed plus deferendum eſt D. Bernardo, qui Concilio Remenſi interfuit, & cum Gilberto diſputavit, ac ipſimet Concilio, imo & Gaufrido Monacho, qui ad Cardinalem Albanenſem Concillii acta tranſmittens, eadem quæ S. Bernardus, aſſeruit, quàm Othoni, quem plus æquo in Gilbertum propenſum fuiſse, teſtatur Radevicus, qui ejus chronicon ſupplevit, dùm *lib.* 2. *cap.* 11. ſcribit. Quòd Otho morti proximus *Codicem hiſtoriarum ſuarum manibus ſuis offerri præcepit, eumque litteratis, & religioſis viris tradidit; ut ſi quid pro ſententia magiſtri Gilberti... dixiſſe viſus eſſet, quod quemquam* (Bernardum appellat, cui ſubiniquus fuit) *poſſet offendere, ad ipſorum arbitrium corrigeretur &c.* Et ſanè ſi Gilbertus aſserebat, deitatem non eſse Deum, ſed quâ eſt Deus, dicere debuit etiam, divinam juſtitiam, bonitatem, non eſse Deum, ſed quâ Deus eſt juſtus, bonus &c.

VIII. Verùm quidquid ſit de opinione Gilberti. Dico, errorem diſtinguentium realitèr actualiter, tùm eſſentiam ab attributis, tùm attibuta invicem, meritò ab Eccleſia proſcriptum fuiſse. Tanquam enim de fide ſtatutum fuit in Concilio Lateranenſi IV. ſub Innocentio III. *cap. firmiter*, quòd *ſubſtantia divina ſit ſimplex omnino:* atqui ſi realitèr actu diſtingueretur ab attributis, non eſset omninò ſimplex, quin realiter compoſita ex eſsentia, & attributis, quæ licèt ab eſsentia diſtincta, cum ea tamen intimè conjungerentur, compoſitio autem eſt diſtinctorum unio.

IX. Rursùs. Idem Concilium Lateranenſe *cap.* 2. contra Abbatem Joachim ſtatuit, quòd *in Deo Trinitas eſt ſolummodo, non quaternitas* (ut falsò ille imponebat Petro Lombardo) *quia qualibet trium Perſonarum eſt illa res, videlicet ſubſtantia, eſſentia, ſive natura divina:* ergo ſi qualibet Perſonarum non ſit illa res, quæ eſt eſsentia, ſeu natura divina, ſed realitèr ab illa diſtincta, dabitur in Deo, non tàm Trinitas, quàm quaternitas. Imò ſi ab eadem natura, ſicut & ad invicem diſtinguentur realitèr attributa, dabitur in Deo non ſolùm quaternitas,

ſed

Digitized by Google

ſed centenitas, eùm centum ſint attributa, tùm invicem, tum ab eſsentia diſtincta. Hoc argumento Gilbertum urgebat S. Bernardus *lib. 5. de conſiderat. cap. 7.* dicens: *Multa dicuntur, eſſe in Deo, & quidem ſanè, Catholicèque; ſed multa unum. Aliòquin, ſi diverſa putemus, non quaternitatem habemus, ſed centenitatem. Verbi causâ, dicimus magnum, bonum, juſtum & innummera talia: ſed niſi omnia unum in Deo, & cum Deo conſideres, habebis multiplicem Deum.*

X. Tertiò. In Concilio Remenſi contra Gilbertum definitum eſt, Deum, nonniſi ſapientiâ, quæ ipſe Deus eſt, ſapientem eſse, nec niſi magnitudine, quæ eſt ipſe Deus, magnum eſse: ſed hoc dogma corrueret, ſi Deus ſapiens eſset ſapientiâ, & magnus magnitudine, à Deitate, ſeu eſsentia realitèr diſtinctâ; ergo &c.

XI. Quartò. Quæ invicem prædicantur etiam in abſtracto, realiter non diſtinguuntur: ſed attributa divina de ſe invicem, & de eſsentia prædicantur in abſtracto; ergo &c. Min. probatur ex S. Aug. l. 15. de Trinit. c. 5. *Non enim* (inquit) *percepit ſapientiam, quâ eſſet ſapiens: ſed ipſe ſapientia eſt.* Et infra. *Bonitas etiam, atque juſtitia, nunquid inter ſe in natura Dei, ſicut in ejus operibus diſtant, tanquam duæ diverſa ſint qualitates Dei, una bonitas, alia juſtitia? non utique: ſed quæ juſtitia, ipſa bonitas; & quæ bonitas, ipſa beatitudo.*

XII. Quintò etiam ratione. Quod eſt ipſum eſse per eſsentiam, & infinitum, non in determinato genere, ſed in ratione entis, identificat ſibi omnia quæcunque ſint, dummodò non ſint ex ratione formali realitèr incompoſſibilia: ſed Deus eſt ipſum eſse, & infinitus in genere entis, & attributa, nec invicem, nec cum eſsentia ſunt ex ſua ratione incompoſſibilia; ergo &c. Major patet, quia, ſicut infinitum in aliquo genere deberet ſibi identificare omnes illius generis perfectiones; ità infinitum in genere entis, omnes perfectiones de genere entis ſibi identificare debet. Aliàs, ſi non identificaret, cùm deberent ei uniri, deberent uniri, ut partes per compoſitionem: infinitum autem, quà infinitum, nec perfici, nec conſtitui poteſt ex partibus; omnis enim pars, ut talis finita eſt, nec involvens id, quod altera pars complectitur, quia ab illa realitèr diſtincta. Infinitum autem ex parte finita componi non poteſt, aliàs eſset finitum; ex partibus enim finitis, infinitum ſaltem per eſsentiam, quale eſt Deus, conſurgere non poteſt; ergo &c.

XIII. Pro ſolutione eorum, quæ objici poſſent, noto primò. Quòd eſto dici poſſit, attributa contineri in eſſentia divina continentiâ virtuali, tanquam in radice virtuali ipſorum, non tamen continentiâ reali, eo modo, quo effectus continetur in ſua cauſa reali. Ex quo fit, neque eſſentiam perfici ab attributis, quia perfectiones eorum actu implicitè in ſe habet, licèt illas ſub nomine eſſentiæ non explicet: Neque multiplicari eſſentiam, quoad explicitum eſſentiæ, etſi attributa, quoad explicitum, variis conceptibus, & nominibus, quaſi eſſent multa, nominentur; ſed ſolùm eſſentiam divinam, eſto realiter unam, eminentiali tamen æquivalentiâ pluribus æquivalere, ut dicemus.

XIV. Noto ſecundo. Quòd eſtò eſſentia, & proprietates in creatis pertineant ad diverſas Categorias; illa ad Categoriam ſubſtantiæ, iſtæ ad Categoriam qualitatis: eſſentia tamen, & attributa in Deo pertinent ad lineam ſubſtantiæ: Unde Auguſtinus ſupra relatus lib. 15. de Trinit. cap. 5. *Si dicamus* (inquit) *æternus, immortalis, incorruptibilis, immutabilis, vivus, ſapiens, potens, ſpecioſus, juſtus, bonus, beatus, ſpiritus, horum omnium noviſſimum, quod poſui* (idest Spiritus) *quaſi tantummodo videtur ſignificare ſubſtantiam; cætera verò hujus ſubſtantiæ qualitates: ſed non ità eſt in illa ineffabili, ſimplicique natura. Quidquid enim ſecun-*

Digitized by Google

cundùm qualitates illic dici videtur, ſecundùm ſubſtantiam, vel eſſentiam eſt intelligendum. Abſit enim, ut ſpiritus ſecundùm ſubſtantiam dicatur Deus, & bonus ſecundùm qualitatem, ſed utrumque ſecundùm ſubſtantiam. Sic omnia cætera, quæ commemoravimus.

Quomodo autem ſine diſtinctione reali inter illa, ſalvari, & ſolvi poſſint contradictoria de eſſentia, & attributis, dicemus inferiùs.

§. III.

Palamæ, & Palamitarum error.

XV. Gregorius Palamas Græcus (qui Palamitarum ſectæ nomen dedit) primùm Monachus, & poſtea Theſſalonicenſis Epiſcopus ſchiſmaticus, medio ſeculo decimo quarto, Andronico juniore Græcis Imperante, ut referunt Natalis Alexandre *ſeculo* 13., & 14. *cap.* 3. *art.* 14., & Harduin. *tom.* 7. *Concil. Columm.* 1639., & 1640. aſſerere cæpit, energiam, ſeu operationem Dei eſſe quid ab ejus ſubſtantia ſecundùm rem diſtinctum, ipsâ inferius, & ab ea velut à cauſa profectum; eò quòd (dicebat) ſubſtantia cum rebus creatis communicari nequeat, operationes verò ad creaturas deſcendant. Operationum autem nomine, non ſolas eas, quas virtualitèr tranſeuntes vocamus, intelligebat, ſed ipſa quoque attributa, ut bonitatem, ſapientiam &c. quæ ab eſſentia, & ſubſtantia Dei reipsâ diſtincta volebat, & eſſe eâ minora, licèt ipſi coæterna, ſicut ſplendor à Sole emiſſus non eſt ſubſtantia Solis, etſi coævus illi ſit, eaſque operationes nihilominus *Deitates* appellabat. In ſui autem erroris exemplum adducebat lumen illud, quo circumfuſus fuit Chriſtus in Monte Thabor: hoc minimè creatum aſſerebat, ſed æternum, ac divinum, ipſumque, quo Deus induitur.

Cùm verò urgeretur Palamas, eſſentiam Dei oculis corporeis videri non poſſe, reſpondebat (ut refert David Monachus in relatione de diſſidio Barlaami, & Palamæ apud Allatium *l.* 2. *de perpetua Conſenſione Eccleſiæ occidentalis, & Orientalis cap.* 17.) eſt quidem lumen illud divinum, & increatum, & Deitas à Sanctis nominatur, at non eſt ſubſtantia Dei, ſed operatio, & gratia, & gloria, & ſplendor ex divina ſubſtantia in Sanctos miſſus. Omnes enim Sancti tam Homines, quàm Angeli vident quidem gloriam Dei temporis expertem: ſubſtantiam verò Dei nullus, neque Homo, neque Angelus vidit, aut videre poteſt. Ex quibus apparet, Palamam in hoc quoque errore fuiſſe, quòd à beatis non videatur divina eſſentia, ſed neſcio quæ claritas ab ea refulgens: qui fuit error antiquus Armenorum, cujus meminit S. Gregorius *lib.* 18. *moral. c.* 37.

XVI. Barlaamus Monachus, ex Calabria oriundus, Hieracenſis poſtea Epiſcopus, Palamæ ſeſe oppoſuit. Contentione jam ad tertium annum protractâ, cùm rem Barlaamus ad Patriarcham detuliſſet, indicta eſt ſynodus anno circiter 1342. Joanne Patriarcha Præſide, & Andronico Imperatore præſente, in qua Barlaamus damnatus eſt. Barlaamo in Italiam reverſo, non deſtitere ejus Diſcipuli, quorum Princeps erat Acindynus, Palamæ obſiſtere, quare altera ſynodus anno 1350. coacta fuit, in qua cum Barlaamo etiam Acindyno damnato, Palamæ error de diſtinctione divinæ eſſentiæ ab operatione, aliiſque attributis iterùm ſtatutus fuit: acta hujus ſynodi exhibet Harduin. *tom.* 11. *Concil. à Columna* 283.; in aliiſque ſynodis, maximè in ea, quam Conſtantinopolitanam nonam appellant Græci Schiſmatici, Palamæ errorem totius Eccleſiæ dogma fecerunt. Contra quos

XVII. Dico. Palamæ ſententia de diſtinctione reali divinæ eſſentiæ à ſua operatione, ſtolidus, imò impius error eſt. Stolidus, quia operationes Dei appellat Deitates, & negat eſſe idem cum ſubſtantia Dei: quid enim magis de ſubſtantia Dei, quàm Deitas? ſicut

cut quid magis de ſubſtantia hominis, quàm humanitas? Deinde, quia dicit, operationes eſſe increatas, & adhuc eſſe diſtinctas à ſubſtantia Dei. Vel enim à ſubſtantia Dei producuntur, & ſic non ſunt increatæ, & à ſe, quia cauſam habent ſui eſſe, ſicut operatio creata: vel à ſubſtantia Dei non producuntur; & ſic quomodo erunt operationes Dei, præſertim vitales, cùm de ratione actus vitalis ſit procedere à principio intrinſeco?

Impius etiam eſt: quia ponens operationes Dei diſtinctas à Deo, & increatas, ponit plura entia increata, plures Deitates, & plures Deos: illæ enim Deitates, vel ſunt ſubſtantiæ ſubſiſtentes, & ſic ſunt plures Dii, vel ſunt accidentia, & ſic in Deo accidentia ponit, quæ in Deo non poſſe admitti ſuperiùs oſtendimus: Cùmque accidentis ſit à ſubjecto pendere, non poſſent eſſe ens increatum.

Dicebat tamen, minimè obſtare, poſſe dari plura entia increata, & plures Deitates infinitiès infinitas, modò ſuperiores, modò inferiores.

Sed quis non videt, hoc eſſe in Paganiſmum ruere, tantò majori culpâ, quantò in majori Chriſtianæ fidei, & veritatis luce? Rursùs. Quomodo deitates illæ ſubſtantiâ Dei inferiores dicuntur, ſi ſunt quid increatum, ſicut ipſa? Si à ſubſtantia Dei procedunt, & increatæ ſunt, procedent, ut Perſonæ divinæ procedunt: ergo in Deo non Trinitas, ſed infinitas Perſonarum erit admittenda. Sed hiſce nugis vacare non præſtat.

XVIII. In ſui erroris confirmationem adducebant Palamitæ varias Patrum Græcorum auctoritates. Sed ſi quis eorum mentem funditùs ſcrutetur, inveniet, Patres præfatos, non aliam agnoſcere diſtinctionem inter ſubſtantiam Dei, ejuſque operationes, niſi ſecundùm modum ſignificandi, & intelligentiæ rationem: vel loqui non de operatione, ut in ſe, ſive ut actus Dei, ſed de operatione paſſivè ſumta, & ut in termino per eam producto.

§. IV.

Error Eunomii.

XIX. Eunomius Cyzicenus Epiſcopus (à quo Eunomiani, ſeu Anomæi) Aetii diſcipulus, ſectâ Arianus, quarto ſeculo inter alios hunc errorem habuit. Quòd nimirùm Attributa omnia, quæ de Deo prædicantur, velut bonitatem, ſapientiam, multòque magis, quæ in Patre eſt, innaſcibilitatem, ſeu rationem ingeniti, nullo modo, neque cogitatione, ſed nominetenus ab eſſentia diſtingui. Et hoc, ut ſibi faciliorem pararet viam ad dicendum, Filium, & Spiritum Sanctum, in quibus non adeſt innaſcibilitas, ſeu ratio ingeniti, & improducti, non eſſe ejuſdem eſſentiæ, & naturæ cum Patre. Id conſtat ex S. Gregorio Nyſſeno *orat. 12. contra Eunomium*. Et ejuſdem erroris fuiſſe quoque Eunomii magiſtrum Aetium, teſtatur S. Epiphanius *hæreſi 76*.

XX. Dico. Eunomius negans omnem diſtinctionem etiam per rationem inter eſſentiam divinam, & attributa erravit, ac meritò proſcriptus fuit. Probatur. Ideo divina eſſentia nullâ diſtinctione, nec mentali diſtinguenda eſſet ab attributis, quia hæc actu, & realiter ſunt idem cum illa: ſed hæc ratio non evincit; ergo &c. Minor probatur Ratione D. Thomæ *1. par. qu. 13. art. 4. in corp.* Quando in aliqua natura ſuperiori præexiſtunt unitè perfectiones, quæ in inferioribus recipiuntur divisè, & multipliciter, tunc datur fundamentum, ut intellectus, qui ex iis, quæ videt in inferioribus, aſcendit ad cognoſcendum illam naturam ſuperiorem, formet de ea diverſos conceptus, quorum unus uni perfectioni reſpondeat, alter alteri: ſed in natura divina præexiſtunt unitè omnes perfectiones, quæ divisè in creaturis inveniuntur; ergo datur locus, ut humanus intellectus, qui ex creatis aſcendit ad divina, formet de ſubſtan-

tia

Digitized by Google

tia divina diverſos conceptus. Major probatur: natura ejuſmodi, licèt una, & ſimplex realiter, repræſentatur tamen per diverſas perfectiones creaturarum varie, & multipliciter tanquam omnibus illis æquivalens, & omnium earum rationes præcontinens, tanquam unicum omnium earum principium; ergo dat fundamentum, ut concipiatur, pro ut æquivalet uni, & non alteri, ſecundùm unam rationem, & non alteram: non quidem per affirmationem, judicando eſſe diſtincta, quæ diſtincta non ſunt: hoc enim eſſet mendacium, ſed per puram, ac ſimplicem mentis apprehenſionem, nimirùm unam rationem apprehendendo, & abſtrahendo, ſeu præſcindendo ab altera; abſtrahentium autem (ut ajunt Philoſophi) non eſt mendacium. Sic anima humana, etſi una realiter, vegetativa ſit, ſenſitiva, & rationalis, mens tamen in ea concipit rationem vegetativi, quin rationem ſenſitivi, & rationalis concipiat, eamque in três gradus, tres rationes, & conceptus partitur. Eodem proportionali modo, quamvis eſſentia divina ſit idem cum Perſonis, ſeu cum notionibus, mens tamen concipit Perſonas, ſine eſſentia, eſſentiam ſine Perſonis. Ex quo fit, ut concipiat in Filio, & Spiritu Sancto eſſentiam divinam, etſi in his non concipiat, notionem ingeniti, & improducti.

XXI. Dices primò. Magis eſt unum, quod eſt unum re, & ratione, quàm id, quod eſt unum re, & multiplex ratione; ſed Deus eſt maximè unus; ergo videtur, quòd non ſit unus re, & multiplex ratione.

Reſpondetur cum D. Thoma citato, qui hoc argumentum contra ſe proponit. *Ad tertium* (inquit) *dicendum, quòd hoc ipſum ad perfectam Dei unitatem pertinet, quòd ea, quæ ſunt multipliciter, & diviſim in aliis, in ipſo ſunt ſimpliciter, & unitè. Et ex hoc contingit, quòd eſt unus re, & plures ſecundùm rationem: quia intellectus noſter ità multipliciter apprehendit eum, ſicut res multipliciter ipſum repræſentant.*

XXII. Dices ſecundò. Si attributa etiam per mentem diſtinguantur ab eſſentia, erit compoſitio ſaltem rationis in Deo; atqui in Deo ſimpliciſſimo nulla eſt admittenda compoſitio, nec mentalis; ergo neque diſtinctio. Major probatur: compoſitio eſt unio diſtinctorum, quocumque modo diſtincta ſint; ſed in Deo erit unio diſtinctorum, nimirùm eſſentiæ, & attributorum; ergo erit pariter compoſitio. Ità arguebat Eunomius apud Niſſenum *orat.* 12. adverſus Eunom. *Non aliud quid eſt vita, quàm eſſentia, ne aliqua compoſitio in ſimplici natura intelligatur, in id, quod participat, & quod participatur, notione diviſâ.*

Reſpondetur negando majorem, ad cujus probat. dico, majorem eſſe veram, ſi illa diſtincta invicem ſe excludant, ſecùs verò, ſi invicem ſe includant. Compoſitio enim eſſentialiter dicit partes: Partes verò ſeſe invicem excludunt, vel realiter, ſi realiter componant, ſic pes excludit manum, & manus pedem; vel objectivè, ſi logicè componant, ſic animal objectivè excludit rationale. Eſſentia autem, & attributa invicem per mentem diſtincta, non uniuntur tamquam partes: quamvis enim mens attributa ſine eſſentia concipiat, non tamen eſſentiam excludit; nec realiter, quia eſſentia cum attributis realiter idem eſt; nec objectivè, ſaltem adequatè, quia conceptus objectivus attributorum, eſto non exprimat, implicat tamen, & includit eſſentiam, cùm eſſentia & attributa ſint unum & idem ſub diverſis notionibus. Gregorii Niſſeni eſt iſta ſolutio: *Quis ità ſtupidus* (ait Orat. 12. contra Eunomium) *ut ignoret, divinam quidem naturam, quidquid tandem ſecundùm eſſentiam eſt, eſſe unam, & uniformem, atque compoſitionis expertem: humanam verò animam humi jacentem, quoniam non poteſt, quod quæritur, liquidò perſpicere, per multas notiones ad inexplicabilem naturam diverſè, ac multipliciter contendere, non unâ aliquâ co-*

gitatione quod latet indagantem?

XXIII. Sed dices. Poſitâ diſtinctione inter eſſentiam, & attributa, quædam ſingularis notio, ſive idea reſponderet huic nomini *eſſentia*, quæ non reſpondere huic nomini *ingenitum*, *bonum &c.* ſed hoc dici non debet; ergo &c. Minor probatur. Si huic nomini *eſſentia* correſponderet notio, & idea ſingularis, hæc idea eſſet eſſentiæ tantùm, & non ingeniti, idea ingeniti eſſet ingeniti tantùm, & non boni, Idea boni eſſet idea boni, & non juſti &c. Ità ratiocinabatur Eunomius apud Baſilium.

Reſpondeo negand. min., ad prob. dico, in ea forma arguendi fieri tranſitum ab eo, quod eſt in mente, ad illud, quod eſt in re, ſeu à ſenſu formali ad ſenſum materialem. Eſto enim idea ſingularis eſſentiæ, ut reſpondet conceptui mentis humanæ, non exprimat ideam ingeniti, nec idea ingeniti ideam boni, ex parte tamen ſubjecti, & in re, idea eſſentiæ eſt idea ingeniti, boni, ac cujuſvis divinæ perfectionis, excedens omne nomen, omnemque intelligentiam. *Itaque* (Niſſenus reſpondet Eunomio) *ſubjectum ipſum Deus ſine initio eſt, ac ſine, quod quidem omne nomen, ac notionem omnem ſuperat. Hoc verò, quod eſt neque ex cauſa ipſum oriri, neque unquam eſſe deſinere, hæc nominum iſtorum* ingenitum, incorruptibile *commentatione declarantur:* & hoc S. Doctor ad omnia alia, quæ de Deo dicuntur, extendit: *quarum unaquæque per ſeſe ſecundùm propriam, ac peculiarem intelligentiam ſignificantibus nominibus enunciatur.* Hæc pariter doctrina Baſilii eſt *lib.* 1. *contra Eunomium*, à qua hìc producenda tempero, quia aliqua inferiùs dicturus ero.

§. V.

Opinio Nominalium.

XXIV. Nominales, Duce Ochamo *in* 1. *qu.* 2., & Gregorio Arimin. *ibidem diſt.* 8. *qu.* 2. *art.* 1., ut ab errore Gilberti Porretani attributa realitèr diſtinguentis ab eſſentia divina, & ad invicem, quod vidimus, declinarent, ad oppoſitum Eunomii acceſſerunt: contendentes, attributa nec ab eſſentia, nec invicem ullâ diſtinctione etiam per intellectum diſtingui, ſed ſolùm eſſe diverſa nomina eandem omnino rem cum connotatione ad diverſos effectus exprimentia.

Dicebant propterea, nullam inter præfata dari diſtinctionem rationis ratiocinatæ, ſeu ex parte rei ſignificatæ; ſed ſolùm rationis ratiocinantis, nimirùm ſolùm ex parte intellectus, per plures actus de eadem omnino re abſque ullo ex parte rei intrinſeco fundamento per plures actus ratiocinantis.

XXV. Dico ergo. Eſſentia Dei non diſtinguitur ab attributis, nec attributa invicem ſolâ diſtinctione rationis ratiocinantis. Hoc aſſertum primò confirmant omnes rationes §. ſuperiori contra Eunomium adductæ.

Quibus addo Baſilium, qui poſtquam ab Eunomio poſtulavit, an ſicut aſſerebat, ingenitum eſſe de ſubſtantia Dei, hoc idem aſſereret in omnibus, quæ de Deo dicuntur, *lib.* 1. *contra Eunom. num.* 8. ait. *Quòd ſi omnia hæc ad unum ſignificatum tendunt, neceſſe omnino eſt, ut nomina idem inter ſe valeant, quemadmodum ſit in iis, quæ multis nominibus appellantur: ſicuti cùm eundem dicimus Simonem, Petrum, & Cepham. Quare qui audiet immortalitatem Dei. deveniet ad ingenerationem, qui audierit indiviſibilem eſſe, ad creandi facultatem deferetur. Ecquid hac confuſione fieri poſſit abſurdius? Si quis videlicet ademto proprio uniuſcujuſque, nominis ſignificato, tùm communi uſui, tùm ſpiritus doctrinæ repugnet?... Nonne igitur manifeſta eſt inſania, ſi dicas, proprium ſignificatum unicuique nomini ſubjectum non eſſe: ſed contra verborum vim decernas, nomina omnia idem inter ſe valere?* Ità Baſilius. Vel ergo Nominales omnibus nominibus, quæ de Deo dicuntur, idem prorſus tribuunt

Digitized by Google

ant ſignificatum, vel aliquomodo diverſum. Si primum: contra illos arguit Baſilius; omnia enim nomina, quæ de Deo dicuntur, ponunt ſinonyma, & incidunt in confuſionem, quam Baſilius exprobrabat Eunomio. Si verò dicant ſecundum; ergo aliquam diſtinctionem admittant oportet, non ſolùm ex parte rationis ratiocinantis, ſed rationis ratiocinatæ, & ex parte rei ſignificatæ, & aſſerant cum Cyrillo (31. Theſauri) *Non omnia ergo, quæ in Deo ſunt, & de Deo dicuntur, ſubſtantiam ſignificant: reliquum eſt igitur, in voce, modoque dicendi accidentia eſſe dicamus, quoniam modo accidentium ea intelligimus.*

XXVI. Prætereà, divina prædicata, quæ diverſis nominibus exprimuntur, tanquam res invicem diſtinctis nobis Scriptura proponit. Paulus Roman. 1. v. 20. *Inviſibilia Dei* (inquit) *à creatura mundi per ea, quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur, ſempiterna quoque virtus ejus, & divinitas:* quibus Paulus tria proponit nobis, ut in Deo diſtincta, nimirùm eſſentiam, potentiam operativam, & operationem. Et ibid. cap. 11. v. 33. exclamat: *O altitudo divitiarum ſapientiæ, & ſcientiæ Dei, quàm incomprehenſibilia ſunt judicia ejus, & inveſtigabiles viæ ejus!* ubi in Deo diſtinguit Sapientiam, Scientiam, Judicia, & Providentiam.

Chriſtus item Joann. 16. v. 15. *Omnia,* inquit, *quæcumque habet Pater, mea ſunt.* Quæ verba Concilium Florentinum ſic exponit: *Omnia, quæ Patris ſunt, ipſe Pater Unigenito Filio ſuo dedit gignendo, præter eſſe Patrem:* ergo eſſe Patrem aliquomodo diſtinguitur ab eſſentia, & attributis, non ſolà ratione ratiocinante, aliàs Pater dans Filio eſſentiam, & attributa, dediſſet quoque eſſe Patrem.

XXVII. Ulteriùs. Synodus Lateranenſis *ſub Innoc. III. cap. 2. contra Abbatem Joachim* confitetur, quòd divina eſſentia, eſto eadem ſit res cum Patre, Filio, & Spiritu Sancto: tamen *illa res non eſt generans, neque genita, nec procedens; ſed eſt Pater, qui generat, Filius, qui gignitur, & Spiritus Sanctus, qui procedit, ut diſtinctiones ſint in Perſonis, & unitas in natura.* Ubi de eſſentia, eſto eadem res ſit cum Perſonis, negat, quòd ſit generans, & hoc affirmat de Patre; negat, quòd ſit genita, & hoc affirmat de Filio; negat, quòd ſit procedens, & hoc affirmat de Spiritu Sancto; negat tandèm, quòd ſit plures, & hoc affirmat de Perſonis: Fides etiam docet, quòd Filius ſit incarnatus, quod negat de eſſentia; At ſi eſſentia, & perſonæ ex parte rei ſignificatæ eſſent prorsùs idem, nimirùm re, & ratione ratiocinatâ, & ſolis diverſis nominibus ſignificata, ac diverſis conceptibus formalibus repræſentata, ut Nominales ſentiunt, ejuſmodi prædicata, quæ verè contradictoria eſſent, non poſſent verificari, ſed quidquid diceretur de eſſentia, dici deberet de Perſonis; ergo &c. Min. probatur, nam ex hypotheſi, quòd *gladius*, & *enſis* differant ſolo nomine, & non ex re ſignificata, quidquid affirmatur de enſe, verè prædicatur de gladio, nec poteſt aliquid negari de enſe, quod affirmetur de gladio.

XXVIII. Recurrent Nominales ad diverſitatem connotatorum, quorum beneficio putabunt, ſe omnia hæc inconvenientia vitare.

Sed contra primò. Nam hanc diverſitatem connotatorum nec negabat, nec negare poterat Eunomius: & tamen Patres contenti non erant, ſed contendebant, cuique nomini ſuum reſpondere debere ſignificatum, ut ſupra oſtendimus ex Baſilio, & D. Auguſtino *lib. 7. de Trinitate cap. 6.* docente, ſubſtantiam in Deo ſignificare naturam, non autem Perſonam, *ſubſtantia* (inquit) *Patris ipſe Pater eſt, non quo Pater eſt, ſed quo eſt.* Secundò. Vel hæc diverſa connotata efficiunt, ut nomina diverſa, quæ dicuntur de Deo, eſto ſignificent unam rem, eam tamen ſignificent ſub rationibus multis, ac diverſis; vel faciunt,

ut

ut ſignificent unam rem ſub una, ac indiviſibili ratione. Si primum; ergo dant fundamentum intellectui, ut eam concipiat ſub una ratione, & non ſub alia, & proinde fundant diſtinctionem ex parte rei ratiocinatæ. Si verò ſecundum dicant, cùm tota diſtinctio ſe teneat ex parte nominum, & conceptuum formalium, ubi aderit fundamentum, ut de illa ratione omnino ſimplici diverſa, & contradictoria ſalvari poſſint?

XXIX. Conantur Nominales variis dictis Sanctorum Patrum ſeſe tueri, qui videntur dicere, quòd natura divina eſto multipliciter dicatur, una tamen, ac eadem ſit. Sed intentum Patrum eſt, ſolùm excludere realem diſtinctionem inter eſſentiam, attributa, & Perſonas, non autem excludere ab eadem diverſas rationes, ſecundùm quas, eſto realiter una, æquivaleat tamen multis, quæ in creatis diſtincta ſunt.

Quòd ſi aliquando videntur dicere, in Deo nihil eſſe varium, & multiplex, ſed tantùm voces diverſas, ſemitas multas, ut D. Bernardus *lib. 5. de conſider. cap.* 13., & S. Cyrillus *lib.* 11. *Theſauri*. Advertendum eſt, eos loqui tantùm de denominationibus, & relationibus temporaneis, & extrinſecis Creatoris, Redemtoris, Sanctificatoris, quæ quidem novam Deo non afferunt perfectionem, quam ab æterno non haberet; non verò loqui de perfectionibus divinis, quæ Deo neceſſariò conveniunt, quæque in creaturis diviſæ, in Deo unitæ præexiſtunt. Vel eos tali modo loquendi uti, ut à Deo excludant omnem realem diſtinctionem inter attributa, & eſſentiam: quod præſertim D. Bernardi intentum erat, qui ibi intendebat, excludere à Deo quaternitatem contra Gilbertum Porretanum.

XXX. Dices tamen primò. Ubi non eſt unum, & aliud, non poteſt unum concipi ſine alio; ſed in re ſimplici, qualis eſt Deus, non eſt unum, & aliud; ergo in eo non poteſt concipi unum ſine alio.

XXXI. Dices ſecundò. Inter ea reperitur ſola diſtinctio rationis ratiocinantis, quæ diſtinguuntur tantùm penes diverſa connotata extrinſeca; atqui eſſentia, attributa &c. hoc ſolùm modo diſtinguuntur; ergo &c. Major. videtur certa. Ideò enim Petrus, ut Senator, & ut militiæ Dux, diſtinguitur à ſe ipſo ſolâ ratione ratiocinante, quòd ea diſtinctio non ſumatur ex ipſo Petro, ſed ex connotatione, & relatione ad diverſa officia Senatoris, & Militis, quibus fungitur. Minor. etiam probatur etenim eſſentia in Deo, ut comparatur ad effectus à ſe producibiles, dicitur omnipotentia, quatenùs res à ſe cognoſcibiles connotat, dicitur ſapientia, vel ſcientia.

XXXII. Reſpondetur ad prim. diſt. Majorem, ubi non eſt &c., neque unum æquivalens, & præcontinens plura, non poteſt &c. Conc. maj. ubi non eſt &c., eſt tamen unum æquivalens, & præcontines plura, nego maj. Eſto autem eſſentia divina, & attributa non ſint unum, & aliud: ſunt tamen una res æquivalens, & plura præcontinens; ideoque ſub una ratione concipi poteſt, quin concipiatur ſub alia. Imò retorqueo argumentum in Nominales. Ubi non eſt unum, & aliud, non poteſt unum producere, & non producere, produci, & non produci, communicari, & non communicari; ſed eſſentia, & Perſonæ non ſunt unum, & aliud; ergo non poterit perſona producere, & produci, quin producatur, & producat eſſentia, nec iſta communicari, quin communicetur Perſona. Concedent ne hoc Nominales?

XXXIII. Ad ſecundam nego min., ad ejus prob. nego antecedens. Eſto enim denominatio temporanea Creatoris, cognoſcentis creaturas, non habeatur in Deo, niſi ex connotatione extrinſeca creaturarum: omnipotentia tamen, ſcientia, aliaque attributa rationes ſuas habent Deo intrinſecas, & prorsùs abſolutas à quocumque extrinſeco, quarum quælibet ſuam habet

ide-

Digitized by Google

ſdeam. Quod maximè patet in notionibus Perſonalibus: iſtæ enim, quam connotationem habere poſſunt ad res extra Deum? certè nullam. Niſi excitare velit hæreſim Sabellianam, & dicere, Filium eſſe veluti radium, quo Pater veluti Sol ſuam lucem effudit, & Spiritum Sanctum veluti calorem, quo hominum corda calefecit; & ſic Perſonarum deſtruere Trinitatem.

§. VI.

Opinio Scoti.

XXXIV. Diſtinctio paſſim à Theologis dividitur in diſtinctionem realem, & diſtinctionem rationis. Prior eſt, quâ unum realiter non eſt aliud, ſeu quæ nullo cogitante intellectu reperitur, ſive inter rem, & rem, ſive inter rem, & ejus modum, aut inter varios ejuſdem rei modos. Poſterior eſt, quâ ea, quæ realiter ſunt idem, per rationem diſtinguuntur, ſeu quâ intellectus apprehendit unam objecti perfectionem ſine altera, quæ tamen in re eſt idem cum ea.

Præter has duas diſtinctionum ſpecies, tertiam quaſi mediam excogitavit Scotus, quam vocat *formalem ex natura rei: formalem* quidem, quia non eſt inter duas res, ſed aut inter rem, & ejus formalitatem, vel perfectionem, aut inter ejuſdem rei formalitates, ſeu perfectiones: *ex natura rei*, quia eſt actualis inter rem, & ejus formalitatem, ſive inter formalitates ejuſdem rei, independenter ab omni cognitione intellectus. Hâc diſtinctione contendit Scotus, diſtingui eſſentiam Divinam, tùm ab attributis & perſonis, tùm attributa invicem.

Ex hac diſtinctione ſic explicata concludit primò: eſſentiam, licèt ſit idem realiter cum Perſona, aut cum bonitate, non eſſe tamen idem formaliter, etiam ante mentis conſiderationem.

Concludit ſecundò: facilè ſic explicari, quomodo Pater æternus communicet Filio ſuo naturam, non autem ſuam Perſonam, cùm Perſona ſit aliquid ante mentis operationem à natura Patris diſtinctum.

Tertiò concludit: facilè ſic explicari, quomodo tùm eſſentia, tùm attributa varias habeant definitiones; nam ſic eſſentia, & attributa varias habent quidditates, quare variis, & contrariis definitionibus poſſunt explicari.

XXXV. Dico tamen. Eſſentia divina, ſive à Perſonis, ſive ab attributis, ſive attributa invicem non diſtinguuntur diſtinctione actuali formali, ut putat Scotus. Auctores, qui contendunt, hanc Scoti opinionem nihil, aut parum diſtare ab errore Gilberti Porretani, hoc noſtrum aſſertum probant iiſdem rationibus, quas ſuperiùs §. 2. contra Gilbertum attulimus. Quidquid tamen ſit, an cum Gilberto Scotus conveniat;

Probo primò ſic. Poſitâ diſtinctione actuali formali Scoticâ inter eſſentiam divinam, & perſonas, & attributa tùm comparatè ad eſſentiam, tùm invicem, non ſtaret ſumma Dei ſimplicitas. Quomodo enim concipi poteſt ſummè ſimplex ille, in quo tot eſſent formæ tùm à natura, tùm invicem diſtinctæ, & quidem actualiter, & ex natura rei? ſumma ſimplicitas omnimodam dicit unitatem tùm rerum, tùm formalitatum.

Rursùs. Quomodo eſſet ſummè ſimplex ille, in quo tot formalitates actu ex natura rei diſtinctæ cum eſſentia divina compoſitionem actu facerent, eſſent enim perfectiones, & formæ actu illam afficientes formaliter, & denominantes? Illa diſtinguuntur formaliter (ait Fraſſen. *tract. 1. diſtinct. 2. art. 2. qu. 2. de diſtinct. attribut.*) quæ licèt realiter identificentur, unum tamen non eſt definitio alterius, nec prædicatum ipſi intimè conveniens, actu tamen eum afficiens, & denominans formaliter. Cur ergo hæ formalita-

litates ſic diſtinctæ, & ſic afficientes naturam divinam actu non componerent, ſicut forma cum ſubjecto, quod afficit, & à quo actu diſtinguitur?

XXXVI. Dices, formalitates illas non componere, quia & in eadem entitate identificantur, & infinitæ ſunt.

Sed contra. Eſto ex quo in eâdem entitate idem ſint non componant entitativè, component tamen compoſitione formali, uniuntur enim in eadem re, non per identitatem formalem, ſed cum formali actuali diſtinctione, non tanquam quid intimum, & eſſentiale rei, ſed tanquam forma formaliter illam afficiens, & denominans. Quid ergo deeſt, quin uniantur rei per formalem compoſitionem: cùm compoſitio ſit diſtinctorum unio? Si enim animalitas, & rationalitas, eſto in homine realiter idem ſint, quia tamen actu formaliter diſtinguuntur, verè componunt. Si natura Angeli, eſto realiter eadem ſit cum ſuo intellectu, quia tamen apud Scotiſtas actu formaliter ab eo diſtinguitur, cum eo formaliter componit, ſicut ſubjectum cum forma, & potentia cum actu; cur non idem dici debebit de natura divina actu formaliter diſtincta à ſuo intellectu?

Dicere autem, naturam divinam actu non componere, quia eſt infinita, eſt petere principium. Hoc enim eſt, quod nego; nempe, quòd ſtante tali diſtinctione natura divina ſit infinita; nam ſi ſtante tali diſtinctione naturæ Angeli à ſuo intellectu, hæc non remanet infinita, cur manebit infinita natura divina, quæ eâdem diſtinctione diſtinguitur à ſuo? vel ſi illa cum ſuo intellectu formaliter componit, ſicut ſubjectum cum forma, cur non eodem modo componet divina natura cum ſuo, ſi eâdem diſtinctione ab eo diſtinguitur?

XXXVII. Si dicas, naturam divinam eſſentialiter realiter includere intellectum, & unam formalitatem divinam eſſentialiter includere alteram. Contra eſt primò. Nam hoc eſt contra naturam diſtinctionis actualis formalis; nam hæc, ut ajunt, datur inter illa, quorum unum non eſt de eſſentia, & definitione alterius. Deinde ſi natura divina eſſentialiter includit intellectum, cur natura Angeli ſimiliter non includet ſuum? Tertiò, ſi una formalitas eſſentialiter includeret aliam, hæc prædicatio eſſet eſſentialis *bonitas eſt Sapientia;* ſed hanc prædicationem non admittunt ut veram Scotiſtæ, neque Scotus, qui *in 1. diſt. 8. qu. 4. §. ad quaſt.* ait *ſapientia autem formaliter in re non eſt bonitas in re;* Ergo &c.

XXXVIII. Ex dictis ſic arguo primò. Sapientia, quæ in re formaliter non eſt bonitas in re, non eſt ſapientia, & bonitas divina, nimirùm infinita, nedùm in genere determinato bonitatis, & ſapientiæ, ſed in toto genere entis; ſed quælibet divina perfectio, ut ſit divina, debet eſſe infinita, non in determinato gènere, ſed in toto genere entis; ergo &c. Major probatur ſapientia, quæ formaliter in re non eſt bonitas in re, dato quòd formaliter includat omnem perfectionem de linea ſapientiæ, non tamen formaliter in re includit perfectiones bonitatis, quia iſtæ ſunt extra ejus quidditatem; ergo erit ad ſummum infinita infinitate limitatâ ad genus ſapientiæ, non verò infinitate infinitâ in omni genere, ſicut ſi ponamus lineam infinitam ſecundùm longitudinem, ponemus illam infinitam quidem in ſpecie lineæ, ſed in genere quantitatis finita erit, quia actu in re non includet perfectiones ſuperficiei, & corporis. Min. etiam probatur, quia omnis divina formalitas, utpotè formaliter divina, debet actu formaliter eſſe infinita in toto genere entis, & conſequenter actu formaliter includere omnem perfectionem de linea entis: Quòd ſi aliquam non includit, jam limites habet, & finita eſt.

XXXIX. Urgeo hoc. Id non eſt ſimpliciter, & in genere entis, infinitum, quo melius, & perfectius cogitari

tari

Digitized by Google

tari poteſt: ſed ſi Deus actu formaliter non contineret omnes cujuſcumque lineæ entis perfectiones, non eſſet quo perfectius cogitari non poſſet, cùm poſſet cogitari Deus has omnes actu formaliter, & eſſentialiter includens, qui certè perfectior eſſet, quàm Deus à Scoto poſitus; ergo non eſſet infinitus &c. Minor probatur, nam certè perfectior eſſet ille Deus, qui omnes ſuas perfectiones eſſentialiter formaliter actu haberet à ſe, quàm Deus, qui, ut vult Scotus, illas habeat non à ſe formaliter, ſed à formis actu ex natura rei ab eo diſtinctis. Hoc ratiocinio urgebat Gilbertum S. Bernardus *lib. 5. de conſiderat. cap. 7.* ipſum ſic alloquens *Quid eſt Deus? quo nihil melius cogitari poteſt. Si approbas; non oportet aſſentiaris, eſſe aliquid, quo Deus ſit, & quod Deus non ſit: hoc enim ſine dubio melius*. Porrò Scotus admittit in Deo aliquid, quo Deus ſit, & quod Deus formaliter actu non ſit; ergo non admittit, quo melius excogitari non poſſit.

XL. Arguo ſecundò. Poſitâ diſtinctione Scoti inter eſſentiam, & attributa, & inter attributa invicem, hæc non poſſent mutuò prædicari in abſtracto, dicendo *Deitas eſt ſapientia*, & è contra, vel *ſapientia eſt bonitas*, aut è contra, vel *Pater eſt veritas, vita &c.*: quia cùm nomina abſtracta ſupponant pro forma, dicendo *bonitas eſt ſapientia, ſapientia eſt bonitas, Pater eſt veritas*, fieret ſenſus, quòd formalitas Deitatis ſit actu formalitas ſapientiæ, formalitas ſapientiæ formalitas bonitatis, formalitas Paternitatis eſſet formalitas Deitatis: quod Scotus negat. Sed hoc eſt inconveniens, quod ſuperiùs urgebam contra Gilbertum §. 2., præſertim ex D. Auguſtino, cùm hujuſmodi prædicationes legantur in Scriptura Jo: 14. v. 6. *Ego ſum Via, Veritas, & Vita*, & 1. Cor. 1. 24. Chriſtus dicitur *Dei Virtus, & Sapientia*. Quare cùm Gilbertus diceret *Pater eſt veritas, ideſt verus*, tres perſonæ *una Veritas, ideſt unus verus*: S. Bernardus *ſer. 80. in Cantica* exclamat *ò obſcuram, perverſamque explanationem!* Quàm veriùs, ſaniùſque per contrarium ità dixiſſet, *Pater eſt verus, ideſt veritas .... & hi tres unus verus, ideſt una veritas*. Videantur quæ dixi *qu. præcedenti dub. 2. §. 2.* Atqui Scotus, etſi admittat, Patrem eſſe veritatem, ideſt verum, tres perſonas eſſe veritatem, ideſt verum, ſeu unam rem habentem veritatem, non tamen admittere poteſt, quòd Pater ſit verus, ideſt *veritas*, quòd tres perſonæ ſint unus verus, ideſt *una Veritas*, quia per ipſum formalitas Paternitatis, & Perſonarum non eſt formalitas veritatis; ergo &c.

§. VII.

Rationes Scoti.

XLI. Prima, & fundamentalis ratio Scoti eſt talis. Divina eſſentia in Patre ſecluſo omni prorſùs actu intellectus eſt entitas ex natura rei communicabilis, & de facto communicata Filio; & Paternitas eſt etiam entitas ex natura rei incommunicabilis, nec actu communicata Filio: ſimiliter per Paternitatem actu, & formaliter ante omne opus intellectus prima Perſona Trinitatis conſtituitur in eſſe Patris, & diſtinguitur realiter à Filio: per eſſentiam verò divinam, nec conſtituitur actu, & formaliter in eſſe Patris, nec diſtinguitur realiter à Filio: ergo aliqua diſtinctio dari debet inter eſſentiam, & Paternitatem, quæ ſit actualis ante omnem actum intellectus. Conſequentia probatur. Si enim nulla eſſet diſtinctio actualis, aut formalis, aut realis inter illas, ſeclusâ omni intellectus operatione, quidquid actu convenit uni, neceſſe erit, ut conveniat alteri.

XLII. Confirmatur primò. Pater divinus ſeclusâ omni intellectus operâ realiter à parte rei diſtinguitur à Filio; ergo debet habere actu aliquid,

Digitized by Google

quo ab ipſo diſtinguatur actu: ſed non haberet aliquid actu, quo taliter ab ipſo diſtingueretur, niſi haberet aliquid à parte rei actu aliquomodo diſtinctum à Filio; illud autem non haberet, ſi Paternitas actu non diſtingueretur ab eſſentia: nam per eſſentiam divinam Pater non diſtinguitur, ſed convenit cum Filio; ergo ut Pater ſit actu diſtinctus à Filio, paternitas debet eſſe actu diſtincta ab eſſentia.

XLIII. Confirmatur ſecundò. Impoſſibile eſt, prædicata contradictoria actu competere eidem ſecundùm idem: ſed ſi nulla eſſet actualis à parte rei diſtinctio inter Paternitatem, & eſſentiam, eidem rei competerent prædicata contradictoria, puta communicari actu, & actu non communicari, conſtituere, & non conſtituere, diſtingui realiter, & non diſtingui realiter &c.; ergo &c. Ità Fraſſen. *loco ſuperiùs citato Concluſ.* 1.

XLIV. Reſpondeo primò, hoc argumentum nimis probare: probat enim, Paternitatem diſtingui ab eſſentia divina actu, non formaliter ſolùm, ſed entitativè, ut fortè volvit Gilbertus. Si enim eſſentia divina eſt entitas ex natura rei communicabilis, & actu communicata Filio: & Paternitas eſt entitas ex natura rei incommunicabilis, & actu non communicata Filio; ergo ſunt entitas, & entitas; ergo duæ entitates. Rurſus ſi Paternitas eſt actu id, quo Pater diſtinguitur à Filio, eſſentia verò eſt id, quo actu convenit, & ex diſtinctione reali à Filio arguitur diſtinctio ab eſſentia, cùm Pater diſtinguatur à Filio realiter entitativè, hoc etiam modo diſtingui deberet Paternitas ab eſſentia; aliàs ſi Paternitas ſolum diſtinctione formali diſtinguatur ab eſſentia, eâdem ſolâ formali diſtinctione diſtinguetur à filiatione, & ſic tres divinæ Perſonæ ſolum diſtinctione actuali formali, non reali diſtinguerentur, & eſſent tres formalitates ejuſdem Perſonæ, non tres Perſonæ: quæ eſt hæreſis Sabelliana.

Fateantur ergo oportet Scotiſtæ, diſtinctionem Perſonarum ab eſſentia non debere eſſe ejuſdem ordinis, ac eſt diſtinctio, & incommunicabilitas earum invicem; hæc enim realis omnino eſt, illa ſolum formalis. Si igitur cum ſola formali diſtinctione ab eſſentia ſubſiſtit diſtinctio, & incommunicabilitas realis perſonarum invicem, quare eadem non ſubſiſtet cum ſola diſtinctione virtuali, ut dicemus? Hoc neque Scotus negare auſus eſt, dùm in 1. diſt. 2. qu. 7. §. *breviter igitur dico*, ſincerè loquens ait, *Omittendo illa verba de diſtinctione rationis, & de diſtinctione virtuali, non quia ſint malè dicta, ſed quia non oportet eis uti, dico, quòd in eſſentia divina eſt entitas A., & entitas B., & hæc non eſt formaliter illa.* Ego tamen, quia ſuſtineo, nec eſſe malè dicta; ſed ulterius oportere diſtinctione virtuali uti, & formalem reſpuere propter ſuperius allata,

XLV. Reſpondeo ſecundò, ad formam argumenti, diſt. antecedens, ſecluſo omni actu intellectus eſſentia divina eſt entitas &c., & Paternitas eſt etiam entitas &c., ità ut Eſſentia, & Paternitas actu ſint entitas, & entitas, ſeu duæ entitates, nego antecedens, ità ut ſit eadem actu realiter, & formaliter, virtualiter tamen diſtincta, & diverſimodè modificata, concedo antecedens, & nego conſequentiam. Dùm ergo dico: eſſentia eſt communicabilis, & de facto communicatur Filio: hoc dico de natura divina in ſe, & abſolutè ſumta. Dum verò dico: Paternitas eſt incommunicabilis, & de facto non communicatur Filio: hoc dico, non de aliquo alio realiter, vel formaliter à natura divina actu diſtincto, ſed dico de eadem realiter natura, ut actu modificata, & exprimente relativum. Cum enim ratione ſuæ eminentiæ eſto actu formaliter una, æquivaleat tamen nedum abſoluto, ſed etiam relativo; ideo aliquid ei convenire poteſt, ut æquivalet uni, quod ei non convenit, imò de ea negatur, ut æquivalet alteri, & è contra. Et ſanè,

Digitized by Google

ſanè, ſi ſecundùm Scotum eſto Perſonalitas, nimirùm Paternitas ſit eadem entitas, ac realitas cum eſſentia, quia tamen infinita, & æquivalens abſoluto, & relativo, eſſentia actu realiter communicatur, & Paternitas actu realiter non communicatur: cur etiamſi dicatur, quòd Perſonalitas, & natura, ſeu eſſentia ſint eadem realiter formalitas, quia tamen infinita, & æquivalens abſoluto, & relativo, dici non poterit, quòd ut æquivalens abſoluto, & communi, actu realiter communicari poſſit, ut verò æquivalens proprio, & relativo, indiſtincto quidem, ſed diſtinguenti, poſſit actu realiter non communicari?

XLVI. Ad primam confirmationem primò diſting. antecedens. Pater &c. realiter diſtinguitur à Filio adæquatè, & ſecundùm totum, quod realiter eſt, nego antecedens, aliàs cùm realiter ſit natura divina, realiter diſtingueretur à Filio etiam ſecundùm naturam divinam: quæ eſt hæreſis Ariana; inadæquatè ſumtus, & ut dicit relativum Paternitatis, & proprium Perſonæ, concedo antecedens.

Reſpondeo ſecundò, dato antecedenti, & conſequenti, negando minorem ſubſumtam: Pater enim actu realiter habet Paternitatem, quâ realiter diſtinguitur à Filio. Sicut autem ut Pater actu habeat, quò realiter diſtinguatur à Filio, non eſt neceſſe, ut habeat Paternitatem actu realiter ab eſſentia diſtinctam, ſed ſufficit, ut ſit diſtincta actu ſolùm formaliter, ut Scotus vult; ità ſat erit, ut ſit diſtincta ſolùm virtualiter, & quòd ex modo ſignificandi dicat, non quod eſt commune, ſed quod eſt proprium Patris, & incommunicabile Filio.

XLVII. Ad ſecundam confirmat. Explico majorem, ſecundùm idem tàm formaliter, quàm æquivalenter, conced. maj., quod ſit idem formaliter, æquivalenter tamen multiplex, nego maj., & ſimiliter diſtinctâ min. nego conſeq. Eo enim ipſo, quòd aliquid, eſto actu reali, & formali idem, virtualiter tamen, & æquivalenter multiplex eſt, ac diverſos induit reſpectus, capax eſt, ut de illo, quatenùs ſignificatur nomine importante unam æquivalentiam, ſeu unum reſpectum, aliquid affirmetur, quod de eodem, ut ſignificatur nomine importante alteram æquivalentiam, ſeu reſpectum negetur, quin ſit ulla contradictio; quod nec adverſarii negare debent: nam, ſi, ut ipſi poſſibile putant, Petrus exiſtens Bononiæ reproduceretur, aut replicaretur Romæ, quia eſto actu realiter unus, eſſet tamen æquivalenter duplex, de eo exiſtente Bononiæ, poſſet aliquid affirmari, puta dormire, comedere, concionari, quod de eo exiſtente Romæ negari poſſet. Idem dico de puncto, de quo eſto actu prorsùs indiviſibili, ſecundùm tamen diverſum reſpectum ad partem lineæ, quam terminat, & partem, quam inchoat, dici poteſt, eſſe, & non eſſe terminativum, & inchoativum; Et de eadem voluntate creata actu formaliter indiviſa actu verificatur, quòd ſit principium amoris, & odii. Cùm ergo eſſentia divina, & Perſona, eſto una res actu, imò una realis formalitas ſit, quia tamen ut ſignificatur nomine eſſentiæ, æquivalet abſoluto, & communicabili, ut verò ſignificatur nomine Perſonalitatis, æquivalet relativo, & incommunicabili, capax eſt, ut de ea per unum nomen ſignificata aliquid affirmetur, quod idem de eadem ſignificata per aliud nomen negetur.

XLVIII. Eâdem ratione licèt Perſona, & eſſentia idem omnino actu ſint in re, de Perſona tamen affirmari poteſt, quòd ſit generans, vel genita, quod de eſſentia hoc nomine ſignificata negatur. Quia, ut inquit D. Thomas in 1. diſt. 34. qu. 1. art. 1. ad 1., *generare, & ſimiles actus attribuuntur Perſonæ Divinæ, ſecundùm duplicem modum ſignificandi* (nimirùm ſubſiſtentis, & incommunicabilis) *quo ab eſſentia diſtinguitur. Tum quia* (tales actus) *ſignificant relationes diſtinguentes Perſonas. Tum quia ſignificant per modum*

dum actus: actus autem omnis eſt rei ſubſiſtentis, & perfecta: & ideo non poſſunt eſſentia attribui ex hoc, quòd attribuuntur hypoſtaſi; quia hypoſtaſi attribuuntur ſecundùm id, in quo non eſt idem eum eſſentia: & ideo incidit fallacia accidentis in proceſſu. Hæc Divus Thomas, quæ benè notanda ſunt; nam omnia ferè ſimilia Scotiſtarum argumenta hâc fallaciâ procedunt, quia quæ conveniunt alicui ſecundùm rationes diverſas, putant ei ſecundùm rationem eandem convenire: in quo fallacia accidentis conſiſtit.

Quæ dixi de eſſentia relatè ad Perſonas, dico de eſſentia relatè ad attributa, & de attributis invicem. De his enim, eſto actu idem ſint, quia tamen æquivalent, & repræſentantur à pluribus perfectionibus, quæ in creaturis diviſæ, in ipſis unitæ præexiſtunt, poſſunt ſine ulla contradictione affirmationes, & negationes formari: & de intellectu ſumto, non tantùm pro ut eſt entitas, ſed pro ut æquivalet intellectui creato, dici, quòd generat, & de eodem ſumto, non pro ut eſt entitas, ſed ut æquivalet voluntati, quæ non generat, dici, quòd non generat. Et ſic de aliis.

XLIX. Adverto tamen, non omnes affirmationes, & negationes verificari poſſe de eo, quod, eſto re ſit unum, & idem, eſt tamen virtualiter, & ratione diverſum: Sed illas ſolùm, quæ cadunt ſupra id, in quo virtualiter, & ratione diverſificatur. Ità D. Thomas laudatus *ad ſecundum*, qui docet, etiam in ipſis Synonymis quoad ea, quæ ad nominum diverſitatem pertinent, dari poſſe affirmationes, & negationes, eſto non quoad rem ſignificatam, in quo ſunt idem: *unde affirmationes, & negationes, quæ pertinent ad rem, non poſſunt verificari: ut dicatur, tunica eſt alba, indumentum non eſt album* (ſi tunica, & indumentum accipiantur ut ſignificantia eandem rem, ſeu ut Synonyma) *ſed affirmationes, & negationes, quæ pertinent ad ipſa nomina, poſſunt verificari, ut dicatur indumentum eſt neutri generis, veſtis non eſt neutri generis. Ità etiam cùm Perſona, & eſſentia ſint idem ſecundùm rem, nihil, quod ad naturam rei pertinet, quod prædicatur de eſſentia, poteſt negari de Perſona, ut dicatur, quòd eſſentia eſt increata, & Perſona non eſt increata, & eſſentia eſt Deus, & Perſona non eſt Deus, vel aliquid hujuſmodi. Sed quia ratione diſtinguitur, quidquid pertinet ad rationem illam, in qua diſtinguuntur, quod prædicatur de uno, poteſt negari de altero, ut dicatur, quòd eſſentia eſt communis, perſona non eſt communis, perſona generat, eſſentia non generat, & ſic de aliis: unde in omnibus talibus, non idem attribuitur eſſentiæ, & Perſonæ.* Hæc Divus Thomas: quæ oportuit fuſiori calamo exarare, ut doctrinâ, quæ ſæpe uſu venit, lector plenè imbutus eſſe poſſit.

L. Inſtat tamen Fraſſen primò. Illa diſtinctio virtualis, vel efficit, ut ſit actu aliquid in Patre, quod non ſit identificatum Filio, vel non efficit. Si efficit; ergo eſt actu in Patre, quod actu diſtinguitur ab eſſentia, quæ eſt identificata Filio. Si non efficit; ergo falſum eſt, quòd Pater ſit realiter, & actu diſtinctus à Filio.

LI. Inſtat ſecundò. Quando principium diſtinctivum eſt virtualiter tantùm diſtinctivum ab eo, in quo aliqua conveniunt, etiam quæ diſtinguuntur, virtualiter tantùm diſtinguuntur, non actu: ergo ſi Paternitas, & Filiatio ſint tantùm virtualiter diſtinctæ ab eſſentia divina, in qua Pater, & Filius conveniunt, etiam ipſæ Perſonæ divinæ non diſtinguentur invicem actu, ſed tantùm virtualiter.

LII. Inſtat tertiò. Impoſſibile eſt, ut aliqua diſtinctio, quæcumque ſit, faciat, ut idem ſecundùm idem ſit formaliter tale, & non ſit tale formaliter; ergo impoſſibile eſt, ut illa diſtinctio virtualis efficiat, quòd eidem entitati competat eſſe identificatum, & non eſſe identificatum, diſtinctivum, & non diſtinctivum; ergo cùm hæc prædicata conveniant eſſentiæ, & Pater-

ter-

Digitized by Google

ternitati, oportet ut eſſentia, & Paternitas ſint diverſæ formalitates, quarum ratione illa prædicata in Deo verificentur.

LIII. Inſtant quartò alii. Cùm diſtinctio ſit cauſa verificationis contradictoriorum, talis debet eſſe diſtinctio, qualis eſt contradictoriorum verificatio; ſed actu, & formaliter in re verum eſt, quòd eſſentia communicatur Filio, & Paternitas non communicatur Filio; ergo non ſufficit diſtinctio virtualis, ſed actualis requiritur.

LIV. Reſpondeo ad primam inſtantiam: mirari me, quòd ſimiles inſtantiæ fiant contra nos, cùm retorqueri poſſint in Scotiſtas. Nam ſi ex quo diſtinctio virtualis non faciat, ut in Patre actu ſit aliquid non identificatum Filio, falſum eſt, quòd Pater actu diſtinguatur à Filio; pariter ego dicam, quòd ex quo diſtinctio formalis Scotica non faciat, ut in Patre ſit aliquid realiter non identificatum Filio, falſum erit, quòd Pater actu realiter diſtinguatur à Filio, ſed ad ſummum actu formaliter. Sicut ergo ad hoc, ut Pater realiter diſtinguatur à Filio non requiritur, ut Paternitas diſtinguatur realiter ab eſſentia, quæ realiter eſt identificata Filio, ſed ſolùm formaliter, ità ad hoc, ut Pater realiter diſtinguatur à Filio, non requiritur, ut in Patre ſit aliquid actu formali non identificatum cum eo, quod eſt identificatum cum Filio, ſed ſufficit, ut in Patre ſit aliquid actu virtuali non identificatum cum eo, quod eſt identificatum Filio. Et ratio eſt, quia diſtinctio inter divinas Perſonas unicè penſatur ex oppoſitione relativa, quæ eſt inter illas, non ex qualitate diſtinctionis, quâ Perſonæ, ſeu earum proprietates diſtinguuntur à prædicatis communibus, & abſolutis. Quare cùm in Patre ſit Paternitas, quæ realiter relativè opponitur Filiationi, quidquid ſit de modo, quo Pater diſtinguatur ab eſſentia identificata Filio, ſive ſit formalis, ſive virtualis, ſemper ſtat, quòd Pater realiter diſtinguatur à Filio.

LV. Secundam inſtantiam pariter retorqueo ſub eadem forma. Quando principium eſt formaliter tantùm diſtinctivum ab eo, in quo aliqui conveniunt, etiam ipſamet tantùm formaliter diſtinguuntur, non verò realiter: ergo ſi Paternitas, & Filiatio ſint ſolùm formaliter diſtinctæ ab eſſentia divina, in qua Pater, & Filius conveniunt, etiam ipſæ Perſonæ divinæ non diſtinguentur invicem realiter, ſed ſolùm formaliter ex natura rei. Reſpondeo ergo diſtinguendo antecedens, quando diſtinctio ab eo, in quo aliqua conveniunt, eſt ratio, & menſura diſtinctionis eorum inter ſe, concedo, vel omitto antecedens, quando diſtinctio &c. nihil influit ad diſtinctionem, vel ſaltem non eſt menſura diſtinctionis eorum inter ſe, nego antecedens, & conſequentiam. Nam, ut dixi, diſtinctio Perſonarum in divinis non penſatur ex diſtinctione earum ab eſſentia, in qua conveniunt; ſed ex oppoſitione relativa, quam invicem habent. Aliàs ſicut Perſonæ diſtinguuntur realiter inter ſe, & non ſolùm formaliter: ità realiter, & non ſolùm formaliter diſtingui deberent ab eſſentia divina.

LVI. Ad Tertiam inſtantiam conceſſo anteced., nego conſequentiam. Arguitur enim à ſenſu formali ad ſenſum identicum, & materialem; Certè enim impoſſibile eſt, quòd idem ſecundùm idem, ideſt ſecundùm eandem rationem, & reſpectum ſit formaliter, & non formaliter: non autem impoſſibile eſt, quòd idem realiter ſecundùm diverſas rationes, & reſpectus, & æquivalentias ſit, & non ſit. Sic autem ſe habent eſſentia, & Paternitas, quæ licèt ſint eadem res, hæc tamen res, cùm ſit virtute multiplex, & contineat rationem abſoluti, & communicabilis, & inſuper relativi, & incommunicabilis, capax eſt, ut ſecundùm rationem abſoluti ſit identificata, & non ſit diſtinctiva, ſecundùm verò rationem ralativi ſit non identificata, & diſtinctiva.

LVII.

Digitized by Google

LVII. Ad quartam inſtantiam nego abſolutè majorem: diſtinctio enim non eſt cauſa formalis verificationis contradictoriorum, ſed vel pura conditio ſine qua non, vel ad ſummum cauſa quaſi efficiens, ut illa, quæ contradictoria eſſent, & verificari non poſſent, contradictoria ampliùs non ſint, & poſſint verificari. Non oportet autem, ut ſi effectus ſit in actu formali, etiam cauſa efficiens in actu formali ſit, maximè ſi ſit cauſa non univoca, ſed æquivoca, ut in Sole videmus, qui ſolùm virtualiter calidus cauſat calorem in actu: & ſic diſtinctio eſto in actu ſolùm virtuali ſit, poterit cauſare verificationem contradictoriorum in actu formali talem. Sed de his ad metaphyſicos.

LVIII. Pergit ulteriùs Fraſſen. Dùm Pater Divinus intelligit ſe, aut intelligit eſſentiam divinam, & Paternitatem tanquam diverſa objecta formalia actu diſtincta, aut ut idem objectum ſub alio, & alio modo à nobis apprehenſibili. Si primum; ergo inter Paternitatem, & Eſſentiam datur actualis formalis diſtinctio. Si ſecundum; ergo non eſt major differentia inter Paternitatem, & Deitatem, quàm inter Deum, & Deitatem, & conſequenter non concipit, Paternitatem eſſe magis incommunicabilem, quàm eſſentiam, ſi nullum inter eas percipit diſcrimen.

LIX. Reſpondeo, Patrem divinum, dùm intelligit ſe, intelligere ſuam Eſſentiam, & Paternitatem, tanquam unum objectum actu formali, actu tamen virtuali duplex, utpote æquivalens rebus diverſi generis, nimirùm abſoluto, & relativo; & proinde ſtante tali æquivalentia deprehendit, eandem realiter entitatem virtute multiplicem, eſſe abſolutam, & communicabilem, ſimulque relativam, & incommunicabilem. Ad id, quod addit, peto ab ipſo, num eandem, vel majorem diſtinctionem agnoſcat inter Paternitatem, & Deitatem, ac inter Deum, & Deitatem. Si eandem, nempe formalem ex natura rei: unde concipiet Deus, Paternitatem eſſe incommunicabilem, & non Deitatem? Si majorem, nimirùm ponendo inter Paternitatem, & Deitatem diſtinctionem ſuam actualem, non autem inter Deum, & Deitatem, quomodo ſalvabit hæc contradictoria. *Deus generat, Deitas, ſeu eſſentia non generat*, ut ſtatuit Concilium Lateranenſe quartum, contra Abbatem Joachim *Deus eſt incarnatus, Deitas non eſt incarnata?* Ego interim dico, Eſſentiam eſſe communicabilem, Paternitatem verò incommunicabilem, non penſari ex diſtinctione inter utramque (nam etiam attributa in ſententia Fraſſen formaliter actu ab eſſentia diſtinguuntur, & tamen incommunicabilia non ſunt), ſed ex ratione abſoluti, & relativi. Cùm ergo Deus perfectiſſimè intelligens eſſentiam ſuam videat in ea realem æquivalentiam abſoluto, & relativo, videt in ea communicabilitatem propriam Eſſentiæ, quæ eſt de genere abſoluto, & incommunicabilitatem propriam Paternitatis, quæ eſt de genere relativo. Neque eandem diſtinctionem ponimus inter Deum, & deitatem, quam inter Deitatem, & Paternitatem; nam inter Deum, & Deitatem ponimus ſolam diſtinctionem ex modo ſignificandi: at inter Deitatem, & Paternitatem ponimus diſtinctionem, etiam ex parte rei ſignificatæ, quia per hæc nomina ſignificatur eadem res, ut æquivalens, & ſibi identificans res diverſi generis.

Ut verò Deus hanc æquivalentiam in ſe ipſo, ſeu in ſua eſſentia cognoſcat, non oportet, ut ad intellectum creatum reſpiciat, aut illi ſe attemperet; nam etſi nullus eſſet intellectus creatus, qui poſſet ea in Deo actu diſtinguere, adhuc illa virtus, & æquivalentia in Dei Eſſentia adeſſet, eamque Deus cognoſcendo ſeipſum deprehenderet.

LX. Adducit ulteriùs Fraſſen Sanctum Auguſtinum *lib. 7. de Trinitate cap. 1.*, ubi ait, *Homo ergo cùm Dominus dicitur, ipſe homo eſſentia eſt, Dominus verò relativè dicitur: homo*

enim

enim ad ſe dicitur, Dominus ad ſervum. Hoc autem unde agimus. Si eſſentia ipſa relativè dicitur, eſſentia ipſa non eſt eſſentia. Hùc accedit, quia omnis eſſentia, quæ relativè dicitur, eſt etiam aliquid excepto relativo. Et concludit: *Quapropter ſi & Pater non eſt aliquid ad ſe ipſum, non eſt omnino qui relativè dicatur ad aliquid.* Ergo juxta S. Auguſtinum eſſentia non eſt relatio, & in Patre aliquid reverà eſt excepto relativo.

Reſpondeo, D. Auguſtinum dicere quidem, Eſſentiam Divinam relativè non dici, & Eſſentiam, quæ relativè dicitur, eſſe aliquid excepto relativo. Sed quòd hoc aliquid, quod excepto relativo eſſentia dicit, ſit actu formaliter à parte rei diſtinctum à relativo, ut prætendit Fraſſen, non dicit Auguſtinus, qui ibi ſolùm oſtendere vult, Patrem non eſſe ſolùm ad aliud, & nihil ad ſeipſum, Filium verò & eſſe ad aliud, & eſſe ad ſeipſum; & ideò docet, omne, quod eſt ad aliud, debere etiam eſſe ad ſeipſum. Imò cùm concludat de Patre, & Filio *utrumque ſubſtantia, & utrumque una ſubſtantia*, & inſuper cum *cap. 2.* dicat, his nominibus *Natura, Verbum, Imago, & Filius*, non oſtendi eſſentiam, *quia relativè dicuntur*, potiùs indicat, ſe inter eſſentiam, & relationes admittere diſtinctionem ortam ex eadem re diverſimodè ſignificata, & *oſtenſa*, quàm ex duplici formalitate actu à parte rei diſtincta, quare *eodem libro 7. cap. 6.* ait. *Neque enim aliud eſt Deo eſſe, aliud Perſonam eſſe, ſed omnino idem.*

LXI. Secundò arguit Fraſſen, & cum eo alii Scotiſtæ pro diſtinctione formali attributorum ab eſſentia. Primò ſic ex D. Auguſtino, qui *lib. 2. contra Maximinum cap.* 10. eum arguens, quòd concederet, Deum eſſe bonum, juſtum, potentem, ſapientem, & negaret Trinitatem Perſonarum, ne divinæ officeret ſimplicitati. *Si ergo* (inquit) *in una Perſona Patris, & illa invenis, quæ plura videntur, & partes non invenis; quantò magis Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus, & propter Deitatem individuam unus Deus eſt, & propter uniuſcujuſque proprieta em tres Perſonæ ſunt: & propter ſingulorum perfectionem partes unius Dei non ſunt?* Nulla autem eſſet illatio S. Auguſtini, ſi ex virtuali ſola diſtinctione attributorum ab eſſentia, quæ ejus ſimplicitati non officeret, concluderet, nec eidem ſimplicitati officere diſtinctionem realem perſonarum.

Deinde arguit ratione. Deus ex natura rei eſt Deus Deitate, non autem ſapientiâ, bonitate, aut juſtitiâ, nec Deitate eſt formaliter ſapiens &c.; ergo ſapientia, & Deitas non ſunt formaliter idem à parte rei. Ulteriùs major identitas eſt inter Eſſentiam, & Eſſentiam, quàm inter Eſſentiam, & Sapientiam; ergo &c.

LXII. Reſpondetur ad primum, quòd ſi S. Auguſtinus ex ſola diſtinctione virtuali attributorum ab eſſentia malè concluderet diſtinctionem realem Perſonarum, eam etiam malè concluderet ex ſola diſtinctione formali, quia potuiſſet Maximinus factus Scotiſta dicere, attributa, quia ſolùm formaliter plura, ſimplicitatem Dei non lædere, quam tamen læderent Perſonæ realiter plures. Mens ergo D. Auguſtini non eſt, ut putat Fraſſen, ex qualitate diſtinctionis attributorum, ſive ab eſſentia, ſive invicem, probare diſtinctionem Perſonarum inter ſe; ſed quòd etſi attributa, quæ de Deo dicuntur *bonitas, & ſapientia, & clementia, & juſtitia*, plura videantur eſſe, & plura ſint, quia tamen & una virtus eſt, eademque ſimplex, partes Dei non ſunt; ità etſi Perſonæ Divinæ plures ſint, quia tamen propter individuam Deitatem unus Deus eſt, ideo tres Perſonæ neque ſunt partes Dei, neque ejus lædunt ſimplicitatem. An autem meliùs ſubſiſtat ſimplicitas Dei, & quòd non ſint partes Dei, ponendo attributa actu formaliter à parte rei, tùm ab eſſentia, tum invicem diſtincta; anverò ponendo ea

actu

Digitized by Google

actu unum, & solùm virtualiter plura, & ab eſſentia solùm virtualiter diſtincta, judicet indifferens animus. Intereà recolantur ſuperiùs dicta, ubi probatum eſt, quòd ſi attributa actu formaliter in re, & invicem, & ab eſſentia diſtinguerentur, daretur in Deo compoſitio actualis ex formalitatibus.

LXIII. Ad rationem à Fraſſen adductam diſtinguo: Deus inadæquatè ſumtus, eſt Deus Deitate, & non Sapientia, concedo antecedens, Deus adæquatè, & ut in re; nego antecedens. Deus adæquatè, & ut eſt ante conſiderationem intellectus, æquè Deus eſt Sapientiâ, bonitate &c., ac Deitate, quia actu, & in re omnia iſta ſunt eſſe Dei, & Deitas. Unde D. Auguſt. lib. 7. de Trinitate cap. 1. *Quod enim* (inquit) *eſt ſapientia ſapere, & potentia poſſe, & æternitati æternam eſſe, juſtitia juſtam eſſe, magnitudini magnam eſſe, hoc eſt eſſentia ipſum eſſe. Et quia in illa ſimplicitate non eſt aliud ſapere, quàm eſſe, eadem ibi Sapientia eſt, qua eſſentia.* Si verò Deus ſumatur inadæquatè, & ex vi modi ſignificandi hujus nominis *Deus*; ſic deitate conſtituitur, non ſapientiâ, ſicut ſapiens ſapientiâ dicitur, non deitate. Sed hic eſt Deus, non ut in re eſt, ſed ut diverſ modè repræſentatus per ea, quæ in Creaturis diverſa ſunt. Quòd verò major identitas ſit inter Eſſentiam, & Eſſentiam, quàm inter Eſſentiam, & Sapientiam, non arguit, eſſentiam eſſe actu idem cum eſſentia formaliter, non eſſe verò actu idem formaliter cum ſapientia; ſed quòd eſſentia cum eſſentia ſit actu idem etiam virtualiter, cum ſapientia verò ſit actu idem formaliter in re, non tamen virtualiter; quia Eſſentia, & Sapientia eſt una res, & una realis formalitas æquivalenter duplex.

LXIV. Tertio arguit Fraſſen cum ſuis pro diſtinctione attributorum invicem. Primò. In Deo omnes perfectiones ſimpliciter tales formaliter ſunt ex dictis; ergo ſunt formaliter invicem diſtinctæ. Tùm quia aliàs non eſſent plures, ſed unica. Tùm quia ſi unaquæque formaliter in Deo eſt, in eo eſt ſecundùm propriam unitatem, & conſequenter ſecundùm propriam diſtinctionem ab alia.

Secundò. Sapientia in communi non eſt formaliter ex natura rei bonitas in communi; ergo nec ſapientia infinita erit ex natura rei formaliter bonitas infinita; quia infinitas non deſtruit, nec variat rationem formalem, ſeu naturam rei, cùm ſit modus rei.

Tertiò. Sapientia, & bonitas habent diverſam definitionem; ergo diverſam eſſentiam, & rationem formalem ex natura rei, quia definitiones dantur ad explicandam naturam rei; ergo ubi ſunt diverſæ definitiones, ibi ſunt diverſæ naturæ rerum.

Quartò. Intellectus, & Voluntas in Deo diſtinguuntur formaliter ex natura rei; ergo etiam cætera attributa. Antecedens probatur. Intellectus eſt principium intellectionis, Voluntas non, ſed Volitionis: Intellectus eſt principium productionis Verbi divini, Voluntas non, quæ eſt principium proceſſionis Spiritus Sancti; ergo ſicut productio Verbi eſt actu diſtincta à proceſſione Spiritus Sancti, ità & Intellectus, & Voluntas, quæ ſunt earum principia.

LXV. Reſpondeo ad ſingula. Ad primum diſting. antecedens, formaliter ſunt unitim, conc. ant., diviſim, nego ant. omnes ergo perfectiones ſimpliciter ſimplices, quæ diviſæ reperiuntur in creaturis, præexiſtunt unitæ in Deo, ſicut effectus præexiſtunt in virtute ſuæ cauſæ: ideoque eſto in Deo actu ſint, quia in eo ſunt eminenti, & ſimpliciſſimo modo, non ſunt cum actuali diſtinctione invicem, ſed omnes ſunt una actualis realis perfectio, virtualiter, & æquivalenter multiplex.

LXVI. Ad ſecundum nego abſolutè antecedens; quòd enim ſapientia non ſit actu formaliter bonitas, non habet ex natura ſapientiæ; ſed quia non eſt ſapientia, quæ ſit ſuum eſſe, & infinita per eſſentiam. Quare ſapientia,

tia, quæ eſt ſuum eſſe, qualis eſt divina, debet omnem perfectionem de linea entis ſibi actu identificare, & proinde etiam bonitatem. Neque infinitas deſtruit naturam rei, ſed eam perficit, dùm facit, quòd ſapientia actu ſit, non ſolùm ſapientia, ſed etiam bonitas, & quæcumque alia perfectio de genere entis.

Quòd ſi quæras. Sapientia ergo ex natura rei eſt ne actu bonitas, vel non? Reſpondebo, ſapientiam ex ſua ratione communiſſima non petere, nec eſſe actu bonitatem, nec non eſſe; ſicut Anima ex ſua ratione communi nec petit eſſe actu ſimul vegetativa, ſenſitiva, vel rationalis, ſed hoc ei contingit ex conceptu particulari: nam ſicut anima plantæ eſt vegetativa, & non ſenſitiva, anima Bruti vegetativa, & ſenſitiva, & non rationalis, anima Hominis vegetativa, ſenſitiva, & rationalis, & hæc tria actu identificat; ſic ſapientia, quæ non eſt ſuum eſſe, non eſt actu bonitas; quæ verò eſt ſuum eſſe, eſt omnis eſſendi perfectio, & etiam bonitas.

Neque propterea dici poterit, quòd attributum ſapientiæ ſit attributum bonitatis, quòd Deus per bonitatem cognoſcat, ſicut cognoſcit per ſapientiam, per miſericordiam puniat, ſicut punit per juſtitiam, & è contra; nam ſit tranſitus à ſenſu identico ad ſenſum formalem, eſto enim verum ſit, quòd Juſtitia dei ſit actu in re miſericordia, quòd ſapientia ſit actu bonitas: quia tamen hæc una actualitas eſt virtute, & æquivalentiâ multiplex, dùm exprimitur nomine eam ſignificante, ut æquivalet uni, jam exprimitur, ut diſtincta; & ſic quod dicitur de ipſa, ut uni æquivalet, non poteſt de eadem dici, ut alteri æquivalet. Sicut eſto de eadem Anima dicatur, quòd ſit vegetativa, ſenſitiva, & intellectiva, dici tamen nequit, quòd ut vegetativa ſentiat, ut ſenſitiva vegetet, aut ratiocinetur.

LXVII. Ad Tertium diſt. ant., diverſas definitiones explicantes naturam ſapientiæ, & bonitatis adæquatè, & ut actu ſunt in re, nego ant., explicantes &c. inadæquatè, & ut repræſentatas per noſtros conceptus, conc. antecedens. Res definimus, ſicut concipimus: & quia concipere non poſſumus ſapientiam divinam adæquatè, ut actu in ſe eſt: ideo eam definimus, ut nobis inadæquatè repræſentatur, limitatè ad ſolam lineam ſapientiæ, cùm actu omnem lineam entis complectatur; & ideò dicunt Patres, nos de Deo nec conceptum, nec definitionem, quæ adæquata ſit, formare poſſe. Quare definitio non ſemper explicat totam naturam rei, ſed aliquando rem habentem varios reſpectus explicat ſecundùm unum, & non ſecundùm alterum.

LXVIII. Ad quartum nego antecedens. Cùm enim intellectio, & volitio, ſeu actus intelligendi, & volendi in Deo actu idem ſint, ſit inde, ut etiam intellectus, & voluntas, quæ ſunt talium actuum principia, actu idem ſint formaliter, eſto æquivalenter duo. Neque productio Verbi eſt actu diſtincta à proceſſione Spiritus Sancti, quatenus actus intellectus, & voluntatis ſunt; per ſimplicem enim, & unum actum Pater generat Filium, & Pater, & Filius Spiritum Sanctum ſpirant, qui dicitur generatio, & ſpiratio, ratione diverſæ modificationis: Dùm enim modificatur Paternitate, dicitur generatio, dùm verò modificatur ſpiratione activa, dicitur ſpiratio. Sed de his in Tractatu de Trinitate.

§. VIII.

Opinio S. Thomæ, & communis.

LXIX. Excluſis jam tùm erroribus, tùm opinionibus de diſtinctione Perſonarum ab eſſentia, & attributorum, tùm ab eadem, tùm invicem, ſupereſt, ut ad noſtram, & communem ſententiam deveniamus.

Dico ergo primò. Inter eſsentiam, & Divinas Perſonas, inter attributa tùm

tùm invicem, tùm relatè ad eſsentiam, ante opus intellectus, ſola diſtinctio virtualis, ſeu ſumma unitas, & ſimplicitas actu æquivalens pluribus reperitur. Probatur. Sic optimè conſulitur ſummæ Dei ſimplicitati, unitati, & ſimul infinitati, ac eminentiæ, quâ quæcumque in creaturis diviſa repeiuntur, in ea unita prçexiſtunt. Quare *Sapientiæ 7. v. 2.* Sapientiæ Divinæ Spiritus dicitur *unicus, & multiplex:* multiplex ob præexiſtentiam omnium perfectionum in ipſa, *unicus* ob ſimplicitatem, quæ omnes illas perfectiones identificat. Unde *ibid. v. 27.* additur: *Et cùm ſit una, omnia poteſt: & in ſe permanens omnia innovat: & per nationes in animas ſanctas ſe transfert, amicos Dei, & Prophetas conſtituit.* Solvuntur etiam omnes difficultates, quæ occurrere poſſunt, & tollitur omnis apparens contradictio. Nam quòd eſſentia communicetur Filio, & ei non communicetur Paternitas; quòd Juſtitia puniat, Miſericordia non puniat, ſed parcat; & alia ſimilia, optimè ſalvantur diſtinctione hâc virtuali, & eminentiali, quæ totum ex jam dictis id præſtat, quod actualis diſtinctio præſtaret, ſalvatque ſummam Dei ſimplicitatem, ſicut eadem Anima rationalis actu ſimplex æquè benè gradum vegetativum, ſenſitivum, & rationalem præſtat, ac præſtarent tres animæ actu diſtinctæ, quibus una anima rationalis æquivalet.

LXX. Porrò hæc diſtinctio virtualis actu datur à parte rei, ſicut actu à parte rei datur Divina ſimplicitas æquivalens pluribus. Eſt etiam intrinſeca in Deo, ſicut in Deo intrinſecè datur una ſimpliciſſima realis formalitas continens, & æquivalens pluribus ad diverſas etiam lineas pertinentibus, quæ in creaturis diviſa reperiuntur. Non eſt inſuper eadem diſtinctio virtualis, ac fundamentalis: quia hæc dicitur per ordinem ad intellectum creatum, cui dat fundamentum diſtinguendi actu in Deo, quæ actu unum ſunt. Illa autem ex ſua notione ab omni intellectu præſcindit: imò in ſuppoſitione, quòd nullus intellectus creatus eſſet poſſibilis, diſtinctio virtualis in Deo adhuc ſubſiſteret, adhuc enim in Deo ſubſiſteret illa una ſimpliciſſima realis formalitas, unicè continens, & æquivalens pluribus perfectionibus, quæ in creaturis diviſæ, & diſtinctæ actu reperiuntur; in quo eſſentia diſtinctionis virtualis ſita eſt.

LXXI. Dico ſecundò. Divinæ perfectiones abſolutæ, ſive invicem, ſive ab eſſentia, ſicut & Divinæ Perſonæ ab eadem eſſentia actu non diſtinguuntur, niſi per actum noſtri intellectus, qui non valens totam illam eminentiam, & pelagus divinæ entitatis actu unico percipere, accipit occaſionem concipiendi unam perfectionem, aliâ non conceptâ, & veluti ab alia diſtinctam. Conſtat ex dictis. Eſto enim Deus ſimpliciſſimus ſit, de ejus tamen perfectionibus, & attributis formamus diverſos conceptus formales, qui ſignificantur per diverſa nomina, non ſinonyma, quæ Deo attribuimus. v. g. *Sapiens, Juſtus, Miſericors, Omnipotens &c.;* ergo in Deo dari debent diverſi conceptus objectivi illis correſpondentes, nempe ſapientiæ, juſtitiæ &c.; at hujuſmodi conceptus objectivi non diſtinguuntur actu à parte rei, ut probatum eſt; ergo diſtinguuntur ſolùm per ordinem ad noſtros conceptus: quod eſt diſtingui per rationem.

LXXII. Hanc tanquam Latinorum catholicam ſententiam proponebat Grçcis in Concilio Florentino *ſeſſ. 18.* Joannes Theologus ex ordine Prædicatorum; alloquens enim Marcum Epheſinum, cum quo diſputabat: *Vos* (inquit) *quæritis, an idem ſit in Divinis Perſonis ſubſtantia, & Perſona, ſive hypoſtaſis. Nos verò dicimus, ſubſtantiam, & Perſonam, ſive hypoſtaſim eſſe idem re, differre autem noſtro modo intelligendi... Nunc igitur quoniam intelligentiâ, & ratione diſtinguuntur, ſubſtantia quidem communicatur Perſonis, proprietates verò nullo modo communicantur:* id-

idque provenit ex vi relationis. Et iterùm *ſeſſ.* 19. idem Joannes loquens de Divina Subſtantia, & ſubſtantia Patris: *Ne tamen* (inquit) *re differre hoc putetis, ſed apprehenſione tantùm, & intelligentiâ*; quod repetit *ſeſſ.* 24. Imperatori: *Pater enim indiſtinctus ab eſſentia, imò verò, cùm ipſe ſit ipſa eſſentia, non intelligitur diſtinctam habere eſſentiam ab hypoſtaſi, non enim re, ſed ſolâ ratione diſtinguitur paterna hypoſtaſis à ſua eſſentiæ*. Hæc valdè notanda magnum pondus adferunt pro hac ſeutentia.

LXXIII. Dico tertiò. Diſtinctio, quæ datur inter præſata divina prædicata, & perfectiones, eſt rationis ratiocinatæ, & non purè ratiocinantis. Ità contra Nominales; & patet ex dictis §. 5., nam diſtinctio rationis ratiocinatæ eſt illa, quæ non ſe tenet ſolùm ex parte intellectus pro libito diſtinguentis, ſed cui ex parte rei ſignificatæ aliquid correſpondet præbens fundamentum intellectui ad concipienda, ut diſtincta ea, quæ in re actu idem ſunt; ſed intellectus noſter invenit ex parte Dei fundamentum ad concipiendas divinas perfectiones, ut diſtinctas, nempe eminentiam, & æquivalentiam pluribus, ſeu virtualem diſtinctionem inter illas; ergo &c.

Ità D. Thomas in 1. *diſt.* 22. *qu. un.* art. 3. ad 4. *Dicendum* (inquit) *quòd differunt nomina attributorum ſecundùm rationem, non tamen, quæ ſit ſolùm in ratiocinante, ſed quæ ſalvatur in ipſa re, ſecundùm veritatem, & proprietatem rei. Quod ſic patet: omnia enim hujuſmodi dicuntur de Deo, & creaturis, non æquivocè, ſed ſecundùm unam rationem analogicè. Unde cùm in creatura ratio ſapientiæ non ſit ratio bonitatis, oportet quòd etiam hoc in Deo ſit verum. Sed in hoc differt, quòd in Deo idem ſunt re in re, in creaturis autem differunt re, & non ratione*. Hoc *in Corpore articuli* ſic explicuerat, poſtquam enim dixerat, diſtinctionem Perſonarum in Deo eſſe realem, ſubdit: *ſed præter hoc, eſt etiam in Deo invenire diſtinctionem rationum, quæ realiter, & verè in ipſo ſunt, ſicut ratio ſapientiæ, & bonitatis, & hujuſmodi. Quæ quidem omnia ſunt unum re, & differunt ratione, quæ ſalvatur in proprietate, & veritate. Ità pro ut dicimus, Deum verè eſſe ſapientem, & bonum, & non tantùm in intellectu ratiocinantis: & inde veniunt diverſa nomina attributorum, quæ omnia quamvis ſignificent unam rem, non tamen ſignificant unam, ſecundùm unam rationem*. Hæc D. Thomas.

LXXIV. Ex quibus conficitur, quòd hæc diſtinctio rationis, non tàm fundatur in debilitate intellectus viatoris, quàm in nimia ſublimitate infinitæ perfectionis eſſentiæ divinæ, & attributorum, ratione cujus nequeunt unico conceptu explicito omnia ſimul à viatoribus concipi, ſed ſolùm à comprehenſoribus, qui lumine Gloriæ perfuſi, omnia ſimul vident, & unico actu attingunt, ſicut quòd noctua non poſſit videre lumen Solis, tàm provenit ex nimia claritate Solis, quàm ex nimia debilitate luminis noctuæ. Quarè dici poteſt, diſtinctionem, quam facimus, eſſe rationis ratiocinantis, & ratiocinatæ, fundamentum habentem in noſtra debilitate, & in ipſa diſtinctione virtuali, ſeu eminentiali eſſentiæ, & attributorum.

§. IX.

Diſtinctio rationis inter prædicata Divina, qualis ſit.

LXXV. IN hoc quæſito pertractando multas paginas implent aliqui; rem tamen ſobriè pertractandam exiſtimo, ne detenti parùm utilibus ſubtilitatibus, ea, quæ Theologo magis neceſſaria ſunt, negligantur.

Diſtinctionem ergo rationis ratiocinatæ diſtinguere ſolent noſtrates in eam, quæ eſt penes excludens, & excluſum, ſeu quæ ex parte objecti ſupponit unam rationem non includere, neque ullo modo eſſe de concepetu objectivo alte-

 rius,

rius, ſed eam excludere, ſicut dicunt, animalitatem ex ſuo conceptu objectivo, & eſſentiali præſcindere à rationalitate, neque eam in tali conceptu objectivo, & eſſentiali ullatenùs includere, ſed excludere; & hanc vocant præciſionem objectivam perfectam, & adæquatam. Et inſuper in eam, quam vocant penes implicitum, & explicitum, ſeu quæ ex parte objecti eſto ſupponat unam rationem non exprimere alteram, aut explicare, ſupponit tamen, eandem ex parte objecti implicare, & includere, ità, ut talis ratio nequeat concipi, quin ſaltem confusè, & indiſtinctè alia ratio ipſi identificata in ejus conceptu involvatur; & hanc vocant præciſionem imperfectam, & inadæquatam, qualem Metaphyſici noſtrates admittunt inter ens, ejuſque proprietates, & modos inferiores entis, & è converſo. Quærimus ergo, qualis ſit diſtinctio, quæ inter eſſentiam, & Perſonas, & ſimiliter attributa, etiam invicem comparata, admittenda eſt; an prior, an poſterior?

LXXVI. Dico. Diſtinctio rationis ratiocinatæ, quæ datur, tùm inter eſſentiam, & Perſonas, tùm inter eſſentiam, & attributa, tùm inter attributa invicem, non eſt penès excludens, & excluſum, ſed ſolùm penès explicitum, & non explicitum, ſeu implicitum. Prima pars probatur. Nam diſtinctio penès excludens, & excluſum importat ex parte objecti unam rationem alteram excludentem, quæ ſit in potentia ad illam, & cum illa componat tanquam pars: quod patet in animalitate, & rationalitate: animalitas enim, utpote excludens à ſuo conceptu objectivo rationalitatem, concipitur, ut in potentia ad illam, & pars cum ea componens ſpeciem hominis; atqui conceptus, quem formamus de eſſentia divina cognitæ ſine relationibus, & attributis, non importat ex parte objecti aliquid excludens, potentiale, & componens per modum partis, ſed aliquid actualiſſimum, ſimpliciſſimum, & omnes perfectiones actu continens; ergo &c.

LXXVII. Confirmatur. Dùm intellectus concipit naturam divinam, non conceptis Perſonis, & attributis, vel unum attributum, non concepto alio, puta ſapientiam, & non bonitatem; aut concipit naturam, quæ ſit ipſum eſſe per eſſentiam, & attributum ut in genere entis infinitum; aut non. Si non; ergo neque concipit naturam divinam, neque attributum divinum. Si ſic; ergo concipit naturam, & attributum, non ut excludens, ſed ut includens, & implicans omnes divinas perfectiones. Hinc

Secunda pars conſtat ex dictis. Cùm enim inter eſſentiam, Perſonas, & attributa aliqua diſtinctio per rationem non purè ratiocinantem dari debeat, ſed ratiocinatam; & hæc ex probatis non poſſit eſſe per modum excludentis, & excluſi, ſequitur, quòd ſaltem ſit per modum expliciti, & impliciti.

LXXVIII. His ità explicatis, puto, tolli apparentem contradictionem, quæ in Doctrina, & Verbis D. Thomæ invenitur. Nam ex una parte docet, quòd ſicut eſt *per ſe* iſta: *Pater eſt Deus*, ità & iſta: *Deus eſt Pater*, ut *1. part. qu. 39. art. 6. ad 2.* Ex alia verò *qu. 8. de potentia art. 2. ad. 5.* negat, hujuſmodi prædicationes eſſe *per ſe*. Tollitur inquam contradictio. Nam dum S. Doctor in priori loco dicit, has prædicationes: *Pater eſt Deus: & Deus eſt Pater:* eſſe *per ſe*, vult excludere diſtinctionem excludentis, & excluſi inter Deitatem, & Paternitatem, quæ ſi inter illa reperiretur, non prædicarentur ampliùs *per ſe*, neque perſeitate rei, ſicut homo *per ſe* non prædicatur de animali, dùm dicitur *animal eſt homo*, quia, cùm in conceptu objectivo animalis actu non includatur homo, animal non eſt *per ſe* homo, ſed ei accidit, quòd ſit homo. At cùm tàm de Patre prædicetur *per ſe*, quòd ſit Deus, quàm de Deo, quòd ſit Pater, ſit, quòd nec à conceptu Paternitatis excludatur Deitas, neque

que à conceptu Deitatis excludatur Paternitas, ſaltem tanquam modus eſſentialis ſuæ fæcunditatis; neque aut Paternitati accidat, quòd ſit Deus, aut Deitati, quòd ſit Pater: *Cum dicitur* (ait S. Thomas citato loco ex 1. part.), *Deus, vel divina eſſentia eſt Pater, eſt prædicatio per identitatem, non autem ſicut inferioris de ſuperiori, quia in Divinis non eſt univerſale, & ſingulare. Unde ſicut eſt per ſe iſta, Pater eſt Deus: ità eſt iſta, Deus eſt Pater, & nullo modo per accidens.*

LXXIX. Quia verò, eſto eſſentia divina, & Paternitas mutuò realiter, & adæquatè ſeſe includant, tamen quoad explicitum, & modum ſignificandi diſtinguuntur, ità, ut aliquid explicetur nomine eſſentiæ, quod non explicatur nomine Paternitatis; & nomine eſsentiæ importatur modus eſſendi *ad ſe* diverſus à modo eſſendi *ad alivd*, qui importatur, & explicatur nomine Paternitatis: ideo *qu. 8. de potentia art. 2. ad 6.* negat, eſſentiam de relationibus, & è converſo, prædicari *per ſe*, & quidquid de eſſentia prædicatur, prædicari poſſe de relationibus, & invicem, aliàs committeretur fallacia accidentis, ab identitate rei ad identitatem rationis. Verba S. Doctoris ſunt hæc: *Per ſe autem prædicatur aliquid de aliquo, quod prædicatur de eo ſecundùm propriam rationem. Quod verò non ſecundùm propriam rationem prædicatur, ſed propter rei identitatem, non etiam prædicatur per ſe. Cùm ergo dicitur, eſſentia divina eſt Paternitas, non prædicatur paternitas de eſſentia divina propter identitatem rationis, ſed propter identitatem rei, & ſimiliter nec eſſentia de paternitate, ut jam dictum eſt; quia alia eſt ratio eſſentiæ, & relationis. Et ideo in dicto proceſſu incidit fallacia accidentis. Licèt enim in Deo nullum ſit accidens, eſt tamen quædam ſimilitudo accidentis: in quantum ea, quæ de ſe invicem prædicantur ſecundùm accidens, & differunt ratione, ſunt unum ſubjecto.* Hæc S. Doctor. Ubi nota diverſum modum prædicandi hìc ab eo, quo utitur in prima parte. Hìc enim facit prædicationem in abſtracto, dicens, *eſſentia eſt paternitas, paternitas eſt eſſentia*, ubi prædicatur ratio explicita paternitatis de ratione explicita eſſentiæ, & è contra: quæ certè eſt prædicatio per accidens, & ratione ſubjecti. Ibi verò facit prædicationem concreti de concreto, dicendo, *Pater eſt Deus, Deus eſt Pater*, ubi prædicatio fit ratione impliciti, cùm eſſentia implicet Paternitatem, & è contra, prædicatio eſt *per ſe*.

LXXX. Abſtineo ab intricatiſſima quæſtione, an eſſentia includatur, & ſit de conceptu objectivo attributorum, & relationum, & è converſo, hanc enim percurrere apud auctores ſtudioſus poterit, & ex diverſitate opinionum eligere eam, quæ ſibi libuerit. Nobis enim ſat eſt, ſtatuiſſe inter prædicata divina talem diſtinctionem, ac præciſionem per actum noſtri intellectus, quæ ſalvet, & non lædat ſummam ejus actualitatem, ac ſimplicitatem, quatenus ex parte objecti unum prædicatum, eſto alia non explicet, includat tamen, & proinde appareat eſſe divinum. Satis enim, ſuperque hanc materiem verſavimus.

DUBIUM II.

An Deus ſit ſummè, & per eſſentiam bonus.

§. I.

Quædam præmittuntur.

A Quæſtione de Attributis Divinis in generali deſcendimus ad ſingula in particulari. Inter iſta eſt ſumma ſimplicitas. Sed quia hanc in Deo abundè ſtabilivimus quæſtione præcedente, dùm omnem prorsùs compoſitionem ab eo eliminavimus, ideò, hac prætermiſsâ, ad attributum bonitatis accedimus.

I. Bonum ergo tripliciter ſumi poteſt

teſt. Primò abſolutè, ſive fundamentaliter: & ſic bonum illud eſt, cui nihil deeſt ex iis, quæ ad ejus perfectionem, & integritatem requiruntur. Ità vinum dicitur bonum, quando omnia habet accidentia debita vino, colorem nempe, ſaporem &c. Secundò poteſt ſumi bonum reſpectivè: & ſic bonum dicitur, quod eſt conveniens, & appetibile à voluntate. Tertiò poteſt ſumi bonum moraliter: & ſic bonum dicitur, quod eſt conforme rectæ rationi. Dupliciter autem poteſt dici aliquid moraliter bonum: vel actu, vel habitu. Illud actu dicitur moraliter bonum, quod actu exercet opus rectæ rationi conſonum. Id verò dicitur habitualiter bonum, quod etſi non agat actu, eſt tamen diſpoſitum ad agendum ſecundùm rectam rationem.

Inſuper ad rationem boni ſimpliciter talis non ſufficit, ut ſit perfectum in ſe, ſed etiam, ut ſit diffuſivum ſuæ perfectionis in alios; quod dupliciter fieri poteſt: vel per modum cauſæ efficientis, communicando eſſe, & bonitatem alteri: vel per modum cauſæ finalis, alliciendo appetitum, & eum ſatiando.

II. Pariter adverto, aliquid poſſe dici bonum per eſſentiam dupliciter. Primò ex parte ſubjecti. Secundò ex parte prædicati. Id dicitur per eſſentiam bonum primo modo, cui bonitas convenit ex vi ſuæ eſſentiæ, & non ex aliquo extrinſeco, ſic homo dicitur per eſſentiam ens, animal, rationalis. Id verò dicitur bonum ſecundo modo, quod non ſolùm ex vi ſuæ eſſentiæ eſt bonum, ſed etiam poſſidet bonitatem cum tota plenitudine, & abſque ulla limitatione ad certam ſpeciem, vel genus. His ſuppoſitis cum D. Thoma 1. *par. totâ quæſt. 6.* Divinam bonitatem per ſequentia inveſtigabimus, an ſcilicet ſumma ſit in omni genere, & per eſſentiam talis, nimirùm cum tota plenitudine.

§. I I.

Reſolvitur Dubium.

OMiſſo delirio Marcionitarum, & Manichæorum, qui duos Deos ponebant, quorum alterum volebant eſſe bonum, alterum malum: hos enim ſuperiùs *qu. 2. dub. 5.* plenè refutavimus.

III. Dico primò. Deus eſt ſummè, & eſſentialiter bonus bonitate abſolutâ. Probatur. Illud eſt ſummè bonum bonitate abſolutâ, ut diximus, quod eſt in ſe ſummè perfectum, & cui nihil omnino deeſt de perfectione; ſed Deus eſt ſummè perfectus, ut nihil eo perfectius cogitari poſſit, & nihil omnino ei deeſt de perfectione, cùm omnes prorsùs poſſibiles perfectiones in ſe contineat, vel formaliter, vel eminenter, ut vidimus *q. præced. dub.* 4.; ergo &c.

Confirmatur. Id eſt ſummè bonum, quod eſt ſummè diffuſivum ſuæ perfectionis, vel efficienter, vel finaliter, ut ſupra notavimus; ſed Deus non ſolùm eſt diffuſivus ſui efficienter, quatenùs eſt fons, ex quo omnis perfectio manat, ſed & finaliter, quatenus eſt finis, ad quem omnia tendunt, & in quo obtento omnia ultimatè quieſcunt; ergo &c.

IV. Dico ſecundò. Deus eſt ſummè bonus reſpectivè, ſeu ſummè amabilis. Probatur. Unumquodque in tantum eſt amabile, & conveniens appetitui, in quantum eſt bonum, quia bonum eſt, quod omnia appetunt (1. *Ethicor. in principio*); ſed, ut vidimus, Deus eſt ſummè bonus; ergo eſt ſummè conveniens, & ſummè amabilis, ſummè (inquam) conveniens ſibi, & à ſe neceſſariò amabilis, ſummè conveniens creaturis, ut cauſa, & finis omnium. Item quibuſdam eſt ſpeciali modo conveniens, nempe Juſtis, ut amicus, Beatis, ut fruibilis, pœnitentibus, ut miſericors. Denique *Threnorum* 3. 25. *Bonus eſt Dominus ſperantibus in eum, & Pſalm. 72. v. 1. Quam bonus Iſrael Deus his, qui recto ſunt corde!*

V. At

V. At inquies. Si ità ſummè amabilis, & conveniens eſt Deus: cur aliqui hominum fugiunt à Deo, aliqui volunt à Deo recedere, aliqui Deum odio habent? Adam *Gen. 3. v. 8.* à facie Domini fugere tentavit. Jonas à Deo fugit *Jonæ 1. v. 3.* Impii *Job. 21. v. 14.* dixerunt Deo: *recede à nobis*. Dęmones, Damnati odio habent Deum?

Rurſùs. Quomodo omnes omnino creaturæ appetunt Deum, cùm multæ earum carentes cognitione eum non cognoſcant, cùm multæ eum adipiſci non poſſint, ut Bruta, Dęmones, Damnati?

VI. Reſpondeo, eos, qui ex una parte Deum fugiunt, ex alia ipſum appetere ſaltem implicitè, quia appetunt aliquid, in quo apprehendunt aliquam perfectionem ipſis convenientem, ac per conſequens aliquam ſimilitudinem, aut veſtigium in aliquo bono creato à Deo impreſſum: puta eſſe, vivere, pœnæ ac miſeriarum evaſionem, aut propriâ frui libertate; & ſic dùm fugiunt, aut oderunt Deum in quibuſdam effectibus, accedunt ad Deum, & amant ipſum in aliis ſaltem implicitè. Ità S. Thomas *qu. 22. de verit. art. 2. ad 3. Dicendum* (inquit) *quòd Deus poteſt dupliciter conſiderari, vel in ſe, vel in effectibus ſuis. In ſe quidem, cùm ſit eſſentia bonitatis, non poteſt non diligi: unde ab omnibus videntibus eum per eſſentiam diligitur, & ibi quantum quiſque cognoſcit, tantum diligit. Sed in aliquibus effectibus ſuis, in quantum ſunt contrarii voluntati, ſicut ſunt pœnæ illatæ, vel præcepta, quæ gravia videntur, ipſe Deus refugitur, & quodammodo odio habetur. Et tamen oportet, quòd illi, qui eum quantum ad aliquos effectus odiunt, in aliis effectibus diligant eum, ſicut ipſi Dæmones ſecundùm Dionyſium in cap. 4. de Divin. Nomin. appetunt eſſe, & vivere naturaliter, & in hoc ipſum Deum appetunt, & diligunt.* Ità D. Thom. Sicut enim nullus poteſt effugere Deum, ut primam cauſam: ità nec effugere poteſt ipſum, ut ultimum finem; & ſicut Deus agit in omni agente: ità Deus appetitur in omni appetibili. Hoc autem eſt appetere Deum ſolùm implicitè. Quæ Doctrina eſt D. Thomæ *ibi in Corpore*.

VII. Eſto autem inter creaturas aliquæ ſint cognitione carentes, tamen adhuc iſtæ aliquomodo appetunt Deum. Ut enim ait D. Thomas *1. par. qu. 44.* art. 4. ad 3. *omnia appetunt Deum, ut finem, appetendo quodcumque bonum, ſive appetitu intelligibili, ſive ſenſibili, ſive naturali, qui eſt ſine cognitione. Quia nihil habet rationem boni, & appetibilis, niſi ſecundùm quòd participat Dei ſimilitudinem.* Dici etiam poteſt, appetitum non ſequi ſemper cognitionem ejus, qui appetit, ſed tantùm in illis, quæ cognitione ſunt prædita. Semper tamen ſequitur cognitionem ejus, qui appetentem dirigit.

Ad id, quod poſtremò dicitur, reſpondeo, omnia Deum quodammodo adipiſci, in quantum participant aliquam ſimilitudinem Dei, ſecundùm quòd ſunt, vivunt, vel etiam cognoſcunt. Sola creatura rationalis (ait D. Thom. qu. 22. de verit. art. 2. ad 5.) *eſt capax Dei, quià ipſa ſola poteſt ipſum cognoſcere, & amare explicitè, ſed aliæ creaturæ participant divinam ſimilitudinem, & ſic ipſum Deum appetunt.* Dæmones verò, & Damnati ex natura ſua capaces Dei, facti ſunt incapaces ex culpa, appetere tamen poſſunt Deum, eſto non in ſe, in aliqua ejus ſimilitudine, & effectu.

VIII. Dico tertiò. Deus eſt ſummè Bonus bonitate morali, ſeu ſummè Sanctus. Summam Dei ſanctitatem Scripturæ paſſim deprædicant. *Exodi 15. v. 11.* dicitur *magnificus in ſanctitate. Pſalm. 144. v. 5. Magnificentiam gloriæ ſanctitatis tuæ loquentur.* Et hoc eſt triſagium, quod *Iſaiæ 6. v. 3.* omnes Angeli in Cœlis ei continvò proclamant, *Sanctus, Sanctus, Sanctus*, quod vel Dæmones ipſi *Marci 1. v. 24.* confeſſi ſunt, dùm unus illorum *Scio* (inquit ad Chriſtum) *qui ſis, Sanctus Dei*.

Probatur. Ut enim docet S. Thomas *2. 2. qu. 81. art. 8.* Nomen ſanctitatis

duo

Digitized by Google

duo videtur importare. Primò munditiam: unde *Sanctum* Græcè dicitur *Agios*, hoc eſt, *ſine terra*. Secundò firmitatem: *Unde apud antiquos Sancta dicebantur, quæ legibus erant munita, ut violari non deberent. Unde dicitur aliquid eſſe ſancitum, quaſi lege firmatum. Poteſt etiam ſecundùm Latinos hoc nomen* Sanctus *ad munditiem pertinere, ut intelligatur* Sanctus, *quaſi* ſanguine tinctus, *eò quòd antiquitùs illi, qui purificari volebant, ſanguine hoſtiæ tingebantur, ut Iſid. lib. 1. Etymolog. ad litt.* Ità D. Thomas. His omnibus titulis ſummè Deo convenit Sanctitas. Nam primò eſt ſine terra, quia Spiritus mundiſſimus. Secundò eſt ipſa lux æterna, quam violare, vel immutare nefas eſt, ſua regula indefectibiliter operans; Ergo &c.

IX. Confirm. Creatura rationalis dicitur bona moraliter, & ſancta, in quantum accedit ad regulam divinæ bonitatis, & de ea participat; unde D. Thomas loco laudato docet, quòd ſanctitas eſt ea, *per quam mens hominis ſeipſam, & ſuos actus applicat Deo:* & quò magis aliquis ſe applicat, & conjungit Deo, eò magis participat de ſanctitate, ſicut quò magis appropinquat Deo, eò magis participat de eſſe. Ergo ſicut Deus eſt ſummum eſſe, ità & ſumma bonitas, ſumma, & per eſſentiam ſanctitas; illud enim eſt ſummum in quocumque genere, ex cujus participatione cætera ſunt talia, & per majorem, vel minorem acceſſionem ad ipſum ſunt magis, vel minùs talia.

X. Ex his omnibus infertur, Deum (& quidem ſolum) eſſe bonum per eſſentiam, quomodocumque bonum ſumatur, & proinde eſſe ipſam bonitatem. Bonum (inquam) per eſſentiam, non ſolum ex parte ſubjecti, quia bonitas eſt illi eſſentialis, & illam habet ex vi ſuæ eſſentiæ, ſicut homo ex vi ſuæ eſſentiæ habet rationalitatem; ſed etiam bonum per eſſentiam ex parte prædicati, quia habet in ſe totam plenitudinem bonitatis, ſicut habet totam plenitudinem eſſendi: imò veriùs, eſt tota plenitudo bonitatis, ſicut eſt tota plenitudo eſſendi. Creatura autem, quæcumque illa ſit, eſto in aliquo ſenſu dici poſſit, quòd per ſuam eſſentiam, ideſt eſſentialiter ſit bona, ſaltem tranſcendentaliter, ſicut eſt eſſentialiter ens; non tamen dici poteſt bona per eſſentiam ſimpliciter, quia bonitatem ſimpliciter talem habet ab exiſtentia quæ eſt accidentalis, & extranea eſſentiæ; deinde quia bonitas in creatura reperta, eſt bonitas ſolum participata, nec totam plenitudinem bonitatis in ſe complectens, ſicut nec totam plenitudinem entis.

XI. Infertur ſecundò ex D. Thom. hac 1. *part. qu.* 6. *art.* 4., rectè dici poſſe, quòd *unumquodque ſit bonum Bonitate divinâ, tanquam primo principio exemplari, effectivo, & finali totius bonitatis.* Quod probat. *Nam à primo per ſuam eſſentiam ente & bono unumquodque poteſt dici bonum, & ens, in quantum participat ipſum per modum cujuſdam aſſimilationis, licèt remotè, & efficienter.* Subdit tamen. *Nihilominus unumquodque dicitur bonum ſimilitudine divinæ bonitatis ſibi inhærente, quæ eſt formaliter ſua bonitas denominans ipſum.* Et hoc oſtendit *qu.* 21. *de verit. art.* 4. ex eo, quòd *omne agens invenitur ſibi ſimile agere. Unde ſi prima bonitas* (divina) *ſit effectiva omnium bonorum, oportet, quòd ſimilitudinem ſuam imprimat in rebus effectis, & ſic unumquodque dicitur bonum, ſicut formâ inhærente, per ſimilitudinem ſummi boni ſibi inditam, & ulteriùs per bonitatem primam, ſicut per exemplar, & effectivum omnis bonitatis creatæ. Et quantum ad hoc opinio Platonis* (qui dicebat omnia denominari ab Ideis ſeparatis) *ſuſtineri poteſt. Sic ergo dicimus ſecundùm communem opinionem, quod omnia ſunt bona bonitate creatâ formaliter, ſicut formâ inhærente, bonitate verò increatâ, ſicut formâ exemplari.*

DU-

Digitized by Google

DUBIUM III.

An Deus ſit ſimpliciter in genere entis infinitus.

§. I.

Reſolvitur Dubium.

I. QUamvis ex dictis hactenùs hujus dubii reſolutio conſtare poſſit, eam tamen cum Divo Thoma *1. part. quæſt. 7. art. 1.* tractare, æquum duxi. Recolendum itaque eſt, quòd, cùm infinitum ſit illud, quod caret terminis, dupliciter aliquid dicitur infinitum. Primò in ratione entis. Secundò in aliquo certo, & determinato genere. Quod eſt infinitum priori modo, dicitur, & eſt abſolutè, & ſimpliciter infinitum, quia cùm genus entis omnia complectatur, debet ſic carere terminis, ut in nullo genere terminos recognoſcat, ſed omnia genera ſupergrediatur. Quod autem eſt infinitum in aliquo determinato genere, dicitur infinitum cum addito, & ſecundùm quid, quia licèt careat terminis illius generis, & omnes illius generis perfectiones contineat, limites tamen abſolutè habet, quia alia genera non ſupergreditur, ſed eſt intra terminos ſui generis clauſum. Sic ſi daretur albedo infinita, illa in genere albedinis limites quidem non haberet, eſſet tamen clauſa intra genus albedinis, ut nec ſubſtantiæ, nec quantitatis, nec cæterorum generum perfectiones in ſe concluderet. Hoc prælibato.

II. Dico. Deus eſt ſimpliciter, & in genere entis infinitus. Adversùs hanc veritatem (quam, teſte D. Tho. hìc, vel ipſi antiqui Philoſophi agnoverunt, infinitatem primo rerum omnium principio attribuentes, quamvis erraverint circa naturam primi principii, ut ſuperiùs oſtenſum eſt) contendere auſus eſt quidam Benedictus Eſpinoſa, patriâ Amſtelodamenſis, natus Judæus, poſteà Judaiſmi deſertor, & ſpecie Chriſtianus, ſed reverâ nec Judæus, nec Chriſtianus, ſed Atheus, quia nulli religioni addictus. Hic medio ſeculo elapſo, in ſuo *Tractatu Theologico-Politico*, quem *Amburgi* impreſſit anno 1670., ubi impiè docet, *non curandum eſſe, quam quis interiùs religionem teneat, dummodo exteriùs, & ſuperficie tenùs aliquam, ne regimen turbet politicum, profiteatur*. Loquens de Deo blaſphemavit: *Eum non eſſe ens infinitè perfectum, & beatum, ſed aliud non eſſe illum, quàm virtutem naturæ, quæ in omnibus creaturis diffuſa eſt*. Quod, quid aliud eſt, quàm Deum, vel prorsùs tollere, vel coincidere cum errore eorum, qui Deum cogitabant, vel eſſe materiam, vel formam?

III. Probatur ergo noſtrum adſertum ſic. Quod eſt ipſum eſſe à ſe, per eſſentiam, & per ſe ſubſiſtens, eſt in genere entis infinitum; ſed Deus eſt ipſum eſſe &c., ut vidimus; ergo &c. Maj. probatur. Tùm quia, quod eſt ipſum eſſe per ſe ſubſiſtens, continet omnem perfectionem eſſendi, ſicut ſi daretur calor per ſe ſubſiſtens, contineret omnem plenitudinem caloris. Tùm quia actus eſſendi, ſeu *eſſe*, poteſt limitari, vel à ſubjecto, quia ſcilicet recipitur in ſubjecto finito, vel quia recipit alium ulteriorem actum, vel quia eſt receptum, aut participatum ab alio, quod vel illi non potuit dare ulteriorem perfectionem, vel non voluit; ſed ipſum eſſe per ſe, & à ſe ſubſiſtens à nullo ex his poteſt limitari; ergo &c. Min. probatur, non enim poteſt limitari à ſubjecto, quia eo ipſo quòd eſt ſubſiſtens per ſe, in ſubjecto non recipitur: non quia poſſit recipere ulteriorem actum, quia *eſſe* eſt actus ſimpliciter ultimus: nec poteſt limitari à cauſa efficiente, quia ipſum eſſe per eſſentiam, à ſe eſt, & à nullo participatum, aut dependens. Hanc rationem urget S. Thomas: tùm hìc *art. 1.*: tùm in *1. diſt.* 43. *qu. 2. art. 1.*, *1. contragentes cap.* 43., *qu. 1. de Potentia art. 2.*, & alibi paſſim.

Tom. II. P IV.

IV. Probatur ſecundò à poſteriori. Virtus divina, quæ eſt Dei propria, eſt actu infinita; ergo eſſentia, & eſſe Dei eſt infinitum. Cum enim unumquodque agat ſecundum quòd actu eſt, virtus activa non poteſt eſſe infinita, niſi agens ſit in actu per eſſe infinitum. Antecedens probatur. Tum quia virtus creativa, quæ eſt Dei propria, reſpicit ens, in quantum ens, quod in infinitum abire poteſt. Tum etiam: nam ſi tantò major requiritur virtus in agente, quantò minor, & magis remota eſt potentia à forma, ejuſque ſuſceptione, ubi nulla prorsùs potentia ad formam, ſeu eſſe reperitur, virtus infinita erit neceſſaria; cùm ergo creatio nullam ſupponat potentiam, neque proximam, neque remotam ad eſſe, ſed producat eſſe prorsùs ex nihilo, fit conſequens, ut virtutem infinitam in creante ſupponat. Hac ratione probat D. Thomas, ſolius Dei proprium eſſe creare, *1. par. qu. 45. art. 5. ad 2., & 3.*

V. Dices. Quod ità eſt hoc, ut non ſit illud, eſt finitum ſecundùm eſſe, ſicut quod ità eſt hìc, ut non ſit alibi, eſt finitum ſecundùm locum; ſed Deus ità eſt hoc, nempe Deus, ut non ſit, nec lignum, nec lapis; ergo &c.

Reſpondet D. Thomas hìc ad tertium, majorem eſſe veram, quando id, quod eſt hoc, & non aliud, id habet per eſſe à ſe diſtinctum: ſecùs verò ſi ſit hoc, & non aliud, quia eſt ipſum eſſe, ſicut eſt Deus. Quod verò eſt hìc, & non alibi, id neceſſariò habet ex aliquo à ſe diſtincto, & propterea eſt finitum ſecundum locum. Sic D. Thom. hìc ad 3. Diſtingui poteſt etiam illa major, quod ità eſt hoc, ut non ſit illud, nec formaliter, nec eminenter, con. maj., ut non ſit illud formaliter, ſit tamen illud eminenter, nego maj. Deus autem, eſto non ſit ſubſtantia lapidis, aut ligni formaliter, eſt tamen ſubſtantia lapidis, & quæcumque alia res eminenter, ut vidimus: & ideo &c.

§. II.

Reſolutio aliquorum.

VI. Ex dictis facilè colligitur, nihil præter Deum poſſe eſſe in eſſentia infinitum, quidquid enim præter Deum eſt, creatum eſt, quidquid creatum eſt, habet eſſe receptum, & participatum, ſicque non eſt tota plenitudo eſſendi, ſed habet aliquid commercii cum nihilo, à quo emerſit, & in quod poteſt reverti. Quamobrem licèt dentur aliquæ formæ per ſe ſubſiſtentes creatæ, quales ſunt Angeli, quæ per receptionem in materia non limitantur, & ex hac parte ſecundùm quid infinitæ dici poſſint; Quia tamen ſic ſubſiſtentes *habent eſſe*, & non ſunt *ſuum eſſe, neceſſe eſt, ut ipſum* earum *eſſe ſit receptum, & contractum ad terminatam naturam. Unde non poteſt eſſe infinitum ſimpliciter.* Ità D. Thom. *hac qu. 7. art. 2.*

VII. Si dicas: Quantò major eſt Virtus agentis, eò perfectiorem effectum poteſt producere; ergo cum virtus Dei agentis ſit infinita, infinitum effectum poterit producere.

VIII. Reſpondeo primò ex D. Thom. *hac q. 7. art. 2. ad 1.*, quantò major eſt virtus agentis, eò perfectiorem effectum poſſe producere, quantum tamen effectus capax eſt. *Cùm autem ſit contra rationem facti, quod eſſentia rei ſit ipſum eſſe ejus, quia eſſe ſubſiſtens non eſt eſſe creatum: unde contra rationem facti eſt, quòd ſit ſimpliciter infinitum. Sicut ergo Deus licèt habeat potentiam infinitam, non tamen poteſt facere aliquid non factum, hoc enim eſſet, contradictoria eſſe ſimul: ità non poteſt facere aliquid infinitum ſimpliciter.* De hoc agit D. Thom. *1. p. qu. 25. art. 2. & 3.*, ubi addit quòd *ea, quæ contradictionem implicant, ſub divina omnipotentia non continentur, quia non poſſunt habere poſſibilium rationem. Unde convenientiùs dicitur, quòd EA NON POSSUNT FIERI, quàm quòd Deus NON POSSIT FACERE.*

IX.

Digitized by Google

IX. Reſpondeo ſecundò ex doctrina S. Doctoris ibi *art. 2. ad 2.*, antecedens verum eſſe de cauſa univoca, quæ totam ſuam potentiam manifeſtat in ſuo effectu: *potentia enim generativa hominis nihil poteſt plus, quàm generare hominem*; ſecùs verò de cauſa æquivoca: hæc enim non manifeſtat totam ſuam potentiam in ſui effectus productione, ut patet in Sole. Deus autem eſt agens æquivocum.

X. Utramque ergo reſponſionem concludens, diſt. antecedens, perfectiorem effectum, ſervatâ proportione geometricâ, nimirùm, quòd cauſa perfectioris virtutis poſſit perfectiorem effectum producere, ſervatâ proportione inter virtutem cauſæ, & capacitatem effectus, con. ant., ſervatâ æqualitate arithmeticâ, ideſt, quòd ſi cauſa fuerit virtutis, ut quatuor, effectus debeat eſſe, ut quatuor, nego antecedens, maximè in cauſis æquivocis, qualis eſt Deus. Infinitas ergo virtutis ejus manifeſtatur per hoc, quòd licèt non poſſit per eam fieri effectus actu infinitus, poſſit tamen, producto quolibet effectu, etſi perfecto, producere alium, & alium perfectiorem tùm numero, tùm ſpecie, uſque in infinitum ſucceſſivè, ità, ut nunquam devenire ſit ad effectum, ultra quem alium, & alium in infinitum non poſſit producere, aliàs ſi haberet ultimum, per iſtum finiretur: ut docet S. Thom. *in. 1. diſt. 43. qu. 1. art. 1. ad 5.*

Pergit S. Doctor hac *q. 7. art. 3.*, quærere, an poſſit dari infinitum ſecundum magnitudinem, & *art. 4.*, an poſſit dari ſecundum multitudinem. Sed quia hæc tractari ſolent à Phyſicis, ideò ne Philoſophica Theologicis miſceamus, ea omittimus.

DUBIUM IV.

An Deus ſit immenſus.

§. I.

Quædam præmittuntur.

I. SIcut omnipotentia eſt virtus, quâ Deus omnia facere poteſt, quæ poſſibilia ſunt, etſi numero, & ſpecie infinita forent: ità immenſitas eſt virtus, quâ Deus ex natura ſua vim habet, ut præſens adſit omnibus creaturis, etiamſi numero, & ſpecie infinitæ exiſterent. Quarè immenſitas condiſtinguitur ab actuali Dei præſentia in rebus, ſicut actus primus ab actu ſecundo; & ſicut Deus actu erat omnipotens ab æterno, antequam ullam creaturam actu produceret: ità erat actu immenſus, & eſſet, quamvis nulli creaturæ actu præſens adeſſet: nec minùs immenſus maneret, ſi omni creaturâ annihilatâ, deſineret in eis actualiter præſens eſſe, quia immenſitas non dicit actum præſentiæ ubique, ſed vim, ſeu virtutem.

II. In hanc divinam Immenſitatem variè à variis erratum eſt. Non ſolum enim de divina rebus omnibus præſentia impiè locuti ſunt illi, qui apud Job. *cap. 22. v. 14.* dixerunt de Deo: *Nubes latibulum ejus, nec noſtra conſiderat, & circa cardines Cæli perambulat*. Sed etiam veteres Philoſophi in hac falſa opinione fuerunt, Deum eſſe in primo Cœlo, & in parte orientali, ut, ceu primus motor, indè Cœlis motum imprimeret, & inchoaret: de quo errore & ipſi Philoſophiæ Principes Plato, & Ariſtoteles ſuſpecti fuere, ſi credimus Juſtino martyri in *Parænetico ad Græcos pag. 6.*, cùm ille in ignea, iſte in ætherea ſubſtantia corporea, Deum collocarint.

III. Reverâ tamen Platonicos non adeò malè de Divina immenſitate ſenſiſſe, crediderim, ut eam prorsùs abſtulerint. Adſerebant quidem, Plotino

Digitized by Google

teſte, Deum, etiam orbe condito, in ſe ipſo ſolum, & ſecretum perſtitiſſe, nec ipſum ſe infuſiſſe orbi condito; ſed dicebant quoque, orbem Deo affuſum ei adhæſiſſe: eò quia indignum putabant, quòd cauſa eminentiſſima, qualis eſt Deus, eſſet in ſuo effectu, eique quodammodo miſceretur: quare ajebant, Deum in ſe ſolo manere, eique orbem conditum adhærère, Deumque adeſſe potiùs rebus creatis, ſeu res creatas adeſſe Deo, quàm Deum illis ineſſe, ſeu in eis eſſe. Cæterum Deum omnibus rebus adeſſe, ſeu præſentem eſſe Plotinus ex eo comprobat, quòd omnes repentino quodam caſu perculſi, ex impetu naturæ Deum invocantes, Deum ſibi præſentem eſſe, teſtantur. *Unum quiddam* (inquit) *idemque numero eſſe ſimul ubique totum, communis indicat mentis humanæ conceptio, quandò omnes naturali quodam inſtinctu clamant, in unoquoque noſtrum eſſe Deum*. Quare de modo loquendi certaſſe potiùs, quàm de re Platonici videntur.

IV. Ariſtotelem verò ad bonum ſenſum trahit S. Thomas 3. *contragentes cap.* 68., ubi poſtquam ex Scriptura oſtendit, Deum omnibus rebus adeſſe, ſubdit. *Per hoc autem excluditur error quorumdam dicentium, Deum in aliqua parte mundi determinata eſſe, puta in primo Cœlo, & in parte Orientis, unde eſt principium motus Cœli: quorum tamen dictum ſuſtineri poſſet, ſi ſanè accipiatur: ut ſcilicet non intelligamus, Deum in aliqua determinata mundi parte eſſe concluſum: ſed quia omnium corporearum motionum principium, ſecundùm naturæ ordinem, ab aliqua determinata incipit parte, Deo movente: propter quod & in Sacra Scriptura Deus dicitur ſpecialiter eſſe in Cœlo, ſecundùm illud Iſaiæ ultimo:* Cœlum mihi ſedes eſt: *& in Pſalmo* 123.: Cœlum Cœli Domino. *Sed ex hoc, quod præter naturæ ordinem etiam in infimis corporibus Deus aliquid operatur, quod virtute Cœleſtis Corporis cauſari non poteſt, manifeſtè oſtenditur, Deum non ſolùm Cœleſti Corpori, ſed etiam infimis rebus immediatè adeſſe*. Hæc D. Thomas.

V. Certum tamen eſt, Gentiles Poetas ſuis Diis immenſitatem denegaſſe, dùm ſingulis proprias ſedes adſignarunt, ut Jovi ſydera, Junoni aerem, Vulcano ignem, Neptuno Mare, Cereri terram, Plutoni inferos, tanquam ſedem propriam, & imperium deſtinarint.

VI. Porrò, quod gravius eſt, ac mirandum, Judæi ipſi, etſi Prophetarum Oraculis illuſtrati, adeò deſipuerunt, ut cenſuerint, Deum in Templo Hieroſolymitano ità præſentem eſſe, ut, referente D. Hieron. *in cap.* 66. *Iſaiæ* ad illa verba *Cœlum ſedes mea*, ipſum à cæteris mundi partibus abeſſe, crederent. Quo errore fortaſſis in deſerto conſtituti, exiſtimantes, Dei præſentiam Columnæ Ignis, & Nubis alligatam eſſe, videnteſque hanc, Moyſe morante in Monte, eis non apparere, putarunt, Dei præſentiam ab illis receſſiſſe, dixeruntque Aaroni *fac nobis Deos, qui nos præcedant*, *Exod.* 32. *v.* 1., ut ſuperiùs notavimus.

VII. Proximè lapſo ſeculo inter cæteros errorem hunc adoptavit Conradus Worſtius, Eccleſiæ Steinfurtenſis Miniſter, poſtea in univerſitate Lugduno-batava Profeſſor, adſerens, Deum non eſſe immenſum, ſeu ubique.

VIII. Circa Dei immenſitatem aliquando ſe erraſſe, confitetur S. Auguſtinus *lib.* 7. *Confeſſ. cap.* 5., dum ait, ſe imaginatum fuiſſe Deum, tanquam immenſum Mare, creaturas verò omnes, tanquam ſpongiam, finitam tamen, in hoc immenſo Mari poſitam, quæ ex omni parte illo immenſo Mari plena eſſet: *Sic* (inquit) *creaturam tuam finitam, te infinito plenam, putabam*. Quantò verò ſaniùs meliori lumine illuſtratus Dei immenſitatem conceperit Auguſtinus, infra videbimus. His ergo prælibatis.

§. II.

Digitized by Google

§. II.

Statuitur veritas.

IX. Dico primò. Deus eſt immenſus, ſeu Deus habet vim infinitam, ut omnibus, etſi infinitis, locis adſit. Probatur. Vis divina exiſtendi, ſeù potiùs continendi loca, non debet minor eſſe, quàm ſit Dei eſſentia, cujus eſt attributum; ſed eſſentia divina, cùm ſit ipſum eſſe in tota plenitudine, eſt infinita in omni genere; ergo & ejus virtus repletiva loci. Hinc Plotinus Platonicus *Ennead. 6. lib. 4. cap. 11. apud Thomaſin. lib. 5. Theologic. Dogmat. cap. 1. nu. 6.* pro fundamento immenſitatis ponit ipſum eſſe. Cùm enim ſit pelagus incircumſcriptus eſſendi, omnia poteſt occupare, tùm loca, tùm locata, neque ens ullum eſſe poteſt, niſi quia illi ſummo enti adeſt, ac ſubeſt.

X. Confirmatur. Non debet eſſe minor vis coexiſtendi rebus à ſe productis, eiſque intimè adſiſtendi, quàm ſit in Deo virtus eas producendi; ſed vis rerum productiva in Deo, nempe omnipotentia, eſt infinita, ità, ut nil ſit producibile, quod à Deo non poſſit produci; ergo pariter ejus vis repletiva rei productæ erit infinita, ut nil ſit ab eo productum, quod ipſe non repleat, & cui intimè non adſit.

XI. Dico ſecundò. Deus de facto omnibus rebus adeſt, eiſque intimè præſens eſt. Probat D. Tho. tùm hac *1. part. qu. 8. art. 2.*, tùm *3. Contragentes cap. 68.* ex illo *Hierem. 23. v. 24. Cœlum, & terram ego impleo*, & ex illo *Pſalmi 138. v. 8. Si aſcendero in Cœlum, tu illic es: ſi deſcendero in Infernum, ades.* Super quæ S. Hieronymus *in cap. 66. Iſaia* ſupra relatus, poſtquam ait, hoc dictum fuiſſe, *ut Judaicum convincat errorem, qui putant inviſibilem, & incorporalem, & incomprehenſibilem Deum, Templo Hieruſalem poſſe concludi* (quod ſupra diximus) ſubdit: *Ac ne arbitremur, Cœlo quoque, & terrâ Dei magnitudinem metiendam, in alio loco de eo legimus:* Qui tenet Cœlum palmo, & terram pugillo; *Per quæ oſtenditur Deus, & forinſecus, & intrinſecus, & infuſus, & circumfuſus, dùm & ſolio ambiente non concluditur, & pugillo concludit, ac palmo. Qui non ſolùm Cœli, & terræ, ſed & inviſibilium creator eſt Angelorum, Dominationum &c.*

XII. Item D. Auguſtinus *Epiſt. 187.*, aliàs *57. ad Dardanum*, quæ eſt de præſentia Dei cap. 4. *Eſt ergo* (inquit) *Deus per cuncta diffuſus. Ipſe quippe ait per Prophetam*, Cœlum, & terram ego impleo, *& quod paulò ante poſui de ſapientia ejus* (*Sap. 8. 1.*) Attingit à fine uſque ad finem fortiter, & diſponit omnia ſuaviter. *Itemque ſcriptum eſt* (*Sap. 1. 7.*) Spiritus Domini replevit orbem terrarum: *eique dicitur in quodam Pſalmo 138. 7. 8.* Quò abibo à ſpiritu tuo, & à facie tua quò fugiam? Si aſcendero in Cœlum, tu ibi es, ſi deſcendero ad Infernum, ades. *Sed ſic eſt Deus per cuncta diffuſus, ut non ſit qualitas mundi, ſed ſubſtantia creatrix mundi, ſine labore regens, ſine onere continens mundum. Non tamen per ſpatia locorum, quaſi mole diffuſa, ità, ut in dimidio mundi corpore ſit dimidius, & in alio dimidio dimidius, atque ità per totum totus; ſed in ſolo Cœlo totus, & in ſola terra totus, & in Cœlo, & in terra totus, & nullo contentus loco, ſed in ſeipſo ubique totus.* Hæc S. Auguſtinus. Quibus non ſolùm docet, Deum ubique eſſe, ſed modum, quo ubique eſt, ideſt, non contentus, ſed continens, non ad modum corporum dimidius in dimidio, ſed totus in toto, & totus in qualibet parte.

XIII. Hoc expreſſit S. Thomas *1. p. qu. 8. art. 1. ad 2.* dicens, *quòd licèt corporalia dicantur eſſe in aliquo, ſicut in continente, tamen ſpiritualia continent ea, in quibus ſunt, ſicut Anima continet corpus. Unde & Deus eſt in rebus, ſicut continens res. Et 3. Contragentes cap. 68. Non eſt autem* (inquit) *aſſi-*

æſtimandum, Deum ſic eſſe ubique, quòd per locorum ſpatia dividatur, quaſi una pars ejus ſit hîc, & alia alibi: ſed totus ubique eſt: Deus enim, cùm ſit omnino ſimplex, partibus caret. Neque ſic ſimplex eſt, ſicut punctus, qui eſt terminus continui, & propter hoc determinatum ſitum in continuo habet: unde non poteſt unus punctus, niſi in uno loco indiviſibili eſſe. Deus autem indiviſibilis eſt quaſi omnino extra genus continui exiſtens, unde non determinatur ad locum, vel magnum, vel parvum ex neceſſitate ſuæ eſſentiæ, quaſi oporteat, eum eſſe in aliquo loco, cùm ipſe fuerit ab æterno ante omnem locum, ſed immenſitate ſuæ virtutis adtingit omnia, quæ ſunt in loco... ſic igitur totus eſt, ubicumque eſt, quia per ſimplicem ſuam virtutem univerſa adtingit. Non eſt tamen æſtimandum, quòd ſic ſit in rebus, quaſi in rebus mixtus .... Sed eſt in operibus per modum cauſæ agentis. Hæc Divus Thomas.

XIV. Sed opponit Worſtius. Quod eſt ſuper omnia, non eſt in omnibus rebus; ſed Deus eſt ſuper omnia, ſecundùm illud Pſalmi 112. v. 4. *Excelſus ſuper omnes gentes dominus*; ergo Deus &c. Cur divina majeſtas ſit in formica? cur in minimo quoque pulviſculi grano? cur in Dæmonibus?

XV. Prævenit hoc argumentum Divus Thomas, qui hac *q.* 8. *art.* 1. *ad* 1. ſic reſpondet. *Deus eſt ſupra omnia per excellentiam ſuæ naturæ, & tamen eſt in omnibus rebus* (etiam minimis, & viliſſimis) *ut cauſans omnium eſſe.* Si enim non dedecet ejus majeſtatem ea cauſare, iiſdem providere (ut *qu.* 22. *art.* 3.) nec dedecebit, eis adeſſe ea cauſando, conſervando, eiſque providendo. Quoad Dæmones autem reſpondet idem S. Doctor laudato loco *ad* 4., *quòd in Dæmonibus intelligitur natura, quæ eſt à Deo, & deformitas culpæ, quæ non eſt ab ipſo. Et ideo non eſt abſolutè concedendum, quòd Deus ſit in Dæmonibus; ſed cum hac additione, in quantum ſunt res quædam. In rebus autem, quæ nominant naturam non deformatam, abſolutè dicendum eſt, Deum eſſe.*

§. III.

Varii modi, quibus Deus eſt in rebus.

XVI. Quamobrem noto, quòd cùm quatuor diſtingui poſſint gradus, ſeu ordines entium, nimirùm naturæ, gratiæ, gloriæ, & unionis hypoſtaticæ, quatuor pariter diſtingui poſſunt Dei præſentiæ, ſeu inexiſtentiæ modi. Primus eſt naturalis, quo eſt præſens omnibus naturis creatis, eas producendo, & in eſſe conſervando. Hoc ſenſu dicitur *Jerem.* 23. *Cœlum & terram ego impleo*; & Paulus *act.* 17. *v.* 27. *non longè eſt ab unoquoque noſtrum.*

Secundus præſentiæ modus eſt Sanctificativus, quo nimirùm Deus eſt præſens animæ juſti, caritatem, gratiam, & alia dona ſupernaturalia in eam effundendo: unde Chriſtus *Joann.* 14. 23. *ſi quis diligit me ... Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus.*

Tertius præſentiæ modus eſt glorificativus, quo beatis inexiſtit, in eos effundendo per ſui poſſeſſionem æternam felicitatem, & beatitudinem: juxta illud *Pſal.* 5. 12. *In æternum exultabunt, & habitabis in eis.*

Quartus eſt ſpecialiſſimus, & Perſonalis, quo Verbum divinum perſonaliter præſens eſt in humanitate Chriſti, ſibi hypoſtaticè unita: In Chriſto namque, ait Paulus *ad Coloſſ.* 2. 9., *inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter.*

Alius ſupereſſet modus præſentiæ, nimirùm eſſentialis, quâ divinæ Perſonæ ſibi invicem inexiſtunt: dicente Chriſto *Joann.* 14. 10. *non creditis, quia ego in Patre, & Pater in me eſt? ... Pater autem in me manens ipſe facit opera.* Sed quia hic de exiſtentia, & præſentia Dei in rebus creatis ſermo eſt, ideò hunc modum prætermittimus.

XVII.

XVII. Obſervo inſuper ex D. Auguſtino *epiſt.* 187. ſupra citatâ *cap.* 5., quòd licèt Deus ubique, & in omnibus totus ſit; non tamen in omnibus habitat. In illis enim, in quibus ſolùm eſt, ut auctor naturæ, nimirùm primo modo, eſt quidem præſens, ſed non inhabitans. In illis ergo ſolum inhabitat, qui Templum Dei ſunt per gratiam, juxta illud 1. *Cor.* 3. 16. *Neſcitis, quia Templum Dei eſtis, & ſpiritus Dei habitat in vobis?* ideòque Deus, eſto omnibus adſit, ſolùm inhabitare dicitur in juſtis Viatoribus per gratiam, in Beatis per gloriam, in Humanitate Chriſti per unionem hypoſtaticam. Neque etiam, in quibus habitat, in omnibus æqualiter habitat, ſed magis, vel minùs, ſecundum quòd majorem, vel minorem gratiam eis confert: unde magis inhabitat in Chriſto, quàm in Beatis, magis in Beatis, quam in juſtis Viatoribus; non quia aliis minùs, aliis magis adſit: Deus enim omnibus totus adeſt; ſed quia alii plùs eum capiunt, alii minus: ſicut enim, eſto anima tota adſit ſingulis corporis partibus, non tamen ſingulæ æqualiter animæ effectus capiunt, ſed aliæ plures, aliæ pauciores; ſic eſtò omnes Beati totum Deum capiant, non tamen æqualiter, quia alii plus eum vident, alii minùs quoad intenſionem. Et quamvis omnes juſti Viatores Deum habitatorem habeant, in aliis tamen plura, in aliis pauciora effundit dona. Videatur Sanctus Auguſtinus loco citato.

XVIII. Obſervo præterea ex Divo Thoma hic *qu.* 8. *art.* 3., in rebus creatis præſentem eſſe Deum tripliciter, nimirum per potentiam, per præſentiam, & per eſſentiam: quod ex his, quæ in rebus humanis contingunt explicari poteſt. Rex enim dicitur eſſe in toto regno per potentiam, licèt non ſit ubique præſens. Per præſentiam verò dicitur eſſe in omnibus, quæ ſub oculis ejus ſunt, vel fiunt: ſic dicitur præſens in aula. Per eſſentiam verò dicitur præſens in ſolio ſuo, quod contingit ſedens. Sic ergo Deus, ait Sanctus Doctor, *eſt in omnibus per potentiam, in quantum omnia ejus poteſtati ſubduntur. Eſt per præſentiam in omnibus, in quantum omnia nuda ſunt, & aperta oculis ejus. Eſt in omnibus per eſſentiam, in quantum adeſt omnibus ut cauſa eſſendi.*

XIX. Oportuit autem hunc triplicem modum inexiſtendi rebus in Deo ſtatuere, ad triplicem errorem confutandum. Quidam enim, ut Manichæi, dixerunt, ſpiritualia quidem, & incorporalia eſſe Deo ſubjecta: at Corporalia poteſtati principii contrarii ſubjecta eſſe dicebant. *Et contra hos oportuit dicere, quòd Deus ſit in omnibus per potentiam.*

Fuerunt vero alii (Averroes) *qui licèt crederent, omnia eſſe ſubjecta divinæ potentiæ, tamen providentiam divinam uſque ad hæc inferiora corpora non extendebant: ex quorum Perſona dicitur Job.* 22. circa cardines Cœli perambulat, nec noſtra conſiderat: *& contra hos oportuit dicere, quòd Deus ſit in omnibus per ſuam præſentiam. Fuerunt verò alii* (Avicenna), *qui licèt dicerent, omnia ad Dei providentiam pertinere, tamen poſuerunt, omnia non immediatè eſſe à Deo creata, ſed quòd immediatè creavit primas creaturas, & illæ creaverunt alias. Et contra hos oportet dicere, quòd ſit in omnibus per eſſentiam.* Ità D. Thom.

XX. Adverte tamen primò, S. Thomam hìc loqui ſolùm de rebus actu exiſtentibus: in his enim ſolis actu ineſt, adeòque Deus; non verò in rebus non exiſtentibus: Ideoque ob hoc expoſitionem D. Thomæ rejicit Fraſſen. Secundò eſto cognitio non faciat, cognoſcentem eſſe in cognito, ſed potiùs cognitum in cognoſcente, quantum ad modum cognitionis, ut obſervat Divus Thomas hìc *ad* 3., quantum tamen ad vim cognitionis, quæ eſt intimè penetrare, & pervadere rem cognitam, cognoſcens benè dicitur eſſe in re cognita. Tertiò quòd licèt dare alteri eſſe non inferat ex terminis, quòd qui dat, ſit quoad ſubſtantiam præſens ei, cui dat eſſe, ut patet in Sole, qui ſecun-

ſecundùm ſubſtantiam non eſt in ſublunaribus, in quæ agit, ſed ſolùm ſecundùm virtutem; dare tamen alteri eſſe in eo, cujus operatio eſt ipſum eſſe (quod in Deo ſupponit D Tho.) benè infert, quòd qui dat eſſe, ſit quoad ſubſtantiam præſens ei, cui dat. Tandem non eſt idem, Deum eſſe in omnibus per eſſentiam, ac eſſe in omnibus per potentiam; Quia primum eſt eſſe in illis per actualem operationem: Secundum verò per vim operativam; unde ſi Deus nihil in rebus exiſtentibus actu operaretur, non eſſet in eis per eſſentiam, quia tamen in illis poſſet operari, eſſet in eis per potentiam.

DUBIUM V.

An rectè inferatur Dei præſentia in rebus ſecundum eſſentiam, quia in omnibus operatur eſſe.

§. I.

Reſolutio Dubii.

I. DIvus Thomas hâc *quæſt.* 8. *a.* 1., & paſſim, ut probet Deum cunctis rebus intimè adeſſe ſecundùm ſuam ſubſtantiam, utitur hoc diſcurſu: Deus operatur in omnibus rebus, in eis cauſans eſſe; ergo omnibus rebus per ſuam ſubſtantiam intimè adeſt; *non quidem, ut pars eſſentiæ earum, vel ſicut accidens; ſed ſicut agens adeſt ei, in quod agit.* Hanc illationem infirmam judicat Scotus in 1. *diſt.* 37. *qu. unicâ*, & cum eo Scotiſtæ, propter rationes inferiùs adducendas. Attamen

II. Dico. Benè probat D. Thomas, Deum eſſe omnibus rebus per ſuam ſubſtantiam præſentem, quia in omnibus rebus operatur. Hîc controverſia non eſt, an ſubſtantia Dei ſit intimè præſens omnibus rebus: hoc enim Scotus, & omnes, qui Immenſitatem Dei non negant, confitentur; ſed an ratio formalis conſtituens ſubſtantiam Dei omnibus rebus præſentem, ſit ipſa Dei operatio in rebus, eis dando eſſe, & conſervando. Hoc eſt, quod adſerit D. Thomas, & Scotus negat.

III. Probo tamen ſic. Illa eſt ratio proximè, & immediatè fundans præſentiam ſubſtantiæ Dei in omnibus rebus, quâ ſubſtantia Dei ſit immediatè indiſtans, quaſi conjuncta rebus, illaſque tangens: Non aliâ enim ratione quantitatis extenſio eſt ratio proximè fundans exiſtentiam Corporis in loco, niſi quia per illam Corpus ſit immediatè indiſtans à loco, conjunctum loco, & tangens locum; ſed ratio unica, quâ ſubſtantia Dei ſit immediatè indiſtans à creaturis, conjuncta illis, & eas quaſi contingens, eſt actualis Dei operatio, quâ in illis producit, & conſervat eſſe; ergo operatio Dei eſt ratio, cur ſubſtantia Dei proximè, & immediatè in rebus ſit. Major videtur certa. Min. probatur. Omne agens debet conjungi, & tangere illud, in quod agit, vel contactu virtutis, ſi agat per virtutem extra ſe diffuſam, vel per ſuam ſubſtantiam, & ſuppoſitum, ſi agat per virtutem, & operationem, quæ ſit ſua ſubſtantia; ſed virtus, & operatio Dei eſt ejus ſubſtantia; ergo ratio conjungens ſubſtantiam Dei, eamque reddens intimè præſentem rebus, eſt ejus operatio, quâ in illas agit. Cùm autem proprius effectus Dei, qui eſt ſuum eſſe, ſit eſſe creatum, ſicut ignire eſt proprius effectus ignis, & Deus in creaturis cauſet eſſe, non ſolùm quando eſſe incipiunt, ſed quamdiù in eſſe conſervantur; Cùmque inſuper eſſe ſit illud, quod cuilibet rei magis intimum eſt, & formale, ſit, ut operatio, quâ Deus eſſe in creaturis producit, & conſervat, ſit ratio ſubſtantiam Dei intimè, & continvò conjungens cum rebus, quandiu res in eſſe perſeverant. Hæc eſt ratio Divi Thomæ.

IV. Confirmatur. Illa eſt ratio proximè fundans exiſtentiam ſubſtantiæ Dei in rebus, ex cujus diverſitate variatur modus exiſtentiæ in illis, quia conſtitutivum idem eſt, ac diſtinctivum;

vum ; ſed ex variatione operationis Dei in creaturis variatur modus exiſtentiæ in illis; ergo &c. Minor probatur. Deus quatenùs producens *eſſe* in creaturis, generaliter eſt in illis, quatenùs aliquid ſpeciale in illis cauſat, & ſpecialiter in eis operatur, dicitur eſſe ſpecialiter in illis. Sic dicitur eſſe ſpecialiter præſens in anima juſti, quatenùs gratiam, & omnia dona ſupernaturalia in ea producit. Dicitur ſingulariter præſens in anima beata, quatenùs glorioſum lumen ei communicat; & dicitur ſingulariſſimè præſens in anima Chriſti, quia eam ad unionem hypoſtaticam ſublimavit; ergo &c.

Dicit Fraſſen, ex operatione concludi Dei præſentiam, non per locum ab intrinſeco, ſed ab extrinſeco, quatenùs, ſi aliundè conſtet, Deum eſſe præſentem ubicumque operatur, conſequens eſt, ut ſit ubique, ſi ubique operatur.

V. Sed contra. Si operatio non eſt ratio intrinſeca inferens Dei exiſtentiam in rebus: quæſo, quænam erit? Subſtantia Dei? At iſta eſt, *qua* eſt præſens, nos autem hìc quærimus *quô* fiat preſens. Non per ſe ipſam, quia ſubſtantia Dei prorsùs abſoluta eſt ab omni extrinſeco. Et inſuper ab æterno erat ſubſtantia Dei, & tamen ab æterno creaturis præſens non erat; oportet ergo, quòd ratio fundans exiſtentiam Dei in creaturis ſit aliquid connotans creaturas in eſſe actuali poſitas. At hoc quid erit? Immenſitas? at iſta eſt quidem vis ſeſe intimè ſiſtendi omnibus creaturis, ut omnipotentia eſt vis omnes illas producendi; at non id, quô actu ſeſe ſiſtat omnibus illis. Nam ab æterno Deus erat immenſus, nec tamen ab æterno actu in creaturis erat. Si ergo ratio ſiſtens Deum in creaturis operatio non eſt: quidnam, rogo, eſt?

Dicet ſecundò, falſum aſſumi, dùm dicitur, quòd *eſſe* ſit proprius effectus Dei: Nam creatura etiam ipſa producit *eſſe*, & Deus non ſolùm producit *eſſe*, ſed omnia etiam prædicata rei.

VI. Sed contra. Nam nos non dicimus, quòd *eſſe* ſit ità effectus proprius Dei, ut nullus à Deo poſſit ex parte rei productæ ipſum *eſſe* producere, & quòd Deus ſic *eſſe* producat, ut alia rei prædicata non producat: ſed dicimus, quòd *eſſe* ſub ratione *eſſe* abſolutè, & condiſtincti à nihilo, eſt proprius effectus Dei; creatura autem non tangit *eſſe*, ut condiſtinctum à nihilo, ſed *eſſe*, ut tale. Et ideo, quia creatio eſt productio totius entis ex nihilo, creare ſolius Dei eſt proprium, ut probat D. Thom. 1. *par. qu.* 45. *art.* 5., & nullam creaturam poſſe producere *eſſe*, niſi in virtute Dei oſtendit 3. *contragentes cap.* 66.

VII. Verùm, ne ſolâ ratione pugnare videamur, accedat auctoritas. Et primò Scripturæ, quæ pro cauſa exiſtentiæ Dei in creaturis ſtatuit ejus operationem in illis. Primò *Pſalm.* 138. *Quò ibo à Spiritu tuo, & quò à facie tua fugiam?* indè ſtatim infert *ſi aſcendero in Cœlum, tu illic es, ſi deſcendero in infernum, ades:* quibus verbis Dei ubiquitatem declarat, cujus rationem aperiens ſubdit: *etenim illùc manus tua deducet me, & tenebit me dextera tua.* Quis autem neſciat, *manus*, & *dextera* Dei nomine ſignificari operationem? Si ergo Deus in Cœlo, & in inferno eſt, quia ibi eſt *manus*, & *dextera* ejus, ibi eſt, quia ibi operatur. Unde D. Auguſtinus *Epiſt.* 187., aliàs 57. *ad Dardanum cap.* 4. dubio præcedente citatus, poſt præfata Pſalmi verba ſubjungit, *ſic eſt Deus per cuncta diffuſus, ut non ſit qualitas mundi, ſed ſubſtantia creatrix mundi.*

Secundò S. Paulus *actorum* 17. 27. reddens rationem, cur Deus *non longè ſit ab unoquoque noſtrum:* ait: *in ipſo enim vivimus, movemur, & ſumus.* Ideſt (ut ait Ambroſius in illud Pſalmi *propè es tu domine*) *vitalem etenim omnibus gratiam ſubminiſtrans, omnibus præſto eſt.*

Tertiò. Illa verba *Joann.* 1. 10. *In mundo erat, & mundus per ipſum factus:* S. Auguſtinus *tract.* 2. *ſuper Joann.* ſic expo-

Digitized by Google

exponit: ut ly & reddat ſenſum cauſalem: *per ipſum enim mundus factus eſt*. Audiendus porrò eſt S. Doctor. *Ne putes*, inquit, *quia ſic erat in mundo, quomodo in mundo eſt terra, in mundo eſt Cœlum, in mundo eſt Sol, Luna &c. non ſic iſte in mundo erat, ſed quomodo erat? Quomodo artifex regens, quod fecit: non enim ſic fecit, quomodo facit faber. Forinſecùs eſt arca, quam facit, & illa in alio loco poſita eſt, cùm fabricatur, & quamvis juxta ſit, ipſe alio loco ſedet, qui fabricat, & extrinſecùs eſt ad illud, quod fabricat. Deus autem mundo infuſus fabricat, ubique poſitus fabricat, & non recedit aliquò, non extrinſecùs, quaſi verſat molem, quam fabricat. Præſentiâ majeſtatis facit, quod facit: præſentiâ ſuâ gubernat, quod fecit. Sic ergo erat in mundo, quomodò per quem mundus factus eſt. Per ipſum enim mundus factus eſt.* Hæc S. Auguſtinus. Quibus duplicem diſcrepantiam adverte inter modum, quo creator, & quo creatura operi ſuo adeſt. Prima, quòd in creatore operatio antecedit præſentiam, in creatura ſubſequitur: nam creator priùs creat, quàm rei ſit præſens. Secunda, quòd creatoris præſentia intima eſt ad effectum ſuum; creaturæ verò extrinſeca; creator enim ipſam entis medullam procreat, ideò intimus eſt; at creatura circa rem magis agit, quàm in re, & ideo extrinſecùs tantùm adeſt.

VIII. Plura pro hac veritate congerit Patrum teſtimonia Thomaſſin. *Theologic. Dogmat. lib. 5. cap. 4.* Duos proferam, Niſſenum, & Damaſcenum. Primus enim *lib.* de anima, *Quum*, inquit, *natura intelligibilis fuerit in habitudine ad locum, vel ad rem in loco ſitam, abuſivè dicimus illam ibi eſſe propter operationem ejus, quod ibi eſt, locum pro habitudine, & operatione ſumentes. Cùm enim dicendum eſſet, ibi operatur, dicimus ibi eſt.* Quid apertius? Damaſcenus autem *lib. 1. fidei orth. cap. 16.*, ubi de Deo: *Ipſe ſui ipſius locus* (inquit) *eſt: cuncta replens, & ſuper omnia eminens, & ipſe continens omnia. Dicimus autem in loco eſſe, & dicitur locus Dei, ubi ejus manifeſta ſit operatio. Ipſe enim per omnia purè, & impermixtibiliter meat; & omnibus ſuæ operationis conſortium tradit, ſecundùm uniuſcujuſque aptitudinem, & capacitatis virtutem. Dicitur igitur Dei locus, qui plus participat operationis ejus, & gratiæ.* Ità Damaſcenus.

IX. His ergo & rationibus, & auctoritatibus muniti Diſcipuli D. Thomæ, non ſolùm præſentiam Dei adſtruunt ex ejus operatione, ſed etiam hanc ità exigi exiſtimant, ut in rebus exiſtat, quòd ſi Deus in illis non operaretur, illis præſens non eſſet; imò illæ non eſſent. Et hoc ex Niſſeno *orat. catech. c. 32.* Anſelmo in *Monolog. c. 22.*, & Auguſt. *lib. 1. conf. cap. 2.* Volunt præterà, quòd ſicùt res corporea conſtituitur præſens loco per contactum ſuæ quantitatis; ità res ſpiritualis fiat præſens loco per contactum ſuæ virtutis: contactus autem virtutis eſt operatio. Tandem concludunt, quòd ſi Deus ſic eſt in loco, ſeu veriùs in creatura ſua, ut non ſit in illa tanquam contentus, ſed tanquam continens eam, non tanquam dependens, ſed tanquam faciens eam à ſe dependere, cùm enim Deus contineat, & faciat à ſe res dependere, quia in eis operatur, dando eis, & conſervando in eis eſſe, conſequenter in re ut in loco ſit per operationem, ut idem ſit dicere: *Deus hìc operatur*, ac dicere *Deus hìc eſt*.

§. II.

Rationes Scoti ſolutæ.

X. Objicit primò Scotus. Agens, ſi maximæ eſt activitatis, poteſt agere in aliquid, etſi ſecundùm ſubſtantiam diſtet ab illo, ut patet in Sole, qui agit multa in viſceribus terræ, & tamen Sol in viſceribus terræ non eſt, ſed in Cœlo valdè diſtans; Atqui Deus eſt maximæ, imò & infinitæ vir-

Digitized by Google

virtutis; ergo poteſt agere in rebus, etſi non ſit in illis, & licèt diſtet ab illis; ergo ex operatione Dei in creaturis non colligitur, quòd ſecundùm ſubſtantiam Deus adſit illis.

Reſpondeo, majorem veram eſſe dè agente, quod operatur per virtutem à ſe extra ſe diffuſam; tunc enim quantò majoris activitatis eſt agens, etſi ſecundùm ſubſtantiam diſtans, quia tamen virtute à ſe effuſà contingit illud, in quod agit, poteſt in eo agere, ut patet in Sole, qui cùm agat per lucem, calorem, aliaſque virtutes extrà ſe effuſas, operatur in viſceribus terræ, quin arguatur, ibi ſubſtantiam Solis adeſſe, ſed ejus virtutem tantùm. Secus verò de agente, quod operetur per virtutem, quæ ſit ſua ſubſtantia; tùnc enim ſi virtus agentis adeſt ei, in quod agit, oportet, ut ei adſit quoque ipſa agentis ſubſtantia. Cùm ergo Deus agat per virtutem non extra ſe effuſam, ſed per virtutem, quæ eſt ſua ſubſtantia (agit enim actione formaliter intra ſe immanente, & ſolùm virtualiter tranſeunte) ideò ſi ſuâ actione adeſt, adſit etiam ſuâ ſubſtantiâ, neceſſe eſt. Et inſto argumentum. Agens, quod agit virtute à ſe effuſâ, oportet, ut ſuâ virtute præſens ſit ei, in quod agit, aliàs non ageret, ſi agens aliquomodo non conjungeretur paſſo, & movens mobili, & illud non tangeret; ergo agens per virtutem, quæ ſit ſua ſubſtantia, debet conjungi, & adeſſe ei, in quod agit, ſecundùm ſubſtantiam.

XI. Hic nota, cauſam debere conjungi, & adeſſe effectui, vel per ſuam ſubſtantiam, vel per ſuam virtutem, non oriri ex limitatione, ut putat Scotus, ſed ex ipſa natura, & eſſentia cauſæ. Sicut enim forma non poteſt actuare materiam, niſi ei conjungatur, ità nec agens poteſt in aliquid agere, niſi virtute ſuâ illi conjungatur, & ei adſit; ſi enim illud non contingat, nil in eo aget: ſic eſſentia divina non cauſat in intellectu viſionem beatam, niſi ei conjungatur, nec Perſona Verbi eſſet principium operationum in Chriſto, niſi ei intimè, & hypoſtaticè uniretur.

XII. Dices. Falſum eſt, Deum agere per virtutem, quæ ſit eius ſubſtantia; Nam ad producendam gratiam in anima pueri utitur aliquo extra ſe, nempè Sacramento Baptiſmi: cur ergo etiam ad producendum eſſe in creatura, illudque conſervandum, non poterit uti virtute extra ſe diffuſâ?

XIII. Reſpondeo negando aſſumtum. Ad prob. conc. antecedenti, nego conſequentiam. Benè enim poteſt Deus per virtutem à ſe diffuſam in inſtrumentum gratiam cauſare, non verò per virtutem à ſe diffuſam cauſare eſſe, illudque conſervare. Et ratio eſt, quia virtus cauſativa gratiæ, utpote inſtrumentalis, benè poteſt eſſe creata, & limitata, & extra Deum diffuſa; At non ſic virtus cauſativa *eſſe*, & conſervativa illius, quatenus à Deo eſt. Ratio autem hujus eſt. Quia *eſſe* ut correſpondet divinæ virtuti eſt *eſſe* ſub ratione *eſſe*, & ut immediatè contradiſtinctum à nihilo, & ſi virtus divina illud non tangeret, rueret in nihilum; nulla autem virtus creata poteſt reſpicere ens, ſeu *eſſe*, ut à nihilo diſtinctum, & ità, ut, ſi illa illud non contingeret, rueret in nihilum: nam nulla virtus creata poteſt eſſe productiva totius *eſſe* immediatè ex nihilo, aliàs eſſet creativa, neque talis, ut ſi ejus concurſus deficeret, *eſſe* rueret in nihilum. Quare D. Thomas 3. *contragentes cap.* 68. ex hoc probans neceſſitatem conjunctionis Dei agentis cum creatura, in quam agit: *Neceſſe eſt* (inquit) *ut cauſa agens ſit ſimul cum ſuo effectu proximo, & immediato. In qualibet autem re eſt aliquis effectus proximus, & immediatus ipſius Dei. Oſtenſum eſt enim ſupra in ſecundo* (cap. 21.), *quòd ſolus Deus creare poteſt. In qualibet autem re eſt aliquid, quod per creationem cauſatur; in rebus quidem corporalibus prima materia; in rebus autem incorporeis ſimplices earum eſſentia, ut ex his apparet, quæ in ſecundo*

Digitized by Google

(cap. 15.) *ſunt determinata. Oportet igitur ſimul Deum adeſſe omnibus rebus, præſertim cùm ea, quæ de non eſſe ad eſſe producuntur, continuò, & ſemper in eſſe conſervet: ut oſtenſum eſt* (cap. 65.)

XIV. Objicit ſecundò. Si per impoſſibile Deus tantùm eſſet in Cœlo, poſſet operari in Terra, & in Inferno; ergo ſi poſſet agere ubi non eſt, non infertur ejus præſentia in rebus ex operatione. Antecedens probatur. Si Deus eſſet tantum in Cœlo, poſſet velle diſtans, & intelligere diſtans; ſed Deus agit per intellectum, & voluntatem; ergo poſſet agere &c.

XV. Reſpondeo negando antecedens. Cùm enim Deus non operetur per virtutem à ſe diffuſam, maximè dùm operatur, & conſervat eſſe, ut dictum eſt, ſed per virtutem, quæ ſit ipſa ſubſtantia Dei, non operaretur in Terra, aut in Inferno, niſi ibi eſſet: unde *Pſalmo* 138. ſæpe laudato pro ratione, quare Deus ſit in Cœlo, & in Inferno adſit, adducitur ejus *manus*, & *dextera*, ejus nimirùm operatio. Hinc nec poſſet efficaciter velle, nec practicè operari in illis locis, & in illis non eſſe; quia cùm operatio ſtatuat Deum præſentem ubi operatur, velle operari, & non eſſe in eo, in quo operatur, eſſet velle duo contradictoria, ſcilicet non eſſe ibi, & eſſe ibi: ſicut qui vellet ſuâ quantitate tangere locum, & ibi non eſſe, vellet ibi eſſe, & non eſſe ibi.

XVI. Objicit tertiò. Si per impoſſibile daretur aliquod ens non productum à Deo, Deus ratione immenſitatis eſſet illi præſens, & ab eo indiſtans; ergo non colligitur ejus præſentia ex operatione. Antecedens probatur. Nam ens illud non productum eſſet alicubi; ſed immenſitas Dei, utpote infinita, ad omnia ſe extendit; ergo &c.

XVII. Reſpondeo, negando abſolutè antecedens, ſumtum de præſentia, & indiſtantia poſitiva. Sicut enim ſi ab aqua exiſtente in vaſe ſepararetur per impoſſibile, vel poſſibile quantitas, non eſſet ampliùs in vaſe tanquam in loco poſitivè, quia deficeret illi quantitas, ratione cujus tangit ſuperficiem corporis ambientis, & eſt in vaſe tanquam in loco: ità cùm operatio ſit ratio, quâ Deus tangit Creaturas, & eſt in illis, ſi reſpectu alicujus creaturæ Deus non operaretur, non adeſſet poſitivè illi, ſed ad ſummum fundamentaliter, & negativè. Verùm hoc idem argumentum in adverſarios converto. Si enim per impoſſibile Deus non eſſet immenſus, ſi tamen produceret aliquam creaturam, illi fieret præſens; ergo non eſt illi præſens ratione immenſitatis, ſed operationis.

XVIII. Sed dices. Omnipotentia, cujus actus eſt operatio, eſt attributum diſtinctum ab Immenſitate, cujus actus eſt eſſe ubique: illa enim pertinet ad lineam operandi, iſta ad lineam eſſendi; ſi ergo Deus non operaretur in creatura, dummodò eſſet immenſus, adhuc eſſet in illa.

XIX. In hoc diviſos invenio D. Thomæ diſcipulos. Non pauci volunt, Immenſitatem non eſſe attributum diverſum, ſed munus inadæquatum omnipotentiæ; eſto enim operari, & eſſe abſolutè fundent lineas diverſas; non tamen operari, & eſſe in rebus; nam Deus non eſt in rebus, niſi per operationem. Et iſti negant antecedens.

Alii autem admittunt antecedens, permittentes, Immenſitatem, & omnipotentiam eſſe duo attributa virtualiter diverſa; Immenſitatem tamen non eſſe rationem Deo actu exiſtendi in rebus, quia Deus ab æterno immenſus fuit, etſi in nulla creatura eſſet. Eſt ergo immenſitas ratio formalis in actu primo, per quam poteſt in rebus exiſtere, ſuppoſito, quòd eas Deus producat; unde iſti volunt immenſitatem præcedere operationem, ſicut actus primus actum ſecundum. Ego autem hac in re duo diſtinguerem: nimirùm ipſam formalem præſentiam omnibus rebus, ſeu ubiquitatem, & hanc dicerem eſſe actum proprium

Digitized by Google

prium immenſitatis, cujus actus eſt ſiſtere Deum præſentem omnibus locis: & inſuper rationem proximè fundantem talem præſentiam, & hanc dicerem eſſe ipſam operationem, ſeu contactum virtutis, quâ Deus tangit res, eas creando, vel in eis operando, quod eſt proprium omnipotentiæ; & juxta hoc reſponſum omnipotentia, ejuſque operatio præcedit, Immenſitas vero, ejuſque exercitium ſubſequitur. Sic etiam in Corporibus prius naturâ eſt tangere locum per quantitatem, quàm eſſe in loco præſentem, ſeu ubicatum, cùm hoc fundetur in illo. Hinc ſicut Deus ab æterno erat omnipotens, quamvis extra ſe actu nihil operaretur, ſic erat immenſus, quamvis nulli extra ſe actu præſens eſſet.

XX. Objicit quartò. Prius eſt, aliquid eſſe, quàm operari; ergo prius eſt eſſe in loco, quàm operari in loco.

Reſpondeo, negando conſequentiam, quam inſto ſic. Priùs intelligitur corpus eſſe, quàm eſſe ubicatum: ergo ne priùs intelligitur corpus eſſe in loco, quàm eſſe ubicatum in illo? ſicut ergo hoc non valet; quia eſſe ubicatum, ſeu eſſe quantum eſt id, quo res corporalis ponitur in loco: ità nec valebit in noſtro caſu, quia operatio eſt ratio fundans præſentiam Dei in rebus.

§. III.

An Deus actu ſit in ſpatiis imaginariis.

XXI. PEr ſpatia imaginaria intelligunt Theologi immenſa quædam ſpatia vacua, & inania, quæ imaginamur eſſe extra Cœlos, quæque poſſent repleri corporibus, ſi Deus ibi, ut poteſt, illa produceret. Sic ante hujus Univerſi fabricam fingimus, fuiſſe quandam vaſtitatem inanem, & vacuum in ſpatio, quod nunc occupat Univerſum. De utroque hoc ſpatio imaginario quærimus, an Deus ſit, vel fuerit in illo actu, & formaliter præſens. Seu, an Deus de facto fuerit in his ſpatiis, in quibus eſt modò Univerſum, antequam Mundum conderet, & an modò actu ſit extra Cœlos, ubi adhuc nihil produxit. Hoc ut meliùs explicem,

XXII. Noto, Deum dupliciter poſſe eſſe extra Cœlos, & in ſpatiis imaginariis. Primò actu, & poſitivè, ità, ut ſit actualiter, & poſitivè præſens illis ſpatiis imaginariis, quæ fingimus fuiſſe ante mundum, vel modò extra mundum, eo pacto, quo præſens eſt modò toti huic Univerſo. Alio modo negativè tantùm, & fundamentaliter, quatenùs vis locativa Dei non coarctatur ad hunc Mundum, ſed eſt potens alios, & infinitos Mundos ſuâ ſubſtantiâ replere, ſi placeret illos condere.

XXIII. An extra Mundum inane ſpatium adſit, dubitatum à Veteribus Philoſophis fuit, ut oſtendit Euſebius *lib. 15. de præparat. Evang.* cap. 40. *Pithagorei enim extra Mundum inane ſpatium eſſe volunt, quo Mundus, atque undè reſpiret. Stoici infinitum, & immenſum aliquod, in quod Mundus ipſe conflagratione diſſolvatur. Poſſidonius non infinitum quoddam, ſed ejuſmodi tantum, quod ei diſſolutioni ſufficiat, ut docet libro de Inani primo. Ariſtoteles Inane quicquam eſſe negat: & Plato tàm extra, quàm intra Mundum, Inane repudiat.* Hæc Euſebius. Et certè Ariſtoteles *lib. 1. de Cœlo cap.* 3. neque Corpus extra Cœlum poſſe eſſe, dicit, neque locum, neque vacuum, neque tempus. Plato etiam in Phædro Steſichorum narrantem inducit, ſupra Cœlum quandam eſſe regionem amæniſſimam, cujus pulchritudo verbis explicari nequeat. Hanc tamen ſententiam Cleomedes reprobavit, adſerens, extra Cœlos dari vacuum quoddam nullo Corpore repletum. Hoc ergo ſuppoſito.

XXIV. Dico primò. Deus eſt in ſpatiis imaginariis fundamentaliter, & negativè. Immenſitas enim, ſeu vis repletiva Dei non coarctatur, cum ſit infinita, intra ambitum, & anguſtias hujus

Digitized by Google

hujus univerſi. Ideoque 3. *Regum* 8. 27. ait Salomon *Si Cœlum, & Cœli Cœlorum te capere non poſſunt, quantò magis Domus hæc, quam ædificavi*. Et *Job. cap.* 22. 12. *An non cogitas, quòd Deus excelſior Cœlo ſit, & ſuper ſtellarum verticem ſublimetur?* Hoc oſtendunt dicta omnia Sanctorum, quæ inferiùs adducemus.

XXV. Dico ſecundò. Deus non eſt actu, & poſitivè extra Cœlos in locis, ſeu ſpatiis imaginariis, neque poſitivè fuit in ſpatio hoc, antequam Univerſum conderet. Eſt communis etiam apud Scotiſtas, quamvis aliqui etiam ex noſtris diſſideant. Tenenda tamen eſt hæc ſententia, quia conformis SS. Patribus, qui ad illam interrogationem, ubinam Deus eſſet, antequam mundum creaſſet? reſpondent, fuiſſe tantùm in ſe ipſo. Sic Tertullianus *lib. adverſùs Praxeam cap.* 5. *Ante omnia* (inquit) *Deus erat ſolus, & ipſe ſibi, & mundus, & locus, & omnia*. Sic D. Auguſtinus in Pſalm. 122. *Antequam* (inquit) *faceret Deus Cœlum, & terram, ubi habitabat? In ſe habitabat, Deus apud ſe habitabat, & apud ſe eſt Deus*. Et S. Bernardus *lib.* 5. *de Conſider.* cap. 6. *Ubi erat, antequàm mundus fieret, ibi eſt. Non eſt, quòd quæras ultra, ubi erat: præter ipſum nihil, nihil erat; ergo in ſe ipſo erat.*

XXVI. Accedit D. Thomas in 1. *diſt.* 37. *qu.* 2. *art.* 3., ubi quærens *utrum eſſe ubique conveniat Deo ab æterno*, reſpondet negativè, cujus prima ratio eſt iſta: *In quocumque eſt aliquid, illud oportet eſſe: quia in nihilo nihil omnino eſt. Sed neque locus, neque aliqua res ab æterno fuerunt; ergo neque Deo ab æterno convenit ubique, vel in rebus eſſe*. Secunda ratio S. Doctoris eſt. *Cùm dicitur, Deus eſt ubique, importatur quædam relatio Dei ad creaturam, fundata ſuper aliquam operationem, per quam Deus in rebus dicitur: omnis autem relatio, quæ fundatur ſuper aliquam operationem in creaturas procedentem, non dicitur de Deo, niſi ex tempore: ſicut Dominus, & creator, & hujuſmodi: quia hujuſmodi relationes actuales ſunt, & exigunt, actu eſſe utrumque extremorum, ſicut ergo non dicitur operari in rebus ab æterno: ità nec eſſe in rebus, quia hoc operationem ipſius deſignat.*

Ejuſmodi S. Doctoris rationes applicari poſſunt ad ſpatia, quæ mundo jam condito, extra mundum imaginamur. Nam in nihilo nihil omnino eſt; ſed neque locus, neque aliqua res extra mundum eſt; ergo &c. Deinde relatio præſentiæ Dei in rebus fundatur in operatione in creaturas procedente; ſed in ſpatiis, quæ imaginamur extra mundum, nulla à Deo actio in Creaturas procedit; ergo in illis Deus non habet actualem poſitivam præſentiam. Hinc apparet, quantum recedant à Doctrina S. Magiſtri Thomiſtæ, qui contrarium opinantur.

XXVII. Objiciunt tamen primò multas Sanctorum Patrum auctoritates, qui videntur dicere, & loqui pro ipſis. Gregorius *lib.* 2. *moral.* cap. 12. *Ipſe* (inquit) *manet intra omnia, ipſe extra omnia*. S. Auguſtinus *ſerm.* 1. *de Verb. Apoſt.*, nunc *ſerm.* 384. vocat Deum *ultra omnia, extra omnia, præter omnia*. Idem Hilarius *lib.* 1. *de Trinitate num.* 6. Idem Nazianzenus *orat.* 34. Idem alii.

XXVIII. Verùm Patres illis non favent. Vel enim loquuntur, non de ſpatiis ante mundum, vel extra mundum, ſed de rebus ipſis creatis, intra quas eſt Deus, quia illis adeſt, extra quas, quia in illis non concluditur, ſed eas continet, ſupra illas excellentiâ, & dignitate, ut Gregorius, Auguſtinus, & Hilarius. Vel ſi loquantur de Deo ante rerum creationem, ut loquitur Nazianzenus, qui quærit, ubi fuerit Deus ante conditum Univerſum, ſolùm vult, Deum non eſſe in Univerſo, ſicut in loco à quo circumſcribatur, quia erat ante Univerſum, utique in ſe ipſo. Uno Verbo. Omnes Patres eò collimant, ut Dei immenſitatem ad hujus Univerſi anguſtias oſtendant non eſſe coarctatam, ſed ultra illas protendi, non qui-

quidem actuali, & poſitivâ præſentiâ in rebus, quæ non ſunt, ſed præſentiâ ſuæ potentiæ, & negativâ; quod in prima adſertione confeſſi ſumus.

XXIX. Sed dicunt. S. Thomas 3. *p. qu.* 52. *art.* 3. *ad* 3. ait: *Nec omnia loca ſimul accepta ejus* (Dei) *immenſitatem comprehendere poſſunt, quinimò ipſe ſuâ immenſitate omnia comprehendit.*

Reſpondeo, D. Thomam ibi non loqui de ſpatiis imaginariis, ſed ſolùm adſignare differentiam inter modum, quo Deus eſt in rebus, & modum, quo aliquid circumſcriptivè eſt in loco; cùm hoc *ſi totum ſit alicubi, nihil ejus ſit extra:* at Deum nec omnia loca ſimul comprehendere poſſunt, *quinimò ipſe omnia comprehendit*, quia ab illis non coarctatur, neque in illis continetur, ſed ea continet, & in pluribus aliis, imò infinitis eſſet, ſi ea condidiſſet.

XXX. At replicant. S. Doctor *quodlibet.* 11. *art.* 1. *Deus* (inquit) *non ſolùm eſt in illis, quæ ſunt, fuerunt, & erunt, ſed etiam illis, quæ poſſunt imaginari eſſe.*

Reſpondeo, D. Thomam eo in loco velle oſtendere, virtutem Dei locativam eſſe infinitam, ideòque non reſtringi ad ea, quæ ſunt, ſed extendi etiam ad ea, quæ imaginari poſſunt, non quia in loco imaginabili Deus actu ſit, ſed quia non poſſumus imaginari locum, aut rem aliquam, in qua Deus actu non ſit: quod eſt ſolùm velle, Dei immenſitatem non coarctari à rebus, quæ ſunt; unde *lib.* 1. *de Cœlo lect.* 21. dicit, *Deus dicitur eſſe extra Cœlum: non tanquam in loco, aut vacuo, ſed quia non continetur, aut clauditur ſub continentia rerum corporalium.*

XXXI. Objiciunt ſecundò. Non debet negari Deo ratione immenſitatis, quod concederetur corpori infinitæ magnitudinis, ſi daretur; ſed hujus corporis tanta eſſet extenſio, ut omnia loca etiam imaginaria repleret; ergo tanta eſt extenſio immenſitatis, ut repleat omnia loca etiam imaginaria.

XXXII. Confirmant. Poteſt Deus conſtituere aliquod corpus quantum ſupra ultimum, & ſupremum Cœlum, ita, ut pedes habeat ſupra ſphæram illius ultimi Cœli, cæteras verò partes extra illam expanſas, & erectas, vel aſſidentes, ut de Corpore Chriſti videtur innuere S. Paulus *ad Epheſ.* 4. *qui aſcendit ſuper omnes Cœlos*, ſed in hoc caſu corpus illud haberet plures partes locatas in ſpatio, quod imaginamur ſupra Cœlos; ergo multò magis Deus.

Reſpondeo primò diſt. min., repleret poſitivè, quaſi habens præſentiam realem, & phyſicam ad ſpatia illa imaginaria, nego min. Hæc enim reſultat ex ſuperficie loci ambientis locatum: nullus autem in ſpatiis imaginariis eſſet corpus, aut locus ambiens, imò nec eſſe poſſet, cùm corpus illud infinitum omnia loca etiam imaginaria replens, locum cuicumque alteri corpori non relinqueret. Repleret quaſi negativè, ideſt ratione ſuæ infinitatis non ità contineretur intra mundum, quin ad alterius mundi, ſi conderetur, ſpatium non poſſet ſeſe extendere, concedo min. Idem de Dei immenſitate dicimus. Quo etiam ſolvitur confirmatio adducta: Nam corpus illud ſupra Cœlos poſitum eſſet in loco negativè tantùm, non poſitivè. Cæterùm quod dicitur de Corpore Chriſti, *Nunquid* (ait S. Hieronymus in cap. 4. ad Epheſ.) *corporaliter omnes Cœlos, & univerſas ſublimitates, & Cœlorum circulos, quos Philoſophi ſphæras vocant, tranſiens, atque tranſcendens, ſtetit in ſummo Cœli fornice, & ut ipſo verbo utar, apſide? An certè omnia corporalia contemnens, atque deſpiciens, & æterna contemplans, ſuper Cœlos, ideſt ſuper inviſibilia ſtetiſſe, credendus eſt? quod ego meliùs puto.* Hæc D. Hieronymus. Quo ſuppoſito exemplum de Corporis Chriſti aſcenſu ſuper Cœlos non eſt ad rem.

XXXIV. Reſpondeo ſecundò, inter corpus illud infinitum, & divinam immenſitatem fore quidem ſimilitudinem, quantum ad vim repletivam loci, quia ſicut

Digitized by Google

ſicut corpus infinitè extenſum haberet vim repletivam cujuſque ſpatii, etiam imaginarii, ità, ut à nullo concluderetur; ità Immenſitas Dei, quia infinita, habet vim repletivam cujuſque ſpatii, ità, ut à nullo coarctetur, ſed extra omnia ſeſe effundere, & extendere queat. Fore tamen diſſimilitudinem, quantùm ad actualem repletionem, ſeu occupationem ſpatii, ſeu loci, in hoc, quòd corpus, cùm ſit poſitivè, & actu in loco ratione quantitatis, & independenter ab operatione, ſi eſſet infinitum, quamvis nullibi operaretur, eſſet tamen aliquomodo præſens, & omnia ſpatia repleret; at immenſitas non ponit Deum actu præſentem rei, ſeu loco, niſi ratione operationis, quâ aliquid ad extra producit: quare, cùm in ſpatiis imaginariis nihil operetur, ideò in illis actu Deus non eſt.

XXXV. Dices. Antequam Deus operetur eſt immenſus; ſed effectus proprius Immenſitatis eſt reddere Deum præſentem rebus; ergo antequam operetur, Deus eſt præſens rebus.

Reſpondeo ex dictis, effectum proprium immenſitatis, ut attributum eſt, non eſſe facere Deum actu præſentem rebus, hoc enim unicè, & immediatè ab operatione eſt: Sed effectum proprium immenſitatis eſſe reddere Deum ità infinitum in replendo locum, ut nulli loco alligetur, & à nullo coarctetur, ſed poſſit in quocumque ſpatio imaginabili eſſe, ſi ibi velit operari; ſicut omnipotentia Deum non conſtituit actu producentem creaturas, ſed ipſum conſtituit ità infinitum in producendo, ut ſi velit producere, poſſit eas producere in infinitum, & nulla ſit producibilis, quæ ab eo produci non poſſit.

XXXVI. Objiciunt tertiò. Si Deus in ſpatio imaginario, in quo nunc non eſt, aliquid produceret, inciperet eſſe in illo, & ſic Deus mutaretur, quia acquireret novam præſentiam. = Rursùs ſi Deus in ſpatiis imaginariis produceret duo corpora inter ſe diſtantia, vel Deus eſſet in illo ſpatio medio inter illa, vel non? Si primum; ergo Deus eſſet in ſpatio imaginario. Si ſecundum; ergo divina ſubſtantia quodammodo eſſet diſcontinvata: eſſet enim in utroque corpore, & non in medio. Prætereà ponatur lapis in ſpatiis imaginariis: ſi Deus eſſet in illo lapide, & non in ſpatiis illis, moveretur per accidens ad motum illius lapidis, ſicut Nauta movetur ad motum Navis.

XXXVII. Reſpondetur ad primum, quòd Deus non mutaretur, quia ſicut incipit eſſe homo ſine ſui mutatione, quia factus fuit homo, non accipiendo aliquid ab humanitate, ſed illi communicando eſſe ſuum; ità ſi inciperet de novo eſſe in aliquo loco, ſeu re, non mutaretur, quia inciperet in illa eſſe, non per mutationem ſui, ſed per mutationem ipſius rei, in quam ageret. Sic abſque ſui mutatione incepit eſſe creator, Dominus &c.

Ad ſecundum dico, quòd Deus non eſt in loco ad modum corporum, ſed ad modum ſpiritus: eſto autem corpus diſcontinuetur, ſi ſit in extremis, & non in medio, non tamen ſpiritus; quia diſcontinuari eſt proprium ſolius rei quantæ, diviſibilis, & modo extenſo, ac diviſibili exiſtentis: ut patet in Corpore Chriſti exiſtente in duabus hoſtiis diſtantibus, quod licèt non ſit in medio, non diſcontinuatur tamen, quia eſto ſit corpus, & quantum, modo tamen diviſibili, & quanto in illis non eſt.

Ad Tertium dico, quòd ſicut anima non movetur localiter ad motum manus, quia anima, non in ſola manu, ſed in qualibet parte corporis eſt. Sic Deus quia non eſſet definitivè in illo lapide, ſed etiam eſſet in omni alio loco, & parte hujus mundi, neque ut contentus, ſed ut continens, non diceretur moveri ad motum lapidis, ſed potiùs motum lapidis cauſare: movetur quidem nauta ad motum navis, quia nauta eſt circumſcriptivè in navi, ut non ſit alibi, & continetur à navi, non continet navem.

DU-

Digitized by Google

DUBIUM VI.

An Deus ſit omnino immutabilis.

§. I.

Statuitur veritas.

I. CUm tripliciter dici poſſit aliquid mutabile, nempe quoad eſſe, ſeu quoad entitatem, quoad formam, & quoad operationem, hoc triplici modo eſſe poteſt aliquid immutabile. Primò quoad *eſſe*, quia ſcilicet nec poteſt tranſire de non eſſe ad eſſe, nec de eſſe ad non eſſe. Secundò etiam quoad formam, quia nempe non poteſt tranſire de una forma ad aliam formam, nec de una qualitate ad aliam qualitatem. Tertiò quoad operationem intellectus, & voluntatis, quatenùs una actio non poteſt ſuccedere alteri, aut una eſſe alteri contraria, vel alio modo ſe habere, ac altera. Quærimus, an Deus omnibus prædictis modis ſit immutabilis.

II. Dico. Deus eſt omnino immutabilis quoad *eſſe*, quoad formas, & quoad actiones intellectus, & voluntatis. Eſt contra Conradum Worſtium, qui inter cæteras hanc blaſphemiam evomuit: *Deus eſt mutabilis*. Quoad ſingulas partes eſt de fide. Pro prima quidem conſtat ex illo Exodi 3. *v.* 14. *ego ſum qui ſum. Qui eſt miſit me ad vos*. Eſto autem qui habet eſſe, & non eſt ipſum eſſe per eſſentiam, poſſit de novo acquirere, aut deperdere eſſe, ille tamen, qui eſt ipſum eſſe, eſſentialiter, & neceſſariò eſt; ſicut eſto quod eſt calidum, de calido in non calidum, aut de non calido in calidum tranſire poſſit: non ſic tamen ipſe calor, qui eſſentialiter calidus eſt. Cùm ergo Deus ſit ipſum eſſe per eſſentiam, eſt immutabilis quoad eſſe: unde, *Pſalm.* 101. *v.* 28. dicitur *tu autem idem ipſe es, & anni tui non deficient*. Et 1. *Timoth.* 6. *v.* 16. *Qui ſolus habet immortalitatem*

III. Secunda etiam pars probatur. Si enim Deus eſt ipſum eſſe in genere eſſendi infinitus; ergo nullâ caret, ſed omnem actu continet perfectionem cujuſcumque generis; quod autem quoad formam mutabile eſt, ſupponitur carere aliquâ formâ, & ad illam tranſire poſſe. Rursùs Deus non eſt compoſitus, aut ex materia, & forma, aut ex ſubſtantia, & accidente: ſed eſt forma ſimpliciſſima, & actus puriſſimus in omni genere. Pariter omnis mutatio, aut eſt in ſtatum meliorem, aut deteriorem, aut parem; ſed nullo iſtorum modorum divina natura mutabilis eſt: non in meliorem, quia perfectiſſima eſt: non in deteriorem, quia à ſemetipſa eſt: non in æqualem, quia omni modo perfecta eſt. Ità Richardus a S. Victore *lib.* 2. *de Trinit. cap.* 3.

Prætereà omne, quod mutatur, vel mutatur ab alio, vel à ſe ipſo: non ab alio Deus mutatur, quia *omne, quod mutatur, eo, quod mutat, imbecillius eſt, quia hoc agit, illud patitur*: non à ſeipſo, quia *quidquid à ſe ipſo mutatur, vel in melius, vel in deterius mutatur*; Porrò nihil ſpontè ſuâ in deterius mutatur, hoc enim inſcitiam argueret; quod autem in melius mutatur, id eligit, quia ante mutationem melioris boni indigens erat. Nullum autem horum Deo convenire poteſt. Hanc rationem urget Proclus in *Comment. ad Rempubl. Platonis*

IV. Tertiam partem teſtantur ſepè ſcripturæ. *Num.* 23. v. 19. *Non eſt Deus quaſi homo, ut mentiatur, nec ut filius hominis, ut mutetur: dixit ergo, & non faciet? locutus eſt, & non implebit?* Pſalm. 32. v. 11. *conſilium Domini in æternum manet: cogitationes cordis ejus in generatione, & generationem*. Malach. 3. *v.* 6. *ego Deus, & non mutor &c.* Addo, quòd ſi Deus mutaretur quoad cognitionem, vel cognoſcendo aliquid de novo, vel novo modo, haud dubiè illud antea ignoraſſet, aut non perfectiſſimè noviſſet. Pariter ſi deſineret, aliquid, vel alio modo cognoſcere,

Digitized by Google

jam in eo, vel inciperet illius rei ignorantia, aut anteà fuiſſet imperfecta illius rei notitia. Si quoque mutaretur ejus voluntas, eſſet in eo ſaltem levitas, & inconſtantia, ſi nullâ novâ ratione id faceret, ſi verò aliquâ novâ ratione ductus mutaret voluntatem, jam ſequeretur, quòd ea ratio noviter innoteſceret Deo, cujus antea ignorantiam habuiſſet, quæ omnia Deo indigna ſunt. Verùm de Scientiæ, & Voluntatis divinæ immutabilitate aliqua addemus *in Tractatu de Scientia, & Voluntate Dei*.

§. II.

Solvuntur contraria.

V. Primò argui poteſt, Deum in Incarnatione mutatum fuiſſe, quùm novum *eſſe* induerit, dicente Joanne *c.* 1. *v.* 14. *Verbum* (quod ſuperiùs dixerat, eſſe Deum) *Caro factum eſt*. Et S. Paulo Philipp. 2. *v.* 7. *cùm in forma Dei eſſet .... ſemetipſum exinanivit, formam ſervi accipiens*. Fieri autem carnem, accipere novam formam hominis, ſine mutatione contingere poſſe, non apparet.

VI. Sed ad hoc fuſiùs, cùm de poſſibilitate Incarnationis agetur. Interim ſufficiat, Verbum non fuiſſe factum carnem, neque formam hominis accepiſſe, per converſionem divinitatis in carnem, vel è converſo, ſed per aſſumtionem humanitatis in Deum, eam elevando ad eſſe divinum: quò ſequitur quidem mutatio in humanitate aſſumta, ſed non in Deo aſſumente. De hoc ſubtiliter agit S. Auguſtinus *lib.* 83. *quæſt. q.* 73., ubi poſtquam uberrimè explicuit, Verbum factum fuiſſe hominem, *non transfiguratione in hominem, ſed habitu ... cùm indutus eſt homine, quem ſibi uniens quodammodo, atque conformans, immortalitati, æternitatique ſociaret*, & hoc Apoſtolo inhærens dicenti, *& habitu inventus ut homo*. Deinde ſubdit: *Quo nomine oportet intelligi, non mutatum eſſe Verbum ſuſceptione hominis, ſicut nec membra veſte induta mutantur: quanquam illa ſuſceptio ineffabiliter ſuſceptum ſuſcipienti copulaverit. Sed quantùm verba humana rebus ineffabilibus coaptari poſſunt, ne mutatus intelligatur Deus humanæ fragilitatis aſſumtione, electum eſt, ut græcè* xima, *& latinè diceretur* habitus *illa ſuſceptio*.

VII. Secundò objici poteſt. Fides docet, generationem filii eſſe in Deo; ſed generatio filii eſt mutatio; ergo &c.

Reſpondetur pro nunc (ut dicetur fuſiùs de Trinitate) generationem, quæ eſt in divinis, eſſe puram originem ſine ulla mutatione: omni enim mutatione fit, ut quod non erat, vel poterat non eſſe, incipiat eſſe, vel quod erat, deſinat eſſe; generatione autem divinâ Filius accipit ab æterno eſſe à Patre, & tale eſſe, quod non poterat non eſſe, & quod nunquam poteſt ullo modo perdere.

VIII. Tertiò objici poteſt, multa in ſcripturis de Deo dici, quæ ſine mutatione ſaltem accidentali percipi non poſſunt, ut appropinquare, recedere, deſcendere, aſcendere, ambulare, quæ ſine motu percipi nequeunt. Similiter animi perturbationes, & affectiones humanis ſimiles, ut iraſci, pœnitere, deſiderare, miſereri &c.

De his aliqua ſuperiùs diximus. Nunc repeto. Ea, quæ motum ſapiunt, tribui Deo, non propriè, ſed figuratè, nimirum propter certos effectus, quos operari incipit in iis locis, vel hominibus, ad quos accedere, vel recedere dicitur. Sic appropinquare dicitur nobis, quando exhibet ſe favorabilem, ac propitium, recedere verò à nobis, quando gratiam ſubtrahit: ſicut Sol accedere dicitur, & recedere, quatenùs ejus ad nos lux pertingit, vel pertingere deſinit. Dicitur deſcendiſſe *Gen.* 11., & 18., quia in uno loco operaturus erat confuſionem linguarum, in alio ſubverſionem Sodomorum. E' Cœlo quoque deſcendit in Incarnatione, non quaſi Cœlum deſeruerit, ſed quia in terris cæpit eſſe homo,

Digitized by Google

homo, quod non fuerat in Cœlo. Ambulaſſe demùm dicitur in humana forma, quâ Adæ ſe præſentavit.

Sic etiam dicitur miſereri, quando miſeriam auſert, aut pœnam remittit, aut beneficium tribuit, quod faciunt miſericordes. Pœnitere, quando deſtruit opus, quod ante fecerat: quod ij, quos pœnitet, facere ſolent. Iraſci, quando punit, quod irati faciunt. Deſiderare dicitur, dùm nobis largitur media ad finem. Recordari hominum, cùm eis beneficium conſolationis impendit. Obliviſci verò, dùm finit affligi; è contra peccatorum recordari dicitur, dùm ea punit; obliviſci, dùm ea non punit.

IX. Quartò objicies. Ille mutatur, qui de non producente tranſit in producentem, quia tranſit de potentia ad actum; Sed Deus de non producente mundum tranſiit in tempore in producentem mundum; ergo &c.

Confirmatur. Qui novam acquirit denominationem, quam priùs non habuit, iſte mutatur; ſed Deus, producto in tempore mundo, novam acquiſivit denominationem Domini creaturarum, quâ antea carebat. Unde Sanctus Auguſtinus *lib. 5. de Trinitate* cap. 16. *Certè* (*ait*) *ut Dominus hominis eſſet, ex tempore accidit Deo.*

X. Hoc argumento, quo Gentiles Philoſophi urgebant Chriſtianos, ut teſtis eſt S. Auguſtinus *lib. 12. de Civit. Dei cap. 17.*, victus Origenes *lib. 1. de principiis cap. 2.* erroneè exiſtimavit, ab æterno Deum hanc rerum univerſitatem creaſſe. Quod ante Origenem dixerat Hermogenes à Tertulliano integro libro confutatus, quòd adſereret, materiam Deo coæternam fuiſſe.

Reſpondetur tamen diſtinguendo majorem, qui tranſit &c., per novum actum, quem non ſemper habuit, conced. majo., per actum eundem, quem ſemper habuit actu, nego majo., & ſimiliter diſtinctâ min. nego conſequ. Deus ab æterno voluit mundi creationem, non pro æterno quidem, ſed pro tempore reſpondente æternitatis virtuali inſtanti, quo ſtatuit, eum producere: unde factus eſt producens, non novâ actione, ſed novâ mundi producti exiſtentia. Reſponſio eſt S. Auguſtini loco citato dicentis: *Sed etſi priùs ceſſavit, & poſteriùs operatus eſt... hoc procul dubio, quod dicitur prius, & poſterius in rebus priùs non exiſtentibus, & poſteriùs exiſtentibus, fuit. In illa autem non alteram præcedentem, altera ſubſequens mutavit, aut abſtulit voluntatem: ſed unâ, eâdemque ſempiternâ, & immutabili voluntate res, quas condidit, & ut priùs non eſſent egit, quamdiù non fuerunt, & ut poſteriùs eſſent, quando eſſe cœperunt. Hinc eis, qui talia videre poſſunt, mirabiliter fortaſſis oſtendens, quàm non eis indiguerit, ſed eas gratuitâ bonitate condiderit, cùm ſine illis ex æternitate initio carente in non minori bonitate permanſit.*

Cùm ergo actio Dei, ejus nempe voluntas, ſit æterna, non ſequitur, quòd Deus fuerit cauſa in potentia ad actionem, niſi referatur potentia ad effectum: quâ conſideratione non eſt abſurdum dicere, quòd fuit cauſa potentiâ (activâ tamen); Quod admittit D. Thom. 1. *p. qu.* 25. *art.* 1. *ad* 3. dicens: *Potentia in rebus creatis non ſolùm eſt principium actionis, ſed etiam effectus. Sic igitur in Deo ſalvatur ratio potentia quantùm ad hoc, quod eſt principium effectus, non autem quantùm ad hoc, quod eſt principium actionis.*

XI. Ad confirmat. reſpondeo, maj. veram eſſe de nova denominatione abſoluta, non verò de relativa; hæc tantùm petit mutationem in alterutro extremorum. Talis autem eſt denominatio Domini, quæ ex mutatione Creaturarum ad eſſe, & relatione ſervitutis ad ipſum conſurgit; ſicut etiam denominatio Creatoris ex relatione Creaturæ ad eum: quin aliquid intrinſecum Deo accedat. Videndus eſt D. Tho. infra *qu.* 13. *art.* 7. Videndus etiam eſt D. Auguſtinus *lib.* 5. *de Trinitate cap.* 16., ubi fusè hoc explicat, & maximè exemplo nummi. *Nummus autem*, inquit, *cùm dicitur pretium, relativè*

tivè dicitur, nec tamen mutatus eſt, cùm eſſe capit pretium, neque eùm dicitur pignus, & ſi quæ ſunt ſimilia. Si ergo nummus poteſt nullâ ſui mutatione totiens dici relativè, ut neque cùm incipit dici, neque cùm deſinit, aliquid in ejus naturâ, vel formâ, quâ nummus eſt, mutationis fiat; quantò faciliùs de illa incommutabili Dei ſubſtantia debemus accipere, ut ità dicatur relativè aliquid ad creaturam, ut quamvis temporaliter incipiat dici, non tamen ipſi ſubſtantiæ Dei accediſſe aliquid intelligatur, ſed illi creaturæ, ad quam dicitur? Subinde proſequitur, oſtendendo, Deum dici refugium noſtrum relativè, non quia ipſe, ſed quia nos ad eum confugiendo evadimus meliores. *Sic Pater noſter eſſe incipit, cùm per ejus gratiam regeneramur. Subſtantia itaque noſtra mutatur in melius, cùm filii ejus efficimur &c.*

XII. Quintò objicies contra tertiam partem. Deus multa prædixit, quæ non evenerunt, ut 4. *Regum* 20. *v.* 1., quòd Ezechias eſſet ſtatim moriturus, & *Jonæ* 3. *v.* 4., quòd Civitas Ninive poſt quadraginta dies eſſet ſubvertenda. Si autem Deus hæc prædixit, ſignum eſt, quòd ea evenire voluerit, & cùm non evenerint, ſignum eſt, quòd voluntatem mutavit.

Reſpond., Deum triplici modo aliqua prædicere. Primò prædicit, aliqua abſolutè eventura, & hæc ſemper eveniunt, ut cùm prædixit adventum Chriſti. Secundò aliqua prædicit eventura ſub conditione, & hæc, ſi ponatur conditio, eveniunt, ſi non ponatur, non eveniunt. Tertiò alia prædicit futura ſecundùm curſum cauſarum naturalium, & hæc eveniunt, ſi Deus operetur ſecundum curſum earum, non eveniunt, ſi nolit ſecundùm curſum earum operari. Quando ergo prædixit ſubverſionem Ninive, prædixit ſub conditione; quòd Ninivitæ non agerent pœnitentiam, quam cum egiſſent, ſubverſio non evenit. Mortem verò Ezechiæ ſecundùm curſum cauſarum naturalium prædixit, & certè naturaliter fuiſſet moriturus, ſi Deus illas agere permiſiſſet, & eum non præſervaſſet. Quare in forma diſt. min., quod evenire voluerit, vel abſolutè, vel ſub conditione, conc. min., ſemper abſolutè, nego min.

XIII. Tandem objicies. Deus eſt liber; ergo poteſt voluntatem mutare.

Reſpondetur negando conſequ. Libertas enim, ſi perfectiſſima ſit, non conſiſtit in hoc, quòd, poſtquam aliquid voluit, poſſit decretum mutare: ſed in hoc, quòd ità aliquid velit, ut potuiſſet non velle; & hoc modo Deus liber eſt, quia eſto poſitâ Dei voluntate de aliqua re, ab ea reſilire non poſſit, ſic tamen voluit, & decrevit, ut potuiſſet non velle, & non decernere quæ voluit, ac decrevit. Sed hoc *ad Tractatum de Divina Voluntate.*

DUBIUM VII.

An Deus ſit Æternus.

§. I.

Quid ſit Æternitas.

I. Triplex diſtingui ſolet duratio; Eternitas, Ævum, & Tempus. Inter hæc differentiam adſignaverunt aliqui, quòd Æternitas eſt duratio carens principio, & fine; Tempus habens principium, & finem; Ævum verò habens principium, ſed carens fine. Sed hæc differentia eſt per accidens, & non per ſe, ait D. Thom. 1. *p. q.* 10. *art.* 4. & 5. Quia *dato, quòd tempus ſemper fuerit, & ſemper futurum ſit, ſecundùm poſitionem eorum, qui motum Cœli ponunt ſempiternum, adhuc remanebit differentia inter æternitatem, & tempus. Et ſi etiam ſemper æviterna fuiſſent, & ſemper futura eſſent, ut aliqui ponunt, vel etiamſi quandoque deficerent (quod Deo poſſibile eſſet) adhuc ævum diſtingueretur ab æternitate, & tempore.* Ità D. Thomas laudatis locis.

II. Veriùs ergo cum eodem D. Thoma adſignatur differentia inter æternita-

tatem, ævum, & tempus, dicendo, quòd Æternitas eſt *duratio propria rei omnino immutabilis, tàm ſecundùm eſſe, quàm ſecundùm accidentia*. Ævum eſt *duratio propria rei immutabilis ſecundùm eſſe, mutabilis tamen ſecundùm accidentia*. Tempus verò eſt *duratio propria rei mutabilis tàm ſecundùm eſſe, quàm ſecundùm accidentia*. Hinc fit, ut, cùm Deus ſit immutabilis omnino, ſcilicet tàm ſecundùm eſſe, quàm ſecundum accidentia, ut diximus, propria duratio Dei, ut dicemus, erit æternitas. Cùm autem res iſtæ ſublunares ſint mutabiles non ſolùm ſecundum accidentia, ſed etiam ſecundùm eſſe, propria earum duratio erit tempus. Cùm verò Cœli, & Angeli ſint immutabiles quidem ſecundum eſſe, quia ſuâptè naturâ incorruptibiles, mutabiles tamen, vel ſecundùm locum, vel ſecundùm operationem, propria eorum duratio erit ævum. Nunc de æternitate.

III. Dico. Æternitas *eſt interminabilis vitæ tota ſimul, & perfecta poſſeſſio*. Hanc definitionem tradit Boetius *lib. 3. de conſolat. proſa 2.*, quam probat D. Thomas hac *q. 10. art. 1.* Dicitur primò *interminabilis*, quia æternitas excludit omnem terminum tùm à parte ante, ideſt durationis initium, tùm à parte poſt, ideſt finem. Et non ſolùm excludit initium, & finem, ſeu terminum actualem, ſed etiam poſſibilem. Unde ſi Deus creaſſet Angelum ab æterno, ille non eſſet propriè æternus, æternitate eſſentiali, quia licèt haberet eſſe interminatum, haberet tamen eſſe terminabile, quia potuiſſet non eſſe ab æterno, & habere initium. Dicitur *vitæ*, ut denotetur, habere interminabilem, non ſolùm exiſtentiam, ſed etiam operationes. Ly *tota* indicat, æternitatem non eſſe diviſibilem. Ly *ſimul* oſtendit, eam non habere unam partem durationis poſt aliam, ſed unico *nunc* omnia complecti. Et tandem ly *perfecta poſſeſſio* indicat, æternum poſſidere vitam perfectam, ideſt per eſſentiam, independentem ab alio, & à ſe. Unde ſi daretur aliquod ens ab æterno creatum, non eſſet propriè æternum, quia habuiſſet vitam, & exiſtentiam ab alio participatam, nempe à Deo.

IV. Dices. Æternitas plùs duravit hodie, quàm heri, quia majori tempori coextitit hodie, quàm heri; ergo non eſt indiviſibilis, & tota ſimul.

Reſpondetur negando anteced. Dies enim hodierna nihil addit durationi æternitatis, quia licèt dies hodierna hodie primò fuerit in ſe, non tamen primò fuit reſpectu æternitatis, in cujus capaciſſimo ſinu antequàm eſſet, continebatur. Sicut enim res creatæ, poſtquam creatæ ſunt, nihil addunt perfectionis ſupra Deum, quia tota earum perfectio continetur in Deo; ità neque dies hodierna aliquid addit æternitati, quia dies hodierna ab æterno continetur in æternitate ſimul omnia futura complectente, tanquam menſura ſuperiori. Æternitas namque divina coexiſtit ſimul omnibus differentiis temporis, & non per partes; quemadmodum anima tota ſimul coexiſtit cuilibet parti corporis, & quamvis augeantur partes, ipſa non augetur; Et ſicut centrum indiviſibile coexiſtit omnibus lineis: Sic æternitas; quia non coexiſtit diei hodierno, ut menſura ei adæquata, ſed tanquàm menſura ſuperior, & excedens, ſinu ſuo omnem inferiorem durationem adunans. Homines quidem æternitatem apprehendimus eſſe majorem, quæ majori tempori coexiſtit: Verùm hæc majoritas in æternitate non eſt, ſed in apprehenſione noſtra. Accidit enim nobis circa æternitatem, quod navigantibus accidit. His enim videtur terra moveri, cùm illa quidem maneat immota, ipſi autem moveantur. Similiter nobis, qui modo quodam vehimur tempore, videtur æternitas de minore fieri major, & ſucceſſionem habere, cùm ipſa invariabilis, ac ſine ſucceſſione permaneat: nos verò ſumus, qui fluxui, ac mutationi obnoxii, uti aliæ res hujus mundi, ſucceſſionem recipimus.

Eſſet

Digitized by Google

Eſſet hìc pertractanda celebris quæſtio de futurorum præſentia in æternitate; ſed hanc ad tractatum de Scientia Dei remittimus.

§. II.

Æternitas eſt duratio Dei propria.

V. PRobatur. Æternitas, utpote duratio omnino immutabilis, debet eſſe propria illius, qui prorsùs immutabilis eſt; ſed Deus, ut vidimus, eſt prorsùs immutabilis; ergo &c. Hinc Pſalm. 105. *v.* 28. dicitur *tu autem idem ipſe es, & anni tui non deficient*. Ex quo textu D. Paulus *ad Hebr. cap.* 1. *v.* 12. concludit, Chriſtum eſſe verum Deum, quia eſt æternus. Hoc idem fatetur Darius Perſarum Rex apud Danielem *cap.* 6. *v.* 26. *A me*, inquit, *conſtitutum eſt decretum, ut in univerſo imperio, & regno meo, tremiſcant, & paveant Deum Danielis: Ipſe eſt enim Deus vivens, & æternus in ſæcula.*

VI. Neque mirum, inquit Boetius *lib.* 5. *de Conſolat. proſa* 6., *Deum* enim *æternum eſſe, cunctorum ratione degentium commune judicium eſt*. Id affirmat Tertullianus *lib.* 1. *adversùs Marc. c.* 3. *Quantum*, inquit, *humana conditio de Deo definire poteſt, id definio, quod & omnium conſcientia agnoſcit: Deum ſummum eſſe in æternitate conſtitutum, innatum, infectum, ſine initio, ſine fine: hunc enim ſtatum æternitati cenſendum, quæ ſummum, magnum Deum efficiat.* Etenim, ſi Deus æternus non eſſet, non eſſet id, quo majus cogitari, aut fingi poteſt. Nam ſi Deus non ſit æternus; ergo ab alio originem accepit in tempore; ergo non eſt prima omnium cauſa, & conſequenter nec Deus.

Rursùs ſi Deus ab æterno non fuit, vel aliud ante ipſum fuit, vel nihil. Si aliquid aliud fuit; hoc erit Deo melius, & præſtantius. Si nihil omnino fuit; quomodo iſte Deus, qui ſemper non fuit, cæpit eſſe?

VII. Hoc adeò lumini rationis conſentaneum eſt, ut eſtò Gentiles Poetæ ſuos Deos in tempore genitos, fabulati ſint: unum tamen ab alio prognatum adſeruerint. Nam, ut refert Heſiodus *in Theognia*, Jovem Deorum, hominumque parentem Saturno genitum, Saturnum Cœli filium, Cœlum terrâ editum finxerunt; quos meritò irridet, & redarguit Tertullianus *lib.* 1. *contra Marcion. c.* 8., oſtendens, novitatem deſtruere Deitatem. *Quis Deus novus niſi falſus?* Sapientiores tamen Philoſophi Deos æternos eſſe, ſine initio, & ſine cenſuerunt: unde Thales interrogatus, *quid eſſet antiquiſſimum* (apud Plutarchum *in Convivio*) reſpondit, Deum eſſe, quòd ortu careat. Et Plato *in Timæo* arguit eos, qui *errore ducti partes illas temporis* Erat, & Erit *in æternam ſubſtantiam imprudentes transferunt*. Et Neumenius Pithagoreus apud Euſeb. *lib.* 11. *de Præparat. Evang. cap.* 10. probat, Deum æternum eſſe debere.

VIII. Concludit ergo jure D. Thomas, quòd *Deus non ſolùm eſt æternus, ſed eſt ſua æternitas, cùm tamen nulla alia res ſit ſua duratio, quia non eſt ſuum eſſe. Deus autem eſt ſuum eſſe uniforme: undeſicut eſt ſua eſſentia, ità ſua æternitas*. Ità 1. *p. qu.* 10. *art.* 2. Quibus indicat fundamentale principium, cur ſit æternus, imò ſua æternitas; quia nimirùm eſt *ipſum eſſe*. Nam in ipſo eſſe nihil non entis eſt, aut eſſe poteſt, ſicut in mero nihilo nihil eſt entis. Si ergo Deus cæpiſſet, aut deſineret, priùs non fuiſſet, aut deinceps non eſſet; atque ità ens non entis contagio turparetur. Si fluendo ſemper eſſet, non eſſet poſteriùs idipſum, quod fuiſſet priùs, nec fuiſſet priùs idipſum, quod foret poſteriùs; ergo in non ens deflueret ipſum eſſe, quod ab ejus natura abhorret. Meritò ergo Sanctus Auguſtinus *in Pſal.* 101. ad illa verba: In generatione generationum anni tui. *Anni Dei* (inquit) *æternitas Dei eſt. Æternitas ipſa Dei ſubſtantia eſt, quæ nihil habet mutabile. Ibi nihil eſt præteritum, quaſi jam non ſit; nihil eſt futu-*

Digitized by Google

futurum, quaſi nondùm ſit. Sed non eſt ibi, niſi eſt. Non eſt ibi fuit, & erit, quia & quod fuit, jam non eſt, & quod erit, nondum eſt; ſed quidquid ibi eſt, nonniſi eſt.

IX. Quæres, an æternitas poſſit creaturæ communicari?

Reſpondet D. Thom. hac *quæſt. 10. art. 3. in corp.*, quòd *æternitas verè, & propriè in ſolo Deo eſt. Nam æternitas immutabilitatem conſequitur: Solus autem Deus omnino immutabilis eſt, ut ſuperiùs oſtenſum.* Addit tamen S. Doctor, quòd *ſecundùm quòd aliqua ab ipſo immutabilitatem participant, ſecundùm hoc aliqua æternitatem participant. Quædam ergo quantùm ad hoc immutabilitatem ſortiuntur à Deo, quòd nunquam eſſe deſinunt, & ſecundùm hoc dicitur Eccleſ. 1. de terra, quòd in æternum ſtat: & ſic æternitas Angelis attribui poteſt... Quædam etiam æterna in ſcripturis dicuntur propter diuturnitatem durationis, licèt corruptibilia ſint. Sicut in Pſalm. 75. dicuntur* Montes æterni, *& Deuter. 33. etiam dicitur* de pomis collium æternorum. *Quædam autem ampliùs participant de ratione æternitatis, in quantùm habent intranſmutabilitatem, vel ſecundùm eſſe, vel ſecundùm operationem, ſicut Angeli, & Beati, qui verbo fruuntur. Quia* quantùm ad illam viſionem Verbi non ſunt in Sanctis volubiles cogitationes, *ut dicit Auguſtinus 15. de Trinit. cap. 16. Unde videntes Deum dicuntur habere vitam æternam, ſecundùm illud Joann. 17.* Hæc eſt vita æterna, ut cognoſcant &c. Hæc D. Thomas.

X. An verò poſſit alicui creaturæ communicari æternitas, quantùm ad hoc, quod eſt, non habere nec finem, nec initium durationis? S. Thomas 1. *part. qu. 46. art. 1, & 2.* non judicat impoſſibile. Adſerit enim, mundum incepiſſe, eſſe articulum fidei, ſed demonſtrativè probari non poſſe. Non tamen eſſet æternus mundus eâ æternitate, quâ eſt æternus Deus, nimirùm quæ eſſet ſua ſubſtantia, immutabilis, à ſe, & independens: ſed quæ eſſet participata, dependens, interminabilis, non à ſe, ſed ex alio, nec cum mutatione, & ſucceſſione prorsùs incompatibilis. Quare meritò D. Auguſtinus *lib. de natura boni* cap. 39. *Illa*, inquit, *eſt vera æternitas, quæ vera immortalitas, hoc eſt illa ſumma incommutabilitas, quam ſolus Deus habet, qui mutari omnino non poteſt. Aliud eſt enim non mutari, cùm poſſit mutari, aliud autem prorsùs non poſſe mutari.*

TRA-

Digitized by Google

TRACTATUS
DE VISIONE DEI,
SEU
DE DEO, UT VISIBILI.

SAcræ litteræ, quæ modò Deum, ut à nobis inviſibilem proponunt, modò, ut viſibilem, præſenti Tractatui occaſionem præbent. Ipſum inviſibilem pronunciat S. Paulus 1. *ad Timoth.* 1. 17. *Regi ſeculorum immortali, & inviſibili. Ad Coloſſenſeſ.* 1. 15. Chriſtum vocat Imaginem *Dei inviſibilis*. 1. *ad Timoth.* 6. *v.* 16. habitare dicit *lucem inacceſſibilem, quam nemo hominum vidit, ſed nec videre poteſt*. Cui adjungas S. Joann. *Ep.* 1. *cap.* 4. *v.* 12. *Deum nemo vidit unquam*.

Ex alia autem parte Deum viſibilem proponit Chriſtus *Matth.* 18. 10. *Angeli eorum ſemper vident faciem Patris mei*. *Matth.* 5. 8. *Beati mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt*. Quinimò idem Paulus 1. *Cor.* 13. *v.* 12. ait: *Videmus enim nunc per ſpeculum in enigmate, tunc autem facie ad faciem. Nunc cognoſco ex parte; tunc autem cognoſcam, ſicut & cognitus ſum*. Et S. Joann. *Epiſt.* 1. *cap.* 3. *v.* 2. *Scimus, quoniam, cùm apparuerit, ſimiles ei erimus, quoniam videbimus eum, ſicuti eſt*.

Hinc jure emergit dubitandi ratio, quomodo Deus dicatur inviſibilis, & quomodo viſibilis, tàm reſpectu Viatorum, quàm Beatorum. Quod ut plenè pro viribus aſſequamur. Primò Divinæ Viſionis poſſibilitatem, & exiſtentiam indagabimus. Deinde Viſionis principia. Tertiò ejus objectum, aliaque ad uberem illius notitiam pertinentia.

QUÆSTIO I.

De Poſſibilitate Viſionis Dei.

CIrca poſſibilitatem Viſionis Dei quærendum occurrit primò, an Deus naturæ viribus videri poſſit, ſive à creatura creata, vel creabili, ſive ab oculo corporis, ſive mentis: an verò ſolùm ope, & auxilio gratiæ; an hujus viſionis poſſibilitas ratione naturali demonſtrari poſſit; aliaque ſequentibus Dubiis pro viribus exponenda.

DUBIUM I.

An Deus naturaliter videri poſſit ab aliquo oculo creato.

§. I.

Præmittuntur aliqua.

I. VIſionis nomen, ut docet D. Auguſt. *lib.* 10. *Confeſſ. cap.* 35., & ex eo D. Thomas 1. *part. qu.* 67. *art.* 1., impoſitum primò eſt *ad ſignificandum actum ſenſus viſus: ſed propter dignitatem, & certitudinem hujus ſenſus, extenſum eſt hoc nomen, ſecundùm uſum loquentium, ad omnem cognitionem aliorum ſenſuum, dicimus enim:* Vide, quomodò ſapit, quomodò redolet, vel quomodò eſt calidum. *Et ulteriùs etiam extenditur ad cognitionem intellectus, ſecundùm illud Matth.* 5. Beati mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt. Ità D. Thomas.

II.

II. Adverto inſuper, viſionem in hoc differre à ſimplici cognitione. Cognitio enim dicit quamcumque notitiam, etiam imperfectam, confuſam, & abſtractivum rei. At Viſio determinatè ſtat pro viſione clara rei in ſe ipſa. Videre enim eſt plenè, & manifeſtè objectum ſibi præſens intueri: & ſicut oculo corporali non videmus, niſi res nobis præſentes, & quæ facie ad faciem nobis repræſentantur: ità oculo mentis non dicimur videre, niſi objectum, quod nobis ſiſtatur præſens, & propriâ ſpecie nos moveat, & ut in ſeipſo eſt, videatur. Hìc ut certum ſuppono, Intellectum creatum naturaliter, & viribus propriis Deum poſſe cognoſcere cognitione abſtractivâ, & imperfectâ, acceptâ, non à Deo in ſeipſo, ſed à creaturis, qualem multi Philoſophorum etiam Gentilium habuerunt, ut ſuperiùs dictum eſt. Difficultas eſt de viſione clara, & intuitiva Dei, ut in ſe eſt: an aliqua creatura poſſit viribus propriis Deum, ut in ſe eſt, videre, aut intueri.

III. Adverto prætereà, duplex à Philoſophis diſtingui objectum potentiæ cognoſcentis. Unum, quod vocant connaturale, & proportionatum, aliud, quod vocant adæquatum, & extenſivum; ad quod, eſtò non naturaliter, ſaltem tamen ut elevata, vel confortata ſe extendere poteſt: Sic lux parva eſt objectum proportionatum cuique oculo, at verò lux maxima, qualis eſt lux Solis, non eſt proportionata cuique oculo, ideòque oculus debilis non poteſt in ea figere obtutum, niſi aliundè confortetur.

§. II.

Reſolvitur de oculo Corporis.

IV. Referunt S. Auguſtinus *lib.* 2. *de Trinit. cap.* 8., & S. Gregorius Nazianz. *orat.* 40., quæ eſt *de fide*, Arianorum aliquos adeò ſtupidos fuiſſe, ut ſenſerint, Filium Dei, etiam antequàm Carnem ſumeret, oculis corporeis fuiſſe viſibilem in ſe ipſo; imò de facto pluriès viſum ab antiquis Patriarchis fuiſſe, quos meritò redarguunt præfati Patres, & præſertim S. Auguſtinus laudatus. Si enim anima per ſeipſam non eſt oculo corporeo viſibilis; quomodò viſibilis erit Filius Dei, per quem, ſicut omnia facta ſunt, ità & ipſa anima facta eſt? Verùm quia craſſus iſtorum error ex alio naſcebatur, quo falsò putabant, Filium Dei eſſe quidem inter creaturas præſtantiſſimam, non tamen verum Deum, ideò iſtorum error ad rem præſentem non eſt.

V. Fuerunt tamen alii Ario antiquiores, quos refutat Irenæus *lib.* 4. *contra hæreſ. cap.* 37. nunc 20., qui Deum viſibilem oculis corporalibus aſſeverabant. Et ſi non alii, certè *Audæani*, ſeu *Antropomorphitæ*, qui Deo humani corporis formam tribuentes, Deum corporali obtutu viſibilem, & quidem naturaliter, conſequenter aſſerere debebant. Sed his miſſis.

VI. Dico. Deus naturaliter non poteſt videri ab oculo corporeo. Hoc ſaltem probant Sacræ Scripturæ teſtimonia ſuperiùs allata, quibus Deus dicitur *inviſibilis*. Et ratio eſt, quia objectum connaturale viſus corporei eſt corpus extenſum coloratum; ſed Deus non eſt corpus, ſed ſummus Spiritus, ut ſuperiùs oſtenſum eſt; ergo non poteſt &c. Si enim oculo corporali animam naturaliter videre non poſſumus, quia ſpiritualis eſt, quantò minùs Deum, qui in ſummo ſpiritualitatis gradu eſt conſtitutus? Abſtineo ab expendenda fuſiùs hac ratione: de hac enim redibit ſermo infra, cùm oſtendam, neque ſupernaturaliter elevari poſſe oculum corporeum ad videndum Deum, ubi rationes quoque in contrarium diſſolvam.

* (✠) *

§. III.

Reſolvitur de oculo mentis.

VII. MIſſis quibuſdam antiquis Hæreticis; *Aetius* patriâ Antiochenus, vilibus natus parentibus, profeſſione Aurifex, deinde liberalibus diſciplinis devotus, totuſque argutiis, & ſophiſmatibus datus, Arianam ſectam profeſſus eſt ſeculo quarto. Hic adeò de ſua ſcientia præſumſit, ut, teſte S. Epiphanio hæreſ. 76., *jactaret . . . non ſimpliciter fidei aliqua notitiâ Deum ſibi eſſe perſpectum: ſed perinde ac quiſpiam cognoſcit quidquid oculis cernitur, aut manibus attrectatur; Velut ſi in manus aſſumat aliquis lapidem, aut lignum, aut materia alterius inſtrumentum. Ità audaciſſimus iſte dicebat: Tàm Deum novi, quàm me ipſum: imò non tàm novi me ipſum, quàm Deum.* Hæc Aetius propterea Atheus dictus. Magiſtrum ſuum imitatus Eunomius Aetii diſcipulus, teſte Socrate *lib. 4. hiſt. cap. 7.*; dicere auſus fuit: *De ſua ipſius ſubſtantia Deus nihil ampliùs ſcit, quàm nos: nec illa ipſi quidem notior, nobis autem eſt obſcurior. Sed quidquid nos de illa ſcimus, hoc omnino & ille novit, & contra quidquid ille ſcit, idem etiam in nobis abſque ulla diſcrepantia reperies.* Nunquid audacior inſania? his apparet, iſtos eouſque proceſſiſſe, ut ſe naturaliter nedum Deum videre, ſed comprehendere, ſicut ipſe ſe ipſum comprehendit, exiſtimarent.

VIII. Seculo verò decimoquarto quidam, vitam Monaſticam ſpecie profitentes utriuſque ſexus, *Beguardi*, & *Beguinæ* nuncupati, inter cæteros errores ſparſerunt, quamlibet intellectualem naturam in ſe ipſa naturaliter eſſe beatam, nec animam indigere lumine Gloriæ ad Deum videndum. Varios iſtorum errores adoptarunt *Quietiſtæ*. Hoc inſtitutum penitus abolevit, erroreſque damnavit Synodus Viennenſis ſub Clemente V.: ut refertur in *Clement. cap. ad noſtrum de hæreticis*. Contra iſtos.

IX. Dico. Deus neque ab oculo mentis naturaliter videri poteſt. Eſt dogma fidei definitum in Viennenſi nuper relato, & præformatum à Scriptura, tùm *Iſaiæ 64. v. 4. Oculus non vidit, Deus abſque te, quæ præparaſti expectantibus te.* Quæ Verba S. Paulus 1. *ad Cor. 2. v. 7.* referens: *Loquimur* (inquit) *Dei Sapientiam in myſterio, quæ abſcondita eſt, quam prædeſtinavit Deus ante ſecula in gloriam noſtram: Quam nemo Principum hujus ſeculi cognovit . . . ſicut ſcriptum eſt: Quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis aſcendit, quæ præparavit Deus iis, qui diligunt illum. Nobis autem revelavit Deus per Spiritum ſuum . . . . . Quis enim hominum ſcit, quæ ſunt hominis, niſi ſpiritus hominis, qui in ipſo eſt? ità & quæ Dei ſunt, nemo cognovit, niſi Spiritus Dei.* Quibus Paulus, eſto non loquatur de viſione beata, ſed de cognitione myſterii arcani Incarnationis, miniſtrat validum argumentum à minori ad majus. Nam ſi myſterium Incarnationis nemo cognovit, niſi, cui Spiritus Dei revelavit, multò minùs poterit Deum, ut in ſe eſt, clarè intueri ſolo ſuæ naturæ lumine. Quare quotieſcùmque Paulus de viſione beata loquitur, illam vocat Gratiam Dei, quam ſolus Deus daturus eſt. Rom. 6. *v. 23. Gratia Dei vita æterna:* inde Pſalmo 83. *v. 12. Gratiam, & Gloriam dabit Dominus.* Et Paulus 1. *ad Timoth. 6. v. 16.* de Deo ait: *qui lucem inhabitat inacceſſibilem, quam nullus hominum vidit, ſed nec videre poteſt.*

At non ſolùm homines claram Dei viſionem, quam beatitudo ſaltem comitatur, per proprias vires conſequi non poſſunt, ſed neque ipſi Angeli conſecuti ſunt. *Confitendum eſt* (inquit S. Auguſtinus *lib. 12. de Civit. Dei cap. 9.*) *cum debita laude Creatoris, non ad ſolos Sanctos homines pertinere, verùm etiam de ſanctis Angelis poſſe dici, quòd Caritas Dei diffuſa eſt in eis per Spiritum Sanctum, qui datus eſt eis.*

X. Probatur hæc veritas ratione ſic. Intellectus creatus, vel eſt intellectus con-

Digitized by Google

conjunctus corpori, qualis eſt Humanus, vel eſt intellectus à corpore ſeparatus, qualis eſt Angelicus; ſed neuter poteſt viribus propriis videre Deum clarè, & ut in ſe eſt; ergo &c. Minor pro prima parte probatur: quia intellectus humanus conjunctus corpori, habet pro objecto ſibi connaturali, & proportionato quidditatem rei materialis, & ſenſibilis; ergo non poteſt naturaliter ferri in objectum ſummè ſpirituale, & inſenſibile, qualis eſt Deus, ut in ſe, & clarâ, ac intuitivâ cognitione videndus. Antecedens probatur. Tùm quia nihil poteſt eſſe in intellectu conjuncto, quod priùs aliquomodo non fuerit in ſenſu, vel phantaſia; atqui ſenſus non poteſt moveri, niſi à ſpeciebus rerum materialium; ergo &c. Tùm etiam, quidquid intellectus corpori conjunctus intelligit, ad modum rei materialis illud intelligit: unde res à ſenſibus remotas, putà Angelos, non poteſt intuitivè, & ut in ſe ſunt, cognoſcere, ſed ſolùm connotativè, & per ſpecies à rebus ſenſibilibus acceptas.

XI. Ex his ità inſtauro argumentum. Major eſt improportio inter intellectum conjunctum corpori, & Deum, quàm inter eundem, & Angelum: cum Deus excedat in infinitum exceſſu generico immaterialitatem Angeli; ſed improportio, quæ eſt inter intellectum unitum corpori, & Angelum, qui eſt ſubſtantia purè ſpiritualis, impedit, quominùs intellectus conjunctus poſſit naturaliter videre Angelum, ut in ſe eſt; ergo exceſſus, quo Deus excedit Angelum, multò magis impediet, ne poſſit naturaliter videre Deum, ut in ſe eſt.

XII. Secunda verò pars probatur ratione D. Thomæ 3. *contragentes c.* 52. Quod enim eſt proprium, ideſt connaturale naturæ ſuperioris, ut ab inferiori diſtinctæ, non poteſt convenire naturæ inferiori, niſi per actionem ſuperioris, cui eſt connaturale: ſicut quia ignire eſt connaturale ignis, ut diſtincti à cæteris, non poteſt aliquid ignire, niſi per actionem ignis; ſed videre Deum, ut eſt in ſe, eſt proprium, & connaturale ipſius Dei, quia eſt videre Deum per ſuam eſſentiam: operari autem ſecundùm propriam formam eſt proprium, & connaturale cujuslibet operantis; ergo non poteſt alia natura à Deo diſtincta videre Deum, ut eſt in ſe, niſi per actionem Dei hoc facientis, & elevantis eam ad hanc ſublimem operationem.

Ubi nota, non ſumi hìc *proprium*, pro ut excludit omne extraneum, ſeu pro ut convenit omni, ſoli, & nulli extraneo ab ipſo, ut malè putat Fraſſen hìc: hoc enim eſſet aſſumere, ut certum, quod probandum eſt; ſed ſumi hìc *proprium*, pro ut idem eſt, ac connaturale alicui, pro ut ab aliis differt: ex hoc enim benè infertur, quòd id, quod eſt alicui connaturale, non poſſit alteri convenire, niſi per actionem ejus in ipſum; ſicut eſſe calidum, quod eſt naturale igni, non convenit aquæ, niſi per ignis actionem. Ità ex Ferrarienſi.

XIII. Ulteriùs probatur ex eodem D. Thom. citato. Quod eſt per ſe, cauſa eſt ejus, quod eſt per aliud; ſed intellectus Divinus per ſe ipſum Divinam Eſſentiam videt: nam intellectus Divinus eſt ipſa Eſſentia Divina, quâ Deus in ſe videtur: intellectus autem creatus videt Divinam ſubſtantiam per eſſentiam Dei, quaſi per aliud à ſe; igitur Viſio Dei in ſe non poteſt advenire intellectui creato, niſi per actionem Dei. Hæc tamen ratio procedit de eo, quod eſt per ſe tale, nedum perſeitate rei, ſed perſeitate cauſalitatis: Nam Angelus per ſuam formam cognoſcit ſeipſum, & tamen ab alio Angelo naturaliter cognoſcitur, abſque actione ejus in ipſum, quia non per ſpeciem ab eo cauſatam, ſed à Deo infuſam cognoſcitur. Accedit, quòd, cùm omnes Angeli conveniant in eodem gradu generico intellectualitatis, quilibet eorum eſt per ſe intellectivus alterius. Hinc

XIV. Tertiò probatur. Vis natura-

Digitized by Google

lis, & perfectio cognoſcitiva alicujus debet eſſe tanta, quanta eſt ejus perfectio entitativa, & non major, quia operationes debent proportionari cum eſſentia; ſed nullus intellectus creatus ex vi ſuæ naturæ proportionem habet cum entitate Dei, ut eſt in ſe; ergo neque vis cognoſcitiva intellectus creati proportionem habet cum intelligibilitate Dei: cùm enim hæc ſit in altiori ordine, & ſummo, intellectus verò creatus in infimo: quomodo hic poterit videre Deum in ſe, qui *habitat lucem inacceſſibilem*, niſi altiori lumine confortetur, & ad altiorem ordinem elevetur?

Propterea infirma apparet ratio, quâ Scotus apud Fraſſen probare intendit, intellectum creatum non poſſe naturaliter pertingere ad viſionem Dei, quia Deus non vult, ſeipſum illi manifeſtare, cùm ſit objectum voluntarium, & liberum. Non ſolùm enim propter hoc eſt naturaliter impoſſibilis menti creatæ viſio Dei, ſed & maximè, quia, cùm Deus ſit intelligibile ſummum, excedit vires nativas mentis creatæ; aliàs deberet dici, quòd mens creata eâ ſolâ ratione impediatur à viſione clara Dei, quâ unus Angelus impeditur à cognitione ſecreti cordis alterius Angeli, quia ſcilicet Angelus non vult illud, utpote liberum, ei manifeſtare.

§. IV.

Solvuntur Objecta.

XV. Argues primò. Deus clarè viſus, vel continetur intra ſphæram objecti intellectus creati, vel non? Si primum; ergo intellectus creatus poterit naturaliter videre Deum: quælibet enim facultas cognoſcitiva poteſt naturaliter ferri in omne id, quod continetur intra ejus objectum: v. g. oculus poteſt naturaliter videre omnes colores, & auditus percipere omnes ſonos. Si verò ſecundum; ſequitur, nullum intellectum creatum poſſe ad viſionem Dei elevari, quia nulla potentia elevari poteſt ad cognoſcendum id, quod non continetur intra limites ſui objecti: viſus enim non poteſt percipere ſonos, nec auditus videre colores.

XVI. Reſpondeo, Deum clarè viſum non ſic eſſe extrà facultatem intellectus creati, quaſi aliquid omnino extraneum ab ipſo, & extrà ſphæram illius objecti adæquati, ſicut eſt ſonus reſpectu viſus, & ſubſtantia ſpiritualis reſpectu ſenſus: quia, cùm objectum adæquatum intellectus creati ſit ens, ſeu intelligibile ut ſic, non poteſt Deus, qui eſt primum, & ſupremum ens, & intelligibile, eſſe extra ſphæram intelligibilis, & conſequenter intellectus creati: ſed eſt potiùs ſupra facultatem nativam intellectus creati, tanquàm eam excedens, ſicut excellentia ſenſibilia ſunt ſupra facultatem nativam ſenſuum. Sicut ergo ſenſus poſſunt confortari, ut percipiant etiam excellentia ſenſibilia; ità intellectus creatus, ut dicemus, poterit confortari, ut percipiat hoc excellens intelligibile, quod eſt Deus. Hæc reſponſio eſt D. Thomæ 3. *contragentes cap.* 54.

XVII. Objicies ſecundò. Quælibet creatura poteſt naturaliter aſſequi ſuam beatitudinem naturalem, ut lapis centrum; ſed naturalis hominis beatitudo conſiſtit in clara Dei viſione; ergo &c.

XVIII. Reſpondeo conceſſa maj. negando abſolutè min. Naturalis enim beatitudo hominis non conſiſtit in clara Dei viſione: hæc enim nec poteſt viribus naturæ acquiri, imò nec appeti, nec cognoſci, ut dicemus. Sed conſiſtit in quadam altiſſima Dei contemplatione, quantum ex effectibus haberi poteſt, quam ſolam beatitudinem habuiſſet homo in ſtatu puræ naturæ, ſi in eo conditus fuiſſet. Sed de his infra.

DU-

DUBIUM II.

An poſſit Deus talem ſubſtantiam creare, cui ſit connaturale videre Deum?

§. I.

Status Dubii aperitur.

I. UT quæſito locus detur, ſupponi debet, ſubſtantiam illam, cui connaturalis eſſet viſio clara Dei, fore ſupernaturalem, eique fore connaturale, tanquàm proprietatem ab ea manantem, lumen gloriæ. Suppono autem, ſupernaturale ſimpliciter, & abſolutè eſſe illud, quod tranſcendit vires, & exigentiam totius naturæ creatæ, & creabilis, poteſtque à ſolo Deo produci, neque ab ullo ente creato connaturaliter exigitur tanquàm forma naturalis ipſius: eſt enim formalis participatio Dei, ut in ſe eſt, excedens omnem naturam creatam, & creabilem.

Dixi autem *ſupernaturale ſimpliciter*, quia dupliciter poteſt dici aliquid ſupernaturale, nimirùm, vel abſolutè, vel ſolùm reſpective. Illud eſt ſupernaturale primo modo, quod, ut dixi, eſt ſupra omnem naturam creatam, & creabilem. Secundo autem modo illud eſt, quod eſt quidem ſupra naturam hujus, vel illius ſpeciei, non tamen ſupra naturam creatam in univerſum: ſicut videre Angelos, ut in ſe ſunt, eſt quidem ſupra naturam hominis pro hoc ſtatu, ideòque non poteſt ſuis viribus eos hìc videre, non tamen eſt ſupra naturam creatam in univerſum. cùm Angeli naturaliter invicem ſe videant.

Quærendo igitur, an poſſit Deus talem ſubſtantiam ſupernaturalem creare, loquimur de ſupernaturali ſimpliciter, ſicut ſupernaturalis eſt viſio Dei, & ipſe Deus.

§. II.

Reſolutio dubii.

II. DIco. Non poteſt à Deo produci ſubſtantia aliqua intellectiva, quæ ſit ſupernaturalis, cuique ſit connaturale videre Deum, ut in ſe eſt. Eſt communis apud Catholicos, ità ut unus, vel alter ab ea recedere videatur. Prob. ratione D. Thom. *hìc art.* 4. Impoſſibilis eſt ſubſtantia creata, quam Deus infinitè non excedat in eſſe cognoſcibili, ſicut eam infinitè excedit in eſſe entis; ſed ſi daretur ſubſtantia intellectualis, cui connaturale eſſet videre Deum, jam reſpectu hujus Deus non eſſet objectum in eſſe cognoſcibili excedens, ſed connaturale, & proportionatum; ergo non eſt poſſibilis &c. Majorem probat D. Thom., quia ſi modus eſſendi alicujus rei cognitæ excedit modum naturæ cognoſcentis, exceſſu graduali, & generico, oportet, ut cognitio illius rei ſit ſupra naturam illius cognoſcentis. Sicut enim cognoſcere Angelum, quia eſt pura forma, excedit naturam cognoſcentium, qui habent quidem formam, ſed non ſunt puræ formæ: ità cognitio Dei, qui eſt purum eſſe per ſe ſubſiſtens, excedit naturam cujuslibet cognoſcentis creati, qui habet quidem, & participat eſſe, ſed non eſt ipſum, ac purum eſſe.

III. Secundò probatur ſic. Implicat, dari aliquam naturam, ſeu ſubſtantiam, quæ ſit creata, & ſit ſuprà omnem naturam creatam, & creabilem, aliàs eſſet creata, & non eſſet; ſed ſubſtantia ſupernaturalis eſſet talis, quia, ut vidimus, ſupernaturale eſt illud, quod participat aliquam perfectionem Dei propriam, ut excedit omnem naturam creatam, & creabilem, & ab ea diſtinguitur; ergo &c. Quare ſic inſtauro rationem. Quod eſt proprium Dei, ut excedit omnem naturam creatam, & creabilem, non poteſt ità participari, ut ſit proprium, & connaturale

rale

Digitized by Google

tale alicujus naturæ creatæ, vel creabilis; ſed eſſe ſupernaturale ſimpliciter, abſolutè, & ſubſtantialiter, eſt prædicatum proprium Dei, ut excedit &c. ergo non poteſt dari aliqua ſubſtantia, quæ ex natura ſua ſit ſupernaturalis, & creata.

IV. Ex his patet, viſionem Dei non poſſe eſſe connaturalem alicui ſubſtantiæ creatæ. Primò quia talis ſubſtantia deberet eſſe ſupernaturalis, ſi ab ea naturaliter emanaret lumen ad videndum Deum, quod eſt undequaque ſupernaturale, ſicut ſupernaturalis eſt ipſa viſio; repugnat autem ſubſtantia, quæ ſit creata, & ſupernaturalis, ut dicebam. Secundò quia operatio, vel proprietas, quæ eſt ſupernaturalis abſolutè, & ſimpliciter, non poteſt naturaliter emanare, & produci ab aliqua natura creata, aut creabili, aliàs non eſſet ſupernaturalis, quia non eſſet ſupra vires totius naturæ creatæ, & creabilis.

Quod magis urgeo. Si enim lumen gloriæ, & viſio Dei tranſcenderet quidem vires totius naturæ de facto creatæ, non autem illius naturæ creabilis, à qua naturaliter emanaret, non eſſet ampliùs abſolutè, & ſimpliciter ſupernaturalis, ſed ſolùm reſpectivè ad naturas de facto creatas, eo modo, quo videre Angelum eſt ſupernaturale homini in hoc ſtatu, aut ſicut eidem ſupernaturale eſt volare.

V. Tertiò probatur ex variis inconvenientibus, quæ ſequerentur. Primò enim ſubſtantia ſupernaturalis, cui connaturale eſſet videre Deum in ſe, haberet connaturalem, imò fortè eſſet ipſamet gratia ſanctificans, & conſummata, ex qua naturaliter emanarent lumen gloriæ, caritas, & cætera dona ſupernaturalia; & conſequenter eſſet per naturam ſancta, & impeccabilis. Secundò poſſet gratiam, & alia dona in aliis principaliter producere, ſicut ignis per naturam calidus poteſt in aliis calorem producere. Tertiò naturaliter cognoſceret futura, ſecreta cordium &c., quia non eſſet ratio, cur illi eſſet connaturale lumen gloriæ, quod majus eſt, & non lumen propheticum, quod eſt minus. Quid ergo illi deeſſet, ne eſſet Deus, cùm ſcriptum ſit *Iſaiæ* 41. v. 23. *Annunciate quæ ventura ſunt in futurum, & ſciemus, quia Dii eſtis vos?* Demum, cùm viſio Dei ſaltem naturaliter fiat per unionem Divinæ Eſſentiæ cum vidente, illa natura, quæ naturaliter videret Deum, peteret divinam naturam ſibi naturaliter uniri; atqui natura divina non poteſt naturaliter uniri ſubſtantiæ creatæ ad intelligendum: ſicut nec ſubſiſtentia divina ad ſubſiſtendum; Ergo &c.

§. III.

Reſpondetur objectis.

VI. Primò objicies. Divina attributa, v. g. ratio ſapientiæ, amoris &c., participantur à creaturis, & ideò dantur in eis lumen gloriæ, & caritas ſupernaturalis creata; ergo ſimiliter divina ſubſtantia poterit in creatura participari, & ſic dari ſubſtantia ſupernaturalis creata.

VII. Reſpondeo, diſt. ant., participantur participatione accidentali, concedo antecedens: ſubſtantiali, nego antecedens, & conſequentiam. Imò ſicut, eſtò ſapientia, & amor in Deo ſint ipſamet ſubſtantia ſupernaturalis Dei, in creaturis tamen non participantur ſecundùm modum eſſendi ſubſtantialiter, ſed ſolùm accidentaliter: ità ſubſtantia Dei, ut in ſe, non poteſt participari ſecundùm modum eſſendi ſubſtantialem, quem habet in ſe, ſed ſolùm accidentaliter. Quare gratia habitualis, quæ eſt formalis participatio divinæ ſubſtantiæ, accidens eſt, & non ſubſtantia.

Dices. Dantur ergo accidentia ſupernaturalia creata: at cur non poterit ſimiliter dari ſubſtantia ſupernaturalis creata?

VIII. Reſpondeo, rationem eſſe, quia ſubſtantia datur, ut per ſe ſit, & ſua-

Digitized by Google

ſuarum operationum principium: ideoque ſi aliqua ſubſtantia creata eſſet ſupernaturalis, iſta eſſet principium per ſe operationum ſupernaturalium, radix proprietatum ſupernaturalium, luminis gloriæ, caritatis &c., quæ ſolius Divinæ Subſtantiæ propria ſunt, ut à creaturis diſtinctæ. At accidens non datur, ut per ſe ſit, ſed ut alteri inſit, non ut per ſe operetur, ſed ut faciat aliud operari, & ſit id, quo, vel operatur, vel ſit potens operari. Sic autem ſe habent gratia, & lumen gloriæ. Gratia enim recepta in animi, tanquàm divinæ naturæ formalis participatio, conſtituit illam in eſſe ſupernaturali potentem elicere operationes ordinis ſupernaturalis. Lumen autem gloriæ, quaſi radius divini luminis, in mente creata recipitur, eam elevat ad unionem cum Deo, ut cognoſcibili, eſtque id, quo redditur potens ad viſionem; quapropter adhuc limitata, & finita ſunt: tùm quia ſunt Dei formales participationes: tùm quia in potentia creata recipiuntur. Horum autem neutrum haberet ſubſtantia, ſi ſupernaturalis eſſet, ut dictum eſt.

IX. Secundò objicies. Subſtantia ſupernaturalis non repugnat; nec quia ſubſtantia, quia ſubſtantia divina ſupernaturalis eſt; nec quia creata, gratia enim, & lumen gloriæ entia creata ſunt, & tamen ſunt ſupernaturalia; neque ex parte utriuſque ſimul, quia non eſt repugnantia in conjunctione duorum, quando non eſt ex parte alicuius extremi.

Reſpondeo, repugnantiam ſubſtantiæ ſupernaturalis creatæ peti ex conjunctione ſubſtantiæ cum ſupernaturalitate in natura creata, propter ea, quæ diximus.

X. Replicabis. Non repugnat, in accidente conjungi ſupernaturalitatem cum eſſe creato; ſed cuique accidenti debet correſpondere ſuum ſubjectum connaturale, & conſequenter ſupernaturale; ergo non repugnat ſubſtantia creata, quæ ſit ſupernaturalis.

XI. Reſpondeo, diſt. min., cuique accidenti orto ex principiis ſubjecti, debet &c., con. min., derivato in ſubjectum à principio ſuperiori, nego min., & conſ. Nimis enim probat hoc argumentum, quia probat, quòd, cum de facto accidentia ſupernaturalia recipiantur in anima, & in ſubſtantia, huic de facto eſſent connaturalia, & proinde hæc de facto eſſet ſupernaturalis.

Dicendum ergo eſt, quòd eſtò accidentia, quæ oriuntur ex principiis ſubjecti, habere debeant ſubjectum connaturale, à quo oriantur, & in quo ſint; Ea tamen, quæ derivantur à natura ſuperiori, & ſunt elevationes naturæ inferioris ad altiorem operationem, non reſpiciunt ſubjectum connaturalitatis, ſed tantum obedientiæ, & capacitatis, nec petunt, ſubjectum eſſe in eodem ordine, in quo ipſa ſunt, aliàs non eſſent elevantia ſubjectum ad ordinem altiorem: neque ſuam ſupernaturalitatem accipiunt à ſubjecto, quod elevant, ſed à natura ſuperiori, cujus participationes ſunt.

XII. Tertiò objicies. Poteſt Deus producere intellectum creatum habentem naturaliter tantas vires, quantas habet intellectus lumine gloriæ perfuſus; ſed iſte naturaliter videret Deum; ergo &c. Maj. probatur. Intellectus creatus ſimul cum lumine gloriæ quid finitum eſt; ergo Deus, qui poteſt intellectum perfectiorem, & perfectiorem in infinitum producere, devenire poteſt ad unum intellectum, qui ſit tantæ perfectionis, quantæ eſt intellectus perfuſus lumine.

XIII. Reſpondetur, neg. maj, ad cujus prob. diſt. antecedens, quid finitum, ordinis tamen ſuperioris, conc. antecedens, ejuſdem ordinis, nego antecedens. Cùm ergo intellectus lumine gloriæ perfuſus ſit in ordine ſuperiori, & ſupernaturali: & quilibet intellectus, quem Deus crearet, eſſet ordinis naturalis: hinc ſit, ut nullus unquàm adæquaret intellectum perfuſum lumine gloriæ; Quia nulla res ordi-

ordinis inferioris, quantùmvis in perfectione creſcat, ad gradum ſuperioris pervenire poteſt. Sic nulla res corporalis poteſt Angeli perfectionem attingere, & cognitio, ſeu amor Dei naturalis, quamvis augeatur, nequit pervenire ad perfectionem cognitionis, & amoris Dei ſupernaturalis.

XIV. Quartò objicies. Modus ſubſtantialis unionis, qui ſecundum aliquos datur inter verbum, & humanitatem Chriſti, eſt creatus, & ſupernaturalis; ergo non repugnat ſubſtantia ſupernaturalis creata.

Reſpondeo diſtinguendo conſequens, ſubſtantia ſupernaturalis creata incompleta, & ſe habens *ut quo*, tranſeat conſequens: completa, & ſe habens *ut quod*, & per ſe ſubſiſtens, nego conſeq. Unio ergo Verbi divini cum humanitate (dato quòd detur ab extremis diſtincta) cùm ſit ens incompletum, & ordinatum ad uniendum Verbum cum humanitate, ſeu *id quo* formaliter natura creata unitur naturæ ſupernaturali, poteſt eſſe creatum, & adhuc ſupernaturale, ſicut & accidens, quin ſequantur inconvenientia relata. At ſubſtantia completa ſupernaturalis non eſſet *id quo*, ſed *id quod* connaturaliter uniretur eſſentiæ divinæ, ut objecto; & quod connaturale haberet lumen gloriæ, & viſionem beatificam, quæ ſolius Dei propria ſunt, ut diximus.

DUBIUM III.

An ratione naturali cognoſci poſſit, viſionem Dei eſſe poſſibilem, & an hæc poſſit naturaliter appeti.

§. I.

Reſolvitur prima pars.

I. Dico primò. Solo lumine naturæ non poteſt demonſtrari, viſionem claram Dei eſſe poſſibilem. Probatur. Quia lumen naturale ſolùm nobis poteſt oſtendere id, quod naturale eſt, & cum effectibus naturalibus connexionem habet; ſed viſio Dei, utpotè prorsùs ſupernaturalis nullam cum effectibus naturalibus connexionem habet, quia ſupernaturale dicitur illud, quod eſt ſupra totam naturam, & ſupra totam naturæ exigentiam; ergo &c.

II. Probatur ſecundò à poſteriori. Si poſſibilitas viſionis Dei poſſet ex principiis naturalibus evidenter cognoſci, illam procul dubio aliqui ex antiquis Philoſophis, quorum non pauci ingenio præſtantiſſimi fuere, aſſecuti fuiſſent; ſed, D. Auguſtino teſte *lib.* 13. *de Trinitate cap.* 8., *&* 9., beatitudinem ſupernaturalem prorsùs ignoraverunt: ibi enim de hac beatitudine ſermonem faciens: *Si fides* (inquit) *adſit ... nulla quæſtio eſt. Humanis quippe argumentationibus hac invenire conantes, vix pauci magno præditi ingenio, abundantes otio, doctrinisque ſubtiliſſimis eruditi, ad indagandam ſolius animæ immortalitatem pervenire potuerunt. Cui tamen animæ beatam vitam non invenerunt ſtabilem, ideſt veram.*

III. Idem teſtatur D. Thomas 1. 2. *qu.* 109. *art.* 1. dicens: *Intellectus humanus habet aliquam formam, ſcilicèt ipſum intelligibile lumen, quod eſt de ſe ſufficiens ad quadam intelligibilia cognoſcenda, ad ea ſcilicèt, in quorum notitiam poſſumus per ſenſibilia devenire. Altiora verò intelligibilia intellectus humanus cognoſcere non poteſt, niſi fortiori lumine perficiatur, ſicut lumine fidei, vel prophetiæ, quod dicitur lumen gratiæ, quod eſt naturæ ſuperadditum.* Si ergo ad altiora intelligibilia, quæ cum ſenſibilibus connexionem non habent, ſine lumine fidei, intellectus humanus pervenire non poteſt, quantò minùs ad viſionem Dei, quæ eſt intelligibile altiſſimum, cognoſcendam pervenire poterit, niſi ad eam per fidem manuducatur? Hinc D. Paulus 1. *Cor.* 2. *v.* 9. loquens de viſione beatifica ait: *neque in cor hominis aſcendit, quæ præparavit Deus his, qui diligunt illum.*

Digitized by Google

IV. Dices primò. Naturaliter evidens eſt, intellectum poſſe cognoſcere quidquid continetur ſub ejus objecto, ſicut naturaliter evidens eſt, oculum poſſe omnes colores videre, quia omnes clauduntur ſub ejus objecto; ſed etiam naturaliter evidens eſt, ens in communi abſtrahens à Deo, & creaturis eſſe objectum intellectus creati; ergo naturaliter evidens eſt &c.

V. Reſpondeo conc. maj. intellectà de objecto connaturali, & proportionato, negando min. eſtò enim naturaliter evidens ſit, Deum abſtractivè cognoſcibilem contineri ſub objecto intellectus creati, non tamen Deum, ut clarè viſibilem: quia ut ſic, utpotè objectum ſupernaturale, excedit vires luminis naturalis. Et quamvis certum eſſet lumine naturæ, ens abſtrahens à Deo, & creaturis eſſe objectum intellectus, non tamen eſt evidenter certum, quòd intellectus creatus poſſit attingere Deum clarè, & intuitivè, & non ſolùm abſtractivè.

Neque Angelus, etſi comprehendat intellectum humanum, poteſt naturaliter cognoſcere, illum poſſe elevari ad viſionem beatificam, & proinde hanc eſſe poſſibilem. Nam Angelus comprehendit quidem potentiam naturalem intellectus humani, & cognoſcit omnes actus, quos poteſt naturaliter elicere, non tamen comprehendit ejus potentiam obedientialem, ſeu actus, ad quos poteſt elevari, ideòque non cognoſcit certò, illi eſſe poſſibilem viſionem Dei. Potentia autem obedientialis, eſtò entitativè naturalis ſit, imò ipſa natura intellectus, terminativè tamen ſupernaturalis eſt, ideòque viribus naturæ terminus ejus cognoſci nequit.

VI. Dico ſecundò. Viribus naturæ poteſt aliqualiter oſtendi, Viſionem Dei non eſſe impoſſibilem, ſive afferendo rationes, quæ licèt non ſint demonſtrativæ, ſint tamen congruentes, & probabiles, ſive etiam ſolvendo argumenta, quæ contra ejus poſſibilitatem fieri poſſunt. Hanc concluſionem ſtatuo; tùm conformiter ad ea, quæ de poſſibilitate Incarnationis docent Theologi; tùm ut conciliem, nedùm diſcrepantes Thomiſtarum ſententias, ſed ipſum D. Thomam cum ſe ipſo. Etenim S. Doctor ex una parte docet, altiora intelligibilia non poſſe ab intellectu creato cognoſci, niſi confortetur lumine fidei, ut oſtendimus ſuperiùs ex 1. 2. *qu.* 109. *art.* 1.: quod confirmat 1. *part. qu.* 62. *art.* 2., ubi ait, quòd *videre Deum per Eſſentiam, in quo ultima beatitudo rationalis creaturæ conſiſtit, eſt ſupra naturam cujuſlibet intellectus creati*; ex quo concludit, quòd *Angelus in illam beatitudinem voluntate converti non potuit, niſi per auxilium gratiæ*. Ex alia verò parte 3. *contragentes cap.* 50. probat variis rationibus, naturale deſiderium ſubſtantiæ ſeparatæ non quieſcere in naturali cognitione, quam habet de Deo; Unde *cap.* 51. infert, quòd, cùm hoc deſiderium non debeat eſſe inane, neceſſe ſit dicere, ſubſtantiam Dei eſſe viſibilem ab intellectu creato.

Quamobrem, ut hæc omnia componantur, dicendum eſt, quòd rationes, quas D. Thomas adducit in 3. *contragentes cap.* 50., ſunt quidem valdè probabiles, & ſunt efficaces ad hominem (ut ajunt) contra Gentiles Philoſophos, quos in eo libro arguit, quia ſumtæ ex principiis ab iis admiſſis, & etiam ſufficientes ad ſolvendas oppoſitas objectiones, & conſequenter ad oſtendendum, viſionem claram Dei non eſſe impoſſibilem; non tamen ſunt demonſtrativæ, nec evidenter probant ejus poſitivam poſſibilitatem. Quod oſtendo.

VII. Prima enim ratio (procedens ex eo, quòd, qui habent de aliqua re cognitionem imperfectam, excitatur ad cognitionem perfectam de illa re obtinendam, ſicut qui habet de aliqua re opinionem, excitatur ad deſiderium habendi ſcientiam de illa: ex qua infert, ſubſtantias ſeparatas non quieſcere in cognitione imperfecta, quam habent de Deo, ſed ex ea excitari ad cogni-

tionem perfectam, & claram) eſt quidem probabilis, ſed non demonſtrativa, quia cognitio imperfecta, & cognitio clara non ſunt in eodem ordine, ſicut eſt opinio, & ſcientia de aliqua re, ideòque licèt in eo, qui habet opinionem, excitetur deſiderium habendi ſcientiam de illa re, non tamen in eo, qui habet cognitionem naturalem abſtractivam de Deo, excitari poteſt deſiderium ſaltem efficax videndi Deum clarè, niſi priùs illi oſtendatur, viſionem hanc eſſe ei poſſibilem: quod non poteſt illi oſtendi, niſi à fide. Dubitare enim poteſt, an ſicut ob exceſſum ſuæ intelligibilitatis non poteſt adęquatè, & comprehenſivè ab ulla creatura cognoſci, ità nec poſſit quidditativè; niſi aliunde fides ei oſtendat modum, quo ejus quidditas infinita finito modo intellectui creato uniatur.

VIII. Secunda etiam ratio (ſumta ex deſiderio videndi cauſam, viſis effectibus, quod eſſet inane, & fruſtraneum, ſi viſio cauſæ non eſſet poſſibilis) demonſtrativa non eſt, quia cùm tale deſiderium naturale, ut dicemus, non ſit efficax, neque abſolutum, ſed inefficax, & conditionatum, non probat evidenter, viſionem cauſæ eſſe poſſibilem abſolutè, ſed ſolùm eſſe congruenter, & probabiliter: quia, cùm hoc deſiderium ſit valdè conſentaneum naturæ, & ut in pluribus inveniatur, valde congruum eſt, non fruſtrari, & ideò magnâ congruitate probat poſſibilitatem rei appetitæ.

IX. Idem dico de aliis rationibus, quas S. Doctor adducit. Quia, cùm in illis fiat tranſitus ab ordine naturali ad ſupernaturalem, non poſſunt eſſe medium demonſtrativum, & efficax ad probandam poſſibilitatem Viſionis Dei in ſe, quæ ſupra omnem naturalem rationem eſt, niſi aliunde per fidem oſtendatur eſſe poſſibilem, ſed ſolùm rationes congruæ, & probabiles, & ſufficientes ad oſtendendum, eam non eſſe prorsùs impoſſibilem.

§. II.

Reſolvitur ſecunda pars.

X. Suppono, pro intelligentia, duplicem eſſe appetitum, unum innatum, elicitum alterum. Primus eſt propenſio quædam ab Auctore naturæ indita, quâ unaquæque res abſque ulla cognitione in bonum ſibi connaturale propendit; Sic lapis propendit ad centrum. Secundus vero (qui propriè appetitus eſt) eſt actus, quo quis fertur in bonum cognitum ſub ratione boni.

XI. Rursùs hic appetitus elicitus, vel poteſt eſſe efficax, vel inefficax. Efficax eſt, quando infert executionem mediorum neceſſariam ad conſecutionem finis concupiti. Inefficax verò, ſeu conditionatus, eſt, quando complacet ſibi quidem de fine, ſed media ad eum conſequendum non procurat. Primus ſignificari ſolet per verbum *volo*: Secundus per verbum *vellem*. Primus ſolum fertur ad rem cognitam, ut poſſibilem: Secundus etiam ad rem non cognitam, ut poſſibilem, ſub conditione tamen, quòd ſit poſſibilis.

XII. Dico ergo primò. In homine ſecundùm pura naturalia conſiderato non datur appetitus innatus ad videndum clarè Deum. Probatur, quia appetitus innatus eſt inclinatio naturæ ad bonum ſibi connaturaliter debitum; ſed viſio beata, ſeu Deus clarè viſus, non eſt bonum connaturaliter debitum homini, vel cuicumque naturæ creatæ ſecundum ſua naturalia conſideratæ: in natura enim creata nulla eſt poſitiva tendentia, ſed ſola potentia obedientialis ad id, quod ſupernaturale eſt, qualis eſt viſio clara Dei; ergo &c.

XIII. Dico ſecundò. In homine, ſeu quacumque natura rationali creata non datur appetitus elicitus, qui ſit efficax, ad claram Dei viſionem. Probatur primò. Appetitus naturalis elicitus efficax ſequitur ex naturali cognitione apprehendente rem appetitam ſibi poſſibilem in praxi; ſed naturaliter ne-

nequit cognoſci viſio clara Dei, ut in praxi poſſibilis: imò neque ſpeculativa, ſaltem cognitione certâ, ut vidimus; ergo &c.

XIV. Secundò probatur. Si deſiderio efficaci poſſet appeti viſio clara Dei appetitu naturali, poſſent etiam naturaliter appeti media, per quæ viſio Dei procuratur, nempe gratia, & auxilia ſupernaturalia, quia, ut vidimus, appetitus efficax infert electionem mediorum; ſed hoc eſt contra fidem, quâ docemur, viribus naturæ, non ſolum non poſſe ſalutem noſtram operari, ut oportet, ſed neque deſiderare, aut velle aliquid ad eam ſpectans, ut ſtatuitur in Concilio Arauſicano ſecundo anno 529. *cap.* 7. his verbis. *Si quis per naturæ vigorem bonum aliquid, quod ad ſalutem pertinet vitæ æternæ, cogitare, ut expedit, aut eligere, ſive ſalutari, ideſt, evangelicæ prædicationi conſentire poſſe confirmat, abſque illuminatione, & inſpiratione Spiritus Sancti, qui dat omnibus ſuavitatem in conſentiendo, & credendo veritati, hæretico fallitur ſpiritu, non intelligens vocem Domini in Evangelio dicentis Joann.* 15. Sine me nihil poteſtis facere, *& illud Apoſtoli* 2. *Cor.* 3. Non quòd idonei ſumus cogitare aliquid à nobis, quaſi ex nobis: ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt. Unde D. Auguſtinus *lib.* 5. *operis imperfecti contra Jul.* cap. 11. *velle* (inquit) *juſtitiam nemo poteſt, niſi paretur voluntas à Domino.*

XV. Dico tertiò. Homo, vel quælibet alia natura intellectualis creata, ad ſummum habere poteſt appetitum elicitum inefficacem, & conditionatum claræ viſionis Dei. Probatur. Hoc enim ſaltem evincunt rationes ſuperiùs allatæ ex D. Thoma, & reverâ, ſi alicui etiam hæretico, vel infideli proponatur viſio Dei ſub ratione alicujus magni boni, non repugnat, quòd eliciat hunc actum: ſi eſſet poſſibilis talis viſio, ego vellem illam habere. Et colligitur ex diſcrimine, quod eſt inter appetitum inefficacem, & efficacem, quòd iſte fertur in bonum, quod ſupponit poſſibile, & aſſequibile abſolutè; ille verò fertur in bonum, præſcindendo, an ſit abſolutè poſſibile, ſed ſi eſſet poſſibile, illud vellet. Quare aliqui hoc modo plura vellent, quæ abſolutè poſſibilia non ſunt, ut ſemper vivere. Et hoc multò magis de appetitu inefficaci beatitudinis dici debet, qui non eſt irrationabilis, & arbitrarius, ſed valdè conſentaneus naturæ rationali, & propterea ut in pluribus invenitur.

§. III.

Solvuntur aliqua contra hanc ſecundam partem.

XVI. Objicies primò contra primum aſſertum. Quælibet potentia habet naturalem inclinationem ad ſuum objectum, & quælibet natura ad ſuum ultimum finem; ſed Deus clarè viſus eſt objectum intellectus, & finis ultimus naturæ rationalis; ergo &c.

Si reſpondeatur, majorem eſſe veram de objecto, & fine proportionato, & connaturaliter debito, ſecùs verò de objecto, & fine excedente, & ad quem ſolâ Dei gratuitâ ordinatione elevatur, qualis eſt viſio clara Dei: ſi enim Deo placuiſſet, Hominem, aut Angelum in ſtatu puræ naturæ omnibus gratiæ viribus deſtitutum condere, tunc non habuiſſet pro ultimo fine claram Dei viſionem, ſed ſolùm cognitionem quandam Dei abſtractivam, ut Auctoris naturæ.

XVII. Contra eſt. Si viſio clara Dei eſt finis hominis, & ad eam viribus propriis conari non poteſt, erit deterioris conditionis, quàm ſint aliæ res naturales, quæ viribus propriis ſuum finem conſequi poſſunt.

Reſpondeo ex dictis, duplicem eſſe hominis beatitudinem, naturalem, & ſupernaturalem. Prima in excellenti divinorum notitia, quantùm ex creaturis capi poteſt, ſita eſt; & ad hanc homo viribus naturæ pervenire poteſt.

Digitized by Google

Secunda verò in viſione ſupernaturali Dei conſiſtit: eſtò autem ad hanc homo ſuis viribus nequeat conari, non per hoc deterioris conditionis eſt. Primò. Quia propriis viribus acquirere poteſt naturalem. Deinde, ut ait Divus Thomas 1. 2. *qu.* 5. *art.* 5. ad 2., *Nobilioris conditionis eſt natura, quæ poteſt conſequi perfectum bonum, licèt indigeat exteriori auxilio ad hoc conſequendum, quàm natura, quæ non poteſt conſequi perfectum bonum, ſed conſequitur quoddam bonum imperfectum, licèt ad conſecutionem ejus non indigeat exteriori auxilio, ut Philoſophus dicit in ſecundo de Cœlo à text. 68. Sicut meliùs eſt diſpoſitus ad ſanitatem, qui poteſt conſequi perfectam ſanitatem, licèt hoc ſit per auxilium medicinæ, quàm qui poteſt conſequi imperfectam ſanitatem, ſine medicinæ auxilio. Et ideò Creatura rationalis, quæ poteſt conſequi perfectum beatitudinis bonum, indigens ad hoc divino auxilio, eſt perfectior, quàm creatura irrationalis, quæ ejuſmodi boni non eſt capax, ſed quoddam bonum imperfectum conſequitur, virtute ſuæ naturæ.*

XVIII. Sed dices; ergo natura defecit homini in neceſſariis. Quid enim tàm neceſſarium eſt, quàm vis ad ſuam finalem beatitudinem comparandam?

Reſpondet tamen D. Thomas laudatus ad primum, *quòd ſicut natura non deficit homini in neceſſariis, quamvis non dederit ſibi arma, & tegumenta, ſicut aliis animalibus, quia dedit ei rationem, & manus, quibus poſſit hæc ſibi acquirere: ità nec deficit homini in neceſſariis, quamvis non daret ſibi aliquod principium, quo poſſet beatitudinem conſequi; hoc enim erat impoſſibile: ſed dedit ei liberum arbitrium, quo poſſet converti ad Deum, qui eum faceret beatum.* Quæ enim per amicos poſſumus per nos aliqualiter poſſumus, *ut dicitur in* 3. *Ethic. cap.* 3.

XIX. Objicies ſecundò. Natura dedit appetitum innatum ad plura, ad quæ non providit media; ergo &c. Antecedens probatur primò. Quia, ut docet D. Thomas 1. *par. qu.* 76. *art.* 1. *ad* 6., Anima ſeparata habet naturalem inclinationem ad corporis unionem: & tamen non habet media ad talem unionem obtinendam. Secundò. in homine datur appetitus innatus ad vivendum ſecundum rectam rationem: & ideò D. *Thom.* 1. 2. *qu.* 71. *art.* 2. probat, peccatum *eſſe contra naturam hominis, quia eſt contra ordinem rationis, quod enim eſt ſecundùm rationem, eſt ſecundùm naturam hominis, in quantùm eſt homo:* & tamen homo naturaliter non habet media, ut vivat ſecundum ordinem rationis, ſed indiget auxilio gratiæ; ergo &c.

XX. Reſpondetur negando antecedens. Ad primam prob. dico, animam ſeparatam habere inclinationem naturalem ad unionem cum corpore abſolutè, & ſpecificativè ſumtam, quia anima humana etiam ſeparata manet in ſuo eſſe, ratione cujus convenit ei ſecundùm ſe corpori uniri: non tamen ad unionem, reduplicativè ut amiſſam, quæ potiùs eſt reunio, quàm unio, & hoc pacto eſt ei impoſſibilis.

Ad ſecundam dico, quòd inclinatio, quæ eſt in homine poſt peccatum Adæ, ad vivendum ſecundum rationem, non eſt ſana, ſed vulnerata, & infirma. Quare in tali ſtatu *etiam deficit homo ab hoc, quod ſecundùm naturam poteſt, ut non poſſit totum hujuſmodi bonum implere, per ſua naturalia*, ut docet D. Tho. 1. 2. *qu.* 109. *art.* 2., ſed egeat auxilio Dei, quod tamen ſpectet ad ordinem naturæ: ſecùs eſſet de Viſione Dei, ut in caſu. Addo, quòd licèt in natura corrupta non dentur vires ad vivendum ſecundum rectam rationem ſemper, dantur tamen ad vivendum rectè in uno, vel altero caſu; quod de Viſione Dei non verificatur.

DU-

Digitized by Google

DUBIUM IV.

An ſaltem viribus ſupernaturalibus viſio clara Dei intellectui creato poſſibilis ſit.

§. I.

Errores referuntur.

I. ERrori Aetii, Eunomii, & Beguardorum tantum viribus naturæ tribuentium, ut Deum in ſe per eas videri poſſe, aſſererent, quos ſuperius refutavimus, alium extremè oppoſitum errorem excitaverunt *Armeni* ſeculo ſeptimo, qui inter alia, teſte Guidone Carmelitâ relato à Prateolo, aſſerebant, Beatos eſſentiam Dei non videre, ſed claritatem quandam illius eſſentiæ; ad quos fortè reſpexit D. Thomas 1. *p. q.* 12. *art.* 1., dùm ait, *quidam poſuerunt, quòd nullus intellectus creatus eſſentiam Dei videre poteſt:* vel ad *Arnaldiſtas*, aut *Almaricum* damnatum in *Concil. Lateran. IV. cap.* 2., qui ſeculo decimoſecundo, & decimotertio hunc Armenorum errorem adoptarunt; in quem poſtea impegerunt Trinitarii, teſte Prateolo.

II. Inter cæteros hunc errorem evulgavit apud Græcos *Gregorius Palamas*, de quo egimus ſupra *q.* 4. *de Attributis dub.* 1. §. 3., qui medio ſeculo decimoquarto aſſerebat inter alia, omnes Sanctos tàm Homines, quàm Angelos videre quidem gloriam Dei, ſeu ſplendorem à divinitate tanquàm Sole emiſſum (quod explicabat in lumine, quo circumfuſus fuit Chriſtus in Monte Thabor) ſubſtantiam verò Dei nullum, neque Hominem, neque Angelum vidiſſe unquam, nec videre poſſe. Ex quo inferebat, lumen illud divinum, quod tamen increatum ponebat, oculis corporalibus videri. Recolantur ſuperiùs dicta.

III. Catholica tamen ſententia eſt, intellectum creatum lumine gloriæ perfuſum videre poſſe, & de facto videre Divinam eſſentiam in ſe. Quod in Concilio Florentino communi conſenſu Latinorum, & Græcorum in Litteris Sanctæ Unionis ſtatutum eſt his verbis: *Illorumque Animas, qui poſt Baptiſma ſuſceptum, nullam omnino peccati maculam incurrerunt, illas etiam, quæ poſt contractam peccati maculam.... ſunt purgatæ, in Cœlum mox recipi, & intueri clarè ipſum Deum, trinum, & unum.*

§. II.

Aſſertio Catholica.

IV. DIco. Intellectus creatus lumine gloriæ confortatus poteſt clarè videre Divinam Eſſentiam, ut eſt in ſe. Hanc veritatem docuit Chriſtus, *Matth.* 5. *v.* 8. *Beati mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt.* Et Paulus 1. *Cor.* 13. *v.* 12. *Videmus nunc per ſpeculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem: nunc cognoſco ex parte: tunc autem cognoſcam, ſicut & cognitus ſum:* ideſt, ut exponit D. Thomas *lect.* 4., *ſicut Deus cognovit eſſentiam meam, ità Deum cognoſcam per eſſentiam: ità quòd ly ſicut non importat hìc æqualitatem cognitionis, ſed ſimilitudinem tantùm.* Quid autem eſt videre Deum, & facie ad faciem, & ſicut cognoſcimur à Deo, contrapoſitivè ad cognoſcere ipſum, per ſpeculum in ænigmate, & ſolùm ex parte, niſi ipſum clarè intueri, ſicut homo alium hominem? Hinc Divus Joannes *Ep.* 1. *c.* 3. *v.* 2. *cùm apparuerit* (inquit) *ſimiles ei erimus, quoniam videbimus eum, ſicut eſt.*

V. Quòd ſi dixeris, etiam de Moyſe dicitur *Exod.* 33. *v.* 11. *loquebatur autem Dominus ad Moyſen facie ad faciem, ſicut loqui ſolet homo ad amicum ſuum:* & tamen non infertur, quòd Moyſes viderit Deum, ut in ſe eſt.

VI. Reſpondebo primò neg. min.; ut enim infra oſtendam, probabile cenſet D. Thomas, Moyſen Deum in ſe, ſeu Dei ſubſtantiam tranſeunter vidiſſe. Secundò. Dato, quòd de facto Moyſes Deum in ſe non viderit, ſed tantùm in

Digitized by Google

in quadam clara Dei ſimilitudine, ſeu in Angelo perſonam Dei gerente, ad hoc fundamentum habemus ex eodem capite, nam cùm *v.* 13. Moyſes Deo dixiſſet: *oſtende mihi faciem tuam:* reſpondit ei Dominus *v.* 20.: *non poteris videre faciem meam: non enim videbit me homo, & vivet;* ex quibus infertur, neminem poſſe videre Deum, niſi exuat carnem hanc mortalem. At de Sanctis, qui carnem hanc mortalem jam exuerunt, eos videre Deum, facie ac faciem, ut ipſi videntur à Deo, & in hoc ſimiles Deo futuros, dicit Scriptura.

VII. Si replicaveris, Deum dici inviſibilem à D. Paulo 1. *ad Timoth.* 1. v. 17. *Regi autem ſeculorum immortali, inviſibili*, & cap. 6. verſ. 16. *qui ſolus habet immortalitatem, & lucem inhabitat inacceſſibilem: quem nullus hominum vidit, ſed nec videre poteſt.*

VIII. Dicam cum D. Thoma in hoc *cap.* 6. *lect.* 3., Paulum dicere, Deum eſſe inviſibilem, quem nullus hominum vidit, aut videre poteſt, vel oculo corporali, vel viſione comprehenſivâ, vel viſione intuitivâ per vires naturæ, vel tandem, ut eſt in hac mortali vita conſtitutus, niſi Chriſtus. Videndus D. Auguſtinus *Ep.* 147. olim 112. *ad Paulinam* de *videndo Deo*, & *Epiſt.* 148. olim 111. *ad Fortunatianum*, ubi ſolvit apparentes ſcripturarum contradictiones, & exponit, quomodo Deus inviſibilis, & viſibilis dicatur.

Eſto autem à Jeremia *cap.* 32. *v.* 19. Deus dicatur incomprehenſibilis, & ex hoc inferatur, Deum à nemine prorſus comprehendi poſſe; non tamen, ex quo Deus dicatur à D. Paulo inviſibilis, inferri debet, eum eſſe cuilibet creaturæ, & quocumque modo inviſibilem. Nam Deus ità à Scriptura dicitur *incomprehenſibilis cogitatu*, ut nullibi dicatur comprehenſibilis, niſi à ſeipſo. At ità dicitur inviſibilis, ut tamen alibi in Scriptura dicatur viſibilis à creatura, ut jam oſtendimus.

IX. Ad hanc Catholicam veritatem demonſtrandam deſunt quidem rationes efficaces propter dicta dubio præcedente; non deſunt tamen rationes congruentes, quibus, ſuppoſitâ fide, poſſibilitas viſionis claræ Dei poſſit ſuaderi, & præſertim illæ, quas ſuperiùs indicavimus ex D. Thoma 3. *contra gentes cap.* 50., & ea, quam expendit *hâc qu.* 12. *art.* 1.

X. Sic ergo diſcurro primò. Ideò impoſſibile eſſet intellectui creato quocumque lumine confortato, videre Deum ut eſt in ſe clarè, quia Deus eſt in ſummo intelligibilitatis gradu, & actus purus, intellectus autem creatus eſt in infimo gradu intellectivitatis infirmæ, & potentialis; ſed quamvis ex hoc inferatur, intellectum creatum non poſſe Deum videre adæquatè, & comprehenſivè, aut eum videre intuitivè viribus ſibi connaturalibus, non tamen eum non poſſe videre viſione purè quidditativâ, & viribus gratiæ ipſum confortantis; ergo &c. Minor probatur primò. Eſto Deus ſit in ſummo, & actu puriſſimo intelligibilitatis, non tamen eſt prorſùs extra ſphæram objecti intellectus creati, quod eſt intelligibile ut ſic; ſed quælibet potentia poteſt ſive propriis, ſive alienis viribus pervenire ad cognitionem cujuſcumque objecti intra ſuam ſphæram eſſentialem contenti: quemadmodum Sol, qui eſt maximè viſibilis, eſto videri non poſſit à veſpertilione propter exceſſum luminis viribus propriis, illum tamen videre poſſet, ſi fortiori lumine confortaretur; ergo &c.

XI. Confirmantur dicta. Quotiès aliqua potentia poteſt imperfecto modo aliquod objectum attingere, non repugnat, eam elevari ad illud perfectè attingendum, ut dicebam in potentia viſiva veſpertilionis, quæ, quia imperfectè lumen Solis videre poteſt, ſi majoribus viribus confortaretur, poſſet illud perfectè videre: & ratio eſt, quia objectum, quod ſaltem imperfectè ab aliqua potentia cognoſci poteſt, non eſt omnino extraneum ipſi, ſed continetur intra ſphæram ſui objecti adæquati; ſed intellectus creatus ſaltèm

Digitized by Google

tem imperfectè, & abſtractivè cognoſcere Deum poteſt; ergo non repugnat, ut, ſi viribus ſuperioribus confortetur, illum perfectè cognoſcat.

XII. Secundò probatur eadem minratione D. Thomæ hâc *qu.* 12. *art.* 1. Cùm ultima hominis beatitudo conſiſtat in ejus altiſſima operatione intellectus circa altiſſimum objectum, quod eſt Deus, ſi homo Dei eſſentiam videre non poſſet, vel homo nunquàm ſuam ultimam beatitudinem obtinebit, vel in alio quàm in Deo ejus beatitudo conſiſtet. Præterea in eo eſt ultima perfectio creaturæ rationalis, quod eſt ei principium eſſendi: In tantùm enim unumquodque perfectum eſt, in quantùm ſuum principium attingit; ſed principium creaturæ rationalis eſt Deus; ergo ſi non poſſet Deum attingere, careret ſuâ ultimâ perfectione. Tandem ineſt homini naturale deſiderium videndi cauſam, cùm intuetur effectus, & ex hoc admiratio in hominibus conſurgit; hoc autem deſiderium remaneret inane, ſi homo non poſſet videre Deum, qui eſt prima cauſa omnium. Hæ, ſimileſque ſunt rationes, quibus ſuppoſitâ Fide ſuaderi poteſt poſſibilitas Viſionis Dei.

§. III.

Sanctus Joannes Chryſoſtomus defenditur.

XIII. Objicies primò D. Joannem Chryſoſtomum hom. 14. *in Joann.* ſuper illa verba Joann. 1. *Deum nemo vidit unquam* dicentem: *Ipſum, quod eſt Deus, non ſolùm Propheta, ſed nec Angeli viderunt, nec Archangeli. Quod enim creabilis eſt natura, qualiter videre poterit, quod increabile eſt?*

XIV. Reſpondet D. Thomas hôc *art.* 1. *ad* 1., D. Chryſoſtomum loqui de viſione comprehenſionis: & ideò ferè ſtatim ſubdit. *Viſionem hic dicit certiſſimam Patris conſiderationem, & comprehenſionem tantam, quantam Pater habet de Filio.* In 4. *etiam ſent. diſt.* 49. *qu.* 2. *art.* 1. idem S. Doctor explicans præfata Chryſoſtomi verba ad primum: *Auctoritas* (inquit) *illa poteſt tripliciter exponi per Auguſtinum in lib. de Videndo Deum. Uno modo, ut excludatur viſio corporalis, quâ nemo vidit, vel viſurus eſt Deum in Eſſentia ſua. Alio modo, ut excludatur viſio intellectualis Dei per eſſentiam ab his, qui in iſta mortali carne vivunt. Tertio modo, ut excludatur viſio comprehenſionis ab intellectu creato: & ſic intelligit Chryſoſtomus; unde ſubdit*, notitiam hanc dicit Evangeliſta certiſſimam conſiderationem, & comprehenſionem tantam, quantam habat Pater de Filio: *Et hic eſt Evangeliſta intellectus: unde ſubdit*, Unigenitus, qui eſt in ſinu Patris, ipſe enarravit: *per comprehenſivam viſionem volens probare, Filium eſſe Deum*. Hæc D. Thomas. Dicit ergo Chryſoſtomus, Joannem Evangeliſtam, ex eo, quòd Filius videat Deum, quem nemo vidit unquam, nec videre poteſt, voluiſſe probare Filium Divinum eſſe Deum; ſed hoc unicè probari poteſt ex viſione comprehenſiva, ideſt tanta, quantam habet Pater; ergo de hac loquitur Chryſoſtomus.

XV. Propterea D. Auguſtinus *libro de Videndo Deo* à D. Thoma citato, quæ eſt *Epiſt.* 112. modo 147. *ad Paulinam cap.* 6., probat expoſitionem S. Ambroſii Magiſtri ſui, qui in *cap.* 1. *Lucæ lib.* 1. dixit: *Et ideò Deum nemo vidit unquam, quia eam, quæ in Deo habitat, plenitudinem divinitatis nemo conſpexit, nemo mente, aut oculis comprehendit.* Et *cap.* 8. *ejuſdem Epiſt.* loquens de Moyſe Deum rogante *Exod.* 33., ut ſibi ſe ipſum oſtenderet, ait S. Auguſt. *Ipſe ergo* (Deus) *erat in ea ſpecie, quâ apparere voluerat, non autem ipſe apparebat in natura propria, quam Moyſes videre cupiebat. Ea quippe promittitur Sanctis in alia vita.* Et *cap.* 9. ſubdit: *Non quia Dei plenitudinem quiſquam, non ſolùm oculis corporis, ſed vel ipſâ mente aliquando comprehendit. Aliud eſt enim videre, aliud totum videndo comprehendere. Quandoquidem id videtur, quod præſens utcumque*

quæ ſentitur: totum autem comprehenditur videndo, quod ità videtur, ut nihil ejus lateat videntem, aut cujus fines circumſpici poſſunt; ſicut te nihil latet præſentis voluntatis tuæ, circumſpicere autem potes fines annuli tui. Hæc Sanctus Auguſtinus.

XVI. Meritò igitur ab omnibus, etiam à ſuis, reprehenditur Pater Vazquez, qui in 1. *p. q.* 12. *art.* 1. *diſp.* 37. *cap.* 3. & 4. auſus eſt præfatas expoſitiones reiicere, quia, inquit, *Anomæi*, contra quos agit Chryſoſtomus, non adeò amentes erant, ut voluiſſent ſibi attribuere tantam ſcientiam, quantam de ſe ipſo habet Deus quoad modum cognoſcendi, ſed ſolùm quoad rem cognitam. Cùmque hanc neget Chryſoſtomus, non negat comprehenſivam, ſed quidditativam Dei cognitionem eſſe poſſibilem. Ità loquitur Vazquez: qui deinde alios multos SS. Patres cum Chryſoſtomo annumerans, eodem modo loquentes, concludit, quòd, ſi ſincerè loqui velimus, vix poſſumus eos in bonum ſenſum interpretari.

XVII. Meritò, inquam, ab omnibus reprehenditur, qui Sanctorum, ac Venerabilium Patrum doctrinæ notam hanc inurit, ut fieri videatur hæreticorum advocatus. Porrò, quòd Eunomiani ad hanc amentiam proceſſerint, ut ſibi tantam de Deo ſcientiam arrogaverint, quantam Deus de ſe ipſo habet, teſtatur Chryſoſtomus ipſe *homil.* 2. *de incomprehenſibili Dei natura*, quæ eſt contra Anomæos his verbis: *Auſus eſt homo dicere, Deum novi, ut ipſe Deus ſeipſum novit. Haeccine confutatione indigent? Haeccine demonſtratione? An non ſatis eſt, hæc ſolùm verba proferre, ut tota eorum impietas revelctur? Etenim hæc inſania eſt perſpicua, amentia inexcuſabilis, novus impietatis modus &c.* Idem teſtatur Theodoretus lib. 4. *hæretic. Fabularum tit. de Eunomio*. Idem Socrates *lib.* 4. *hiſt. cap.* 7., ubi de Eunomio loquens; *ſic* (inquit) *ait ad Verbum. De ſua ipſius ſubſtantia Deus nihil ampliùs ſcit, quàm nos, nec illa ipſi quidem notior, nobis autem obſcurior. Sed quidquid nos de illa ſcimus, hoc omnino & ille novit. Et contra quidquid ille ſcit, idem etiam in nobis abſque ulla diſcrepantia reperies*. Idem teſtatur D. Hieronymus, qui in *caput* 11. *Matth.* ad illa verba *nemo novit Filium, niſi Pater: erubeſcat* (inquit) *Eunomius, tantam ſibi notitiam Patris, & Filii, quantam alterutrum in ſe habeant, vendicans*. Hi teſtes pluris certè faciendi ſunt, quàm Vazquez: & quia Eunomio coævi, & quia majoris auctoritatis. Neque mirari debuerat Vazquez, Eunomium ad tantam deveniſſe inſaniam, cùm alii plures hæretici ſuperbiâ elati in graviores ſtultitias prolapſi ſint. Quid enim dicet de Manichæo, & Montano, qui ſe Spiritum Sanctum eſſe commenti ſunt? Quid dè aliorum amentiis, quas in hæreticorum Catalogis percurrere potuiſſet, quæ licèt incredibiles videantur, veræ tamen ſunt?

XVIII. Cæterum quòd D. Jo. Chryſoſtomus non negaverit, poſſibilem eſſe viſionem intuitivam eſſentiæ Dei in ſe, conſtat apertè ex *homil.* 1. *ad Theodorum lapſum* (edit. noviſſ.) ubi de Petro in Monte Thabor poſito ſic ait: *Audi, quid dicat Beatus Petrus*: Bonum eſt nos hîc eſſe. *Quòd ſi ille obſcurâ quadam conſpectâ futurorum imagine, omnia ſtatim rejecit ab animo, ob inditam à tali viſione voluptatem; quid dicetur, quando ipſa rerum veritas aderit, quando apertis regiis ædibus, ipſum regem conſpicere licebit, non ultrà in ænigmate, neque per ſpeculum, ſed facie ad faciem, non ultrà per fidem, ſed per ſpeciem?* Quibus nihil apertius pro adſtruenda Divinæ ſubſtantiæ viſione, non in ſpeculo, non in ænigmate, ſed facie ad faciem, & in propria ſpecie.

XIX. Cur autem alibi viſus ſit, cuilibet creaturæ negare viſionem ſubſtantiæ Dei, ratio eſt, quia S. Chryſoſtomus ibi ſcribebat, aut, ſi velis, concionabatur contra Anomęos (contra quos edidit homilias quinque de incomprehenſibili Dei natura) qui, ut vidimus, viſionem Dei tantam, quantam

tam de ſe ipſo habet Deus, ſibi arrogabant. Mos autem eſt Sanctorum Patrum, dùm aliquam hæreſim impugnant, ſic ab ea recedere, ut ad extremam partem declinare videantur: ideòque Chryſoſtomus ità negat viſionem Dei comprehenſivam, ut primâ fronte videatur negare etiam quidditativam, licèt reverâ eam fateatur, ut vidimus. Fundat enim Chryſoſtomus ſuum diſcurſum in teſtimonio relato D. Joannis dicentis, *Deum nemo vidit unquam*, ideſt eo modo, quo Deus videt Filium, nempe viſione comprehenſionis: & hoc modo verè dicit, nec videri ab Angelis, neque ab Archangelis, niſi per deſcenſum attemperando ſe lumini, cujus ſunt capaces; quod eſt aſſerere cognitionem Dei ſolùm quidditativam, & negare comprehenſivam. Unde homil. 4. *de incomprehenſibili Dei natura* ait: *Itaque cum audis:* Deum nemo vidit unquam, *id intellige, nullum eſſe, qui Deum ſubſtantialiter omnino perfectè cognoſcat*. Et infra. *Cum itaque Propheta dicit, illas virtutes Deum quamvis ſeſe attemperantem ferre non potuiſſe, nihil aliud ſignificat, quàm ejus cognitionem claram, & accuratam, comprehenſionemque ferre non poſſe.*

XX. His omnibus adderem, quòd (adhuc dato, D. Chryſoſtomum negare hominibus, & Angelis viſionem intuitivam Dei) non loquitur de cognitione, quam habent de Deo in Verbo, & quâ beati fiunt, ſed loquitur de cognitione, quam de Deo habuerunt Viri ſancti per prophetiam, & de ea, quam habent Angeli extra Verbum: hoc enim ſatis erat ad ejus intentum. Cùm enim Anomæi contenderent, ſe adhuc in carne conſtitutos tantam de Deo ſcientiam habere, quantam habet de ſe ipſe Deus; benè contra illos arguebat ſic. Iſaias, Ezechiel, aliique quamvis lumine prophetico illuſtrati: Angeli, Archangeli, quamvis infusâ præditi ſcientiâ, Dei ſubſtantiam in ſe, ſed ſolùm in lumine ab ipſa derivato videre, ac intueri non poſſunt. Vos autem miſeri mortales jactatis, quod iſti ingenuè fatentur ſe aſſequi non poſſe?

Diutiùs in D. Chryſoſtomi honore vindicando moratus ſum: decebat enim, pro ejus doctrinæ veritate, ac puritate laborare, quam tanti fecit Innocentius I. Romanus Pontifex, ut auditam ejus mortem deploraverit his verbis *Epiſt.* 30. *t.* 1. Concil. *Affligor de eis, qui ſapientiſſimâ, ſpirituali, & divinâ doctrinâ, & inſtitutione ejus orbati, fame verbi Dei conficiuntur, non enim Eccleſia tantùm Conſtantinopolitana mellitæ illius linguæ jacturam fecit, ſed orbis ſub Sole totus ad orbitatem redactus eſt, viro tam divino amiſſo.*

§. IV.

Alia objecta ſolvuntur.

XXI. Objicies ſecundò. De Angelis beatis 1. *Petri* 1. *v.* 12. dicitur: *In quem deſiderant Angeli proſpicere;* At ſi Deum viderent, non deſiderarent Deum proſpicere; ergo &c.

Reſpondetur, beatos Angelos videre Deum, conſtare teſtimonio Chriſti Matthæi 18 v.10. *Angeli eorum in Cœlis ſemper vident faciem Patris mei, qui in Cœlis eſt*. Dicuntur ergo Angeli *deſiderare*, non quia cupiant videre, quem non vident, ſed ut indicetur, quòd licèt ſemper videant, tantâ delectatione procul ab omni tædio, & faſtidio vident, ut vellent, ſi fieri poſſet, plus videre. Ità propoſito ſibi hoc dubio reſpondet S. Gregorius *lib.* 18. *Moral. cap.* 39. nunc 54. *Deum quippe Angeli & vident, & videre deſiderant, & ſitiunt intueri, & intuentur... Ne enim ſit in deſiderio anxietas, deſiderantes ſatiantur: ne autem ſit in ſatietate faſtidium, ſatiati deſiderant. Et deſiderant igitur ſine labore, quia deſiderium ſatietas comitatur: & ſatiantur ſine faſtidio, quia ipſa ſatietas ex deſiderio ſemper accenditur.*

XXII. Objicies tertiò, & replicabis. Theodoretus Dialogo primo, qui *immutabilis* inſcribitur, tria docet. Primum, quòd *impoſſibilis eſt hominibus, imò etiam Angelis..... Divina natura* con-

Digitized by Google

contuitur. Secundum, Deum viſum ſolùm fuiſſe poſt Incarnationem: *Manifeſtum eſt igitur, videri non poſſe divinam naturam, eſſe autem adſpectabilem carnem, perque hanc adſpectabilem, illam, quæ minimè eſt adſpectabilis, eſſe conſpectam*. Tertium, quòd Chriſti dictum: *Angeli eorum ſemper vident faciem Patris mei*: non debet intelligi de viſione divinæ ſubſtantiæ, ſed cujuſdam gloriæ eorum viſui attemperatæ. *Non enim* (iniquit) *divinam ſubſtantiam vident, quæ neque circumſcribi poteſt, neque cogitatione ſepiri, & univerſa complectitur: ſed gloriam quandam ad illorum naturam temperatam*.

XXIII. Reſpondeo, Theodoretum velle, divinam eſſentiam impoſſibile eſſe contueri, non oculo mentis confortato, ſed oculo corporis, ideòque ait, tunc primò viſam fuiſſe oculo corporis, cùm fuit Incarnata: cùm enim circumſcribi non poſſit, oculo corporali videri nequit, neque ab homine, neque ab Angelo; non tamen negat, eam poſſe videri oculo mentis. Nihil enim valeret hæc illatio. Natura divina circumſcribi non poteſt; ergo videri nequit nec oculo corporis, nec mentis: oculus enim mentis ferri poteſt ad ea etiam, quæ inextenſa, & incircumſcripta ſunt. Quod autem hæc fuerit Theodoreti mens, oſtendo. Nam in Dialogo citato vult contra Eutychianos probare, humanitatem in Chriſto non fuiſſe in Deitatem converſam, ſed in Chriſto poſt Incarnationem manſiſſe verum corpus. Quod præſtat hoc ratiocinio. Ille verum habet corpus, qui oculis corporeis viſus eſt: Divina autem eſſentia, cùm ſit ſpiritualis, & incircumſcripta, videri hoc modo non poteſt; ſed Chriſtus oculis corporeis viſus eſt; ergo verum habuit corpus.

XXIV. Objicies quartò. Deus eſt objectum infinitum; ergo non poteſt clarè videri ab intellectu finito: quia finiti ad infinitum non datur proportio, & præſertim, quia, ut ſupra diximus, virtus intellectiva debet eſſe tanta, quanta eſt intelligibilitas objecti.

XXV. Reſpondeo diſtinguendo conſeq., clarè videri, viſione adæquante, & comprehenſivâ, concedo conſequentiam, viſione inadæquante, & ſolùm quidditativâ, nego conſ. Ex quo ergo Deus ſit objectum infinitum, ſequitur quidem, non poſſe videri ab intellectu finito, viſione adæquante, comprehenſivâ, & circumſcribente fines divinitatis: hoc enim eſſet videre objectum infinitum infinito modo; non tamen ſequitur, quòd intellectus finitus videre non poſſit lumine divino confortatus objectum infinitum, viſione purè quidditativâ, & finito modo. Eſtò autem inter intellectum finitum, & infinitum non ſit proportio æqualitatis, eſt tamen proportio habitudinis, & capacitatis: ſicut enim inter naturam humanam, & ſubſiſtentiam Verbi, talis proportio habitudinis eſt, ut Verbum poſſit ſibi unire humanitatem, & eam reddere ſubſiſtentem: ità Deus poterit ſibi unire intellectum creatum, & eum reddere videntem ſe, modo intellectui creato poſſibili, cùm, utpote contentus intra ſphæram eſſentialem objecti illius, non ſit extra eſſentialem ejuſdem habitudinem, & capacitatem. Sumta eſt hæc reſponſio ex Divo Thoma 1. *p. qu.* 12. *art.* 1. *ad* 4., ubi ait. *Proportio dicitur dupliciter. Uno modo certa habitudo unius quantitatis ad alteram, ſecundùm quòd duplum, triplum, & æquale ſunt ſpecies proportionis. Alio modo qualibet habitudo unius ad alterum proportio dicitur. Et ſic poteſt eſſe proportio creaturæ ad Deum, in quantùm ſe habet ad ipſum, ut effectus ad cauſam, & ut potentia ad actum: Et ſecundùm hoc intellectus creatus proportionatus eſſe poteſt ad cognoſcendum Deum*. Quòd verò vis intellectiva creata non ſit tanta, quanta intelligibilitas Dei, ait D. Thomas ad 3., *ex hoc non ſequitur, quòd* (Deus) *nullo modo poſſit cognoſci; ſed quòd omnem cognitionem excedat: quod eſt ipſum non comprehendi*. Videatur D. Tho. etiam *in* 4. *diſt.* 49. *qu.* 2. *art.* 1. *ad* 6.

XXVI. Replicabis. Plus diſtat Deus ab

ab intellectu creato, quàm Angelus ab oculo corporeo; ſed ob hanc diſtantiam nequit oculus corporeus elevari ad videndum Angelum in ſe; ergo neque intellectus creatus ad videndum Deum in ſe.

XXVII. Reſpondeo cum D. Thom. *in 4. diſt. 49. qu. 2. art. 1. ad 7.*, quòd eſto plus diſtet intellectus creatus à Deo, quàm oculus corporeus ab Angelo, diſtantiâ entitatis, & naturæ: magis tamen diſtat oculus corporeus ab Angelo, diſtantiâ proportionis, & habitudinis, quia *ſenſus non eſt proportionatus ad cognoſcendum aliquid immateriale; ſed intellectus eſt proportionatus ad cognoſcendum quodcunique immateriale. Et hac ſimilitudo requiritur ad cognitionem, non autem prima: quia conſtat, quòd intellectus intelligens lapidem, non eſt ſimilis ei in naturali eſſe: ſicut etiam viſus apprehendit mel rubeum, & fel rubeum, quamvis non apprehendat mel dulce; mellis enim rubedo magis convenit cum felle, in quantùm eſt viſibile, quàm dulcedo mellis cum felle.* Hæc D. Thomas.

XXVIII. Tandem Objicies. Plùs eſt videre Deum, quàm omnes creaturas poſſibiles, cùm eas in infinitum ſuperexcedat; ſed beati non poſſunt videre omnes creaturas poſſibiles; ergo &c. Min. eſt communis apud Thomiſtas.

XXIX. Reſpondeo diſt. maî., quàm omnes creaturas poſſibiles in Deo, nego maj., extra Deum, concedo maj.; & eodem modo diſt. min., nego conſequentiam. Plus certè eſt videre Deum, & omnes creaturas in ipſo, & ex vi penetrationis omnipotentiæ, quia hoc eſſet comprehendere, & videre Deum, quantùm viſibilis eſt, nedùm ex parte rei cognitæ, ſed etiam ex parte modi cognoſcendi, nempe infinito modo; quàm videre Deum in ſe, & non videre omnes creaturas poſſibiles in ipſo; non tamen plus eſt videre omnes creaturas poſſibiles extra Deum, quàm videre Deum in ſe, etiam quidditativè. Eſtò autem nullus Beatus poſſit videre omnes creaturas poſſibiles in Deo, & ex vi cognitionis Dei, illas tamen extra Deum videre, non repugnat. Sed de hoc infra.

DUBIUM V.

An Deus poſſit videri oculo Corporeo ſupernaturaliter.

§. I.

Referuntur ſententiæ.

I. Naturaliter ab oculo corporeo Deum videri non poſſe, ſtatuimus *Dubio 1. præſentis quæſtionis §. 2.* Nunc quærimus, an ſaltem ſupernaturaliter, ideſt, an oculus corporeus tanto lumine poſſit confortari, ut ad Deum clarè videndum elevetur. Et loquimur, tùm de oculo corporeo hominis in hac mortali vita conſtituti, tùm de oculo hominis glorificati.

II. Negant communiter Theologi cum D. Thoma *hîc 1. p. q. 12. art. 3.*, & in *4. diſt. 49. qu. 2. art. 2.* Unicum invenio *Leonem Allatium*, virum cæteroquin eruditiſſimum, qui Beatos oculis corporeis viſuros eſſe Deum affirmet: Libro enim *de perpetua conſenſione cap. 17.* (ut refert noſter Alexandre *ſeculo 13. & 14. hiſt. Eccleſ. cap. 3. art. 14.*) arguit Barlaamum, & Palamam, quòd negarint, lumen illud, quod viderunt Apoſtoli in monte Thabor, fuiſſe lumen verè divinum ab eſſentia divina emanans, ab eaque indiſtinctum: *Verum enim eſt* (inquit) *oculis corporeis increatum conſpici non poſſe: at dùm oculi in ſtatu, & conditione naturæ manent; ſed ſi diviniore vi corroborati ad altiora eleventur, nil impedit, corporeis hiſce oculis in eminentiorem ſtatum ſublevatis Deitatem ipſam, & gloriam Deitatis, quæ una cum Deo eſt, videri. Idque expertiſſimâ ratione confirmatur. Nam Beata Virgo, quam modo aſſumtam canit Eccleſia cum corpore ipſo, Deum, & divinitatem ipſiſſimis oculis corporeis, ſublevatis tamen, & divinâ vi confirmatis*,

V 2

matis, intuetur. Et poſt Judicium univerſale, Beati reſumtis corporibus, corporeis oculis gloriam Deitatis, deitatemque ipſam conſpicient &c. Hæc tamen Allatii ſententia ſingularis eſt, & ab omnibus reiicitur.

§. II.

Statuitur Concluſio.

III. DIco. Deus videri non poteſt oculo corporeo, nec elevato, nec glorificato. Hoc indicat primò Scriptura, quæ Deum vocat *inviſibilem*, Deum *neminem vidiſſe* pronunciat; quę, cùm non poſſint exponi de oculo mentis, ut oſtenſum eſt, ſaltem de oculo corporis intelligi debent. Unde S. Auguſt. (relatus a D. Thom. hôc art. 3. in arg. ſed contra) *Epiſt.* 112. nunc 147. *cap.* 9. *Deum* (inquit) *nemo vidit unquam, vel in hac vita, ſicut ipſe eſt, vel in Angelorum vita, ſicut viſibilia iſta, quæ corporali viſione cernuntur.* Et *Ep.* 6. nunc 92. *Per hoc enim* (ait) *videri ab homine non poteſt, per quod videt homo corpore corpora.* Et *eâdem Epiſt.* paulò poſt exponens illa verba 1. Joan. 3. v. 2. *ſimiles ei erimus, quia videbimus eum, ſicuti eſt:* ait: *In tantùm ergo videbimus, in quantùm ſimiles ei erimus; quia & nunc in tantùm non videmus, in quantùm diſſimiles ſumus. Inde igitur videbimus, unde ſimiles erimus. Quis autem dementiſſimus dixerit, corpore nos vel eſſe, vel futuros eſſe ſimiles Deo? In interiore igitur homine iſta ſimilitudo eſt &c.*

IV. Propterea idem S. D. *Epiſt.* 111. nunc 148. *ad Fortunatianum*, quâ agit de quodam Epiſcopo ſentiente, nos oculis corporeis viſuros Deum, affert teſtimonia Ambroſii, Hieronymi, & Athanaſii, & Gregorii Nazianzeni, qui concorditer adversùs Arianos demonſtrarunt Verbum, ut Verbum eſt, nunquam corporis oculis viſum fuiſſe. *Cap.* 2. *Beatus Ambroſius de Chriſto cùm ageret ſecundùm id, quod Verbum eſt, non enim corporalibus, inquit, ſed ſpiritualibus oculis Jeſus videtur.* Et infrà. *Sanctus autem Hieronymus ait: Videre Deum ſicuti eſt in natura ſua oculus hominis non poteſt.* Et inferius de Athanaſio, & Nazianzeno dicit, eos contra Arianos conſtanter propugnaſſe Filium æquè, ac Patrem natura inviſibilem eſſe, & cùm Patribus ſeſe videndum exhibuit, non in natura, *ſed aſſumtione creaturæ*, ut ait Athanaſius, vel *conſpicabilis materiæ diſpoſitione aſſumtâ, ſalvâ ſuâ inviſibilitate*, ut ait Nazianzenus, id contigiſſe. Quibus, traditione Patrum confirmatur, Deum oculo corporeo inviſibilem eſſe.

V. Probatur ergo rationibus, quibus S. Auguſtinus *Epiſt.* 6. modò 92. probat, quòd Deum oculus videre corporis, neque nunc poteſt, neque tunc poterit. Quarum prima eſt. *Omne, quod oculis corporis conſpici poteſt, in loco aliquo ſit, neceſſe eſt, nec ubique ſit totum, ſed minore ſui parte minorem locum occupet, & majore majorem;* Sed Deus, utpote immenſus, eſt ubique totus, & quia indiviſibilis, non occupat minore ſui parte minorem locum, & majore majorem; ergo &c.

VI. Secunda. Si, quia Paulus dicit 1. Cor. 13. 12., nos viſuros Deum *facie ad faciem, corporalem faciem voluerimus accipere; conſequens erit, ut etiam Deus talem habeat faciem, & ſit aliquod intervallum inter noſtram, & ipſius, cùm eum videbimus facie ad faciem: Et ſi intervallum, utique finis, & membrorum habitus terminatus;* ſed hæc omnia *abſurda ſunt, cogitatuque impia?* ergo &c.

VII. Tertia. Cùm aſſererent, quòd negare Deum poſſe oculis corporeis videri, foret detrahere omnipotentiæ Dei, eos hoc dilemmate premit. *Potuit ne Chriſtus carni ſuæ præſtare, ut oculis corporeis videret Patrem, an non potuit? Si potuit; Cur ſolis oculis corporeis Chriſti hoc donum attributum eſſe contendunt, non etiam cæteris ſenſibus? Sonus ergo erit Deus, ut poſſit etiam auribus percipi? & halitus erit, ut ſentiri poſſit olfactu. Et liquor aliquis erit,*

ut

ut poſſit & bibi? & moles erit, ut poſſit & tangi? non inquiunt. Quid ergo? An illud poteſt Deus, hoc non poteſt? Si non poſſe dixerint; cur derogant omnipotentiæ Dei? Si poſſe, & nolle reſponderint; cur ſolis oculis favent, invident autem cæteris ſenſibus Corporis Chriſti?

VIII. Hâc aliâ ratione utitur S. Cyrillus Hierosolymit. *Catecheſi 9.* dicens: *Carnis quidem oculis Deum cernere, impoſſibile eſt: quod enim incorporeum eſt, ſub carnis oculos cadere non poteſt.*

IX. Probatur inſuper ratione Divi Thomæ in 4. *diſt.* 49. *qu.* 2. *art.* 2. Impoſſibile eſt, ut à viſu, vel quocumque alio ſenſu removeatur id, ſine quo viſus non eſſet viſus, & ſenſus non eſſet ſenſus; atqui ſi viſus, aut quilibet alius ſenſus Deum perciperet, removeretur à viſu, & à ſenſu id, ſine quo non eſſet ampliùs nec viſus, nec ſenſus; ergo &c. Minor probatur. Cùm viſus, in quantùm eſt viſus, datus ſit, ut percipiat colorem, & ſenſus, in quantùm ſenſus, datus ſit, ut percipiat magnitudinem, ſeu extenſionem: ſi viſus perciperet aliquid, quod non ſit color, & ſenſus aliquid, quod non ſit magnitudo, jam viſus non eſſet viſus, nec ſenſus eſſet ſenſus, niſi æquivocè; ſed ſi viſus, aut ſenſus perciperet Deum in ſe, jam viſus perciperet aliquid, quod non eſt color, & ſenſus aliquid, quod non eſt magnitudo; ergo &c.

Confirmatur. Si auditus perciperet aliquid, quod non ſit ſonus, vel guſtus aliquid, quod non ſit ſapor, vel tactus aliquid, quod non ſit moles, jam auditus non eſſet auditus, guſtus, non eſſet guſtus, tactus non eſſet tactus; ergo ſi viſus &c.

X. Secundò prob. eadem minor ratione D. Thomæ *hîc art.* 3. *q.* 12. 1. *p.* Senſus viſus, & quilibet alius ſenſus, eſt eſſentialiter actus organi corporei, & conſequenter actus proportionatus viſui, & ſenſui eſt eſſentialiter alligatus rei corporeæ; ergo ſi elevaretur ad attingendum Deum, qui eſt prorsùs incorporeus, extraheretur à ſua ſphæra eſſentiali, & viſus non eſſet viſus, nec ſenſus eſſet ſenſus.

XI. Hinc conficitur ratio communis in Scholis ſub hac forma. Repugnat, quòd potentia vitalis, & cognoſcitiva feratur extra ſphæram eſſentialem ſui objecti adæquati, & ſpecificativi, alioquin feretur extra propriam ſpeciem, quod implicat: & hâc ratione quilibet alius ſenſus continetur intra ſpeciem proprii objecti, puta viſus intra ſpeciem coloris, nec poteſt egredi ad ſpeciem objecti alterius ſenſus, puta ſonum; ſed Deus, ut eſt in ſe videndus, eſt extra ſpeciem eſſentialem objecti adæquati, & ſpecificativi oculi corporei, & cujuſvis alterius ſenſus; ergo &c. Min. probatur objectum adæquatum, & ſpecificativum oculi corporei eſt ens corporeum ſenſibile coloratum, objectum verò adæquatum cujuſvis ſenſus eſt ens materiale, & extenſum; ſed Deus eſt in ſe penitùs immaterialis, inextenſus, & incorporeus; ergo &c.

XII. Dices. Si Deus, quamvis actus puriſſimus, non tamen eſt extra ſphæram eſſentialem objecti intellectus creati, qui eſt potentialis, etſi non ſit objectum proportionatum, ſed excedens: cur dici non poterit, Deum eſſe intra ſphæram objecti adæquati ſenſus, non quidem ut objectum connaturale, & proportionatum, ſed ut excedens?

XIII. Sed contra. Ideò Deus eſt intra objectum adæquatum intellectus creati, quia, cùm hoc ſit intelligibile ut ſic, comprehendit quodcumque intelligibile, & etiam Deum, licèt, quia eſt in actu puriſſimo intelligibilitatis, ſit objectum non proportionatum, ſed excedens vires ejus, non tamen capacitatem. At objectum ſenſus viſus, & cujuſvis alterius, eſt limitatum ad ſpeciem entis corporei, & ſenſibilis; Quare Deus, cùm ſit prorsùs incorporeus, & inſenſibilis, eſt non ſolùm ſupra vires, ſed ſupra ſpeciem, & capacitatem oculi corporei, & cujuſvis ſenſus. Hinc videmus, quòd Intellectus creatus viribus naturæ ſaltem imperfectè Deum attingit, ex quo inferi-

ferimus, poſſe elevari ad eum perfectè attingendum, tanquàm id, quod non ſit ei eſſentialiter extraneum. At oculus corporeus, vel quivis alius ſenſus, neque imperfectè Deum poteſt attingere, ex quo inferimus, Deum eſſe totaliter extra ſphæram eſſentialem cujuſvis ſenſus corporei.

Alioquin ſi poneremus Deum intra ſphæram eſſentialem oculi corporei hominis, & proinde diceremus, hanc eſſe elevabilem ad Dei viſionem: cur idem dicere non poſſemus de oculo bruti? nimirùm reſpectu hujus Deum eſſe objectum ſolùm improportionatum, & excedens, & proindè etiam oculum bruti elevari poſſe ad videndum Deum: quo quid abſurdius?

§. III.

Solvuntur argumenta ab auctoritate.

XIV. Objicies ex Scriptura. Primò. *Exod.* 33. *v.* 11. dicitur, Deum Moyſi locutum fuiſſe *facie ad faciem, ſicut homo ſolet loqui ad amicum ſuum.*

Secundò. *Numer.* 12. *v.* 8. Ipſemet Deus hæc ait. *Ore ad os loquor ei, & palam, & non per ænigmata, & figuras Dominum videt.*

Tertiò. *Job cap.* 19. *v.* 26. hæc ait: *Et in Carne mea videbo Deum Salvatorem meum.* Et *cap.* 42. *v.* 5. *Auditu auris audivi te, nunc autem oculus meus videt te.*

Quartò. Patriarchis, & Prophetis Deus viſibiliter apparuit: Jacob *Gen.* 28. *v.* 13. vidit *Dominum innixum Scalæ:* Iſaias 6. v. 1. *Vidi Dominum ſedentem ſuper ſolium &c.*

XV. Reſpondetur ad primum, & ſecundum textum, Deum dici locutum fuiſſe Moyſi facie ad faciem, ſicut amicus ſolet loqui ad amicum, ore ad os, quia immediatè per ſeipſum, ſive per Angelum, & non ampliùs ſub ſpecie rubi, vel alterius ſimilitudinis corporalis ei loquebatur: non tamen Moyſes oculo corporali Deum vidit, ſicut homo videre ſolet amicum ſuum, dùm ei facie ad faciem, & ore ad os loquitur, cùm Deus, ut probatum eſt, hoc modo non ſit viſibilis: ſed ſi Deum vidit, oculo mentis eum intuitus fuit. *Cùm legis:* videmus nunc per ſpeculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem: *Intellige, inde nos tunc viſuros facie ad faciem, unde videmus nunc per ſpeculum in ænigmate. Hoc autem utrumque interioris hominis munus eſt, ſive cùm in iſta peregrinatione adhuc per fidem ambulatur, in qua utitur ſpeculo, & ænigmate, ſive in illa patria, cùm per ſpeciem contemplabitur.* Ità S. Auguſtinus monebat *Italicam Epiſt.* 6. nunc 92. Et *Epiſt.* 147. olim 112. *cap.* 9. refert ex Ambroſio hæc verba: *ſpecies videtur, virtus verò narratur: illa oculis, hæc mente comprehenditur.*

XVI. Ad tertium adverto, Job non dicere *& per carnem meam*, ſed *& in carne mea*, quibus, ait D. Thom. *hic art.* 3. *ad* 1., & *in* 4. *diſt.* 49. *qu.* 2. *art.* 2. *ad* 2., *non intelligitur, quòd oculo carnis ſit Deum viſurus: ſed quòd in carne exiſtens poſt reſurrectionem ſit Deum viſurus.* Hoc priùs dixerat S. Auguſt. *lib.* 22. *de Civit. Dei cap.* 29. his verbis: *Illud etiam, quod ait ſupramemoratus Job, ſicut in exemplaribus, quæ ex Hebræo ſunt, invenitur:* & in carne mea videbo Deum: *reſurrectionem quidem carnis ſine dubio prophetavit; non tamen dixit: per carnem meam .... ac ſi dixiſſet: In carne mea ero, cùm videbo Deum.* Addit tamen, quòd ſi dixiſſet: *per carnem meam: poſſet Deus Chriſtus intelligi, qui per carnem in carne videbitur.* Utraque reſponſio amplecti poteſt.

Ad aliam verò auctoritatem ex Job reſpondet D. Thomas locis citatis, *quod dicitur, oculus meus videt te, intelligitur de oculo mentis, ſicut dicit Apoſtolus Epheſ.* 1. det vobis ſpiritum ſapientiæ in agnitione ejus, illuminatos oculos cordis veſtri. Ità etiam reſpondet S. Auguſtinus *l.* 22. *de Civit. Dei c.* 29.

XVII. Ad quartum dico, SS. Patriarchas, & Prophetas vidiſſe Deum viſione imaginariâ, & conſequenter

Digitized by Google

eum non vidiſſe in ſe, ſed in aliqua ſimilitudine ſenſibili ſui, puta ſub forma lucis, rubi ardentis, ſenis, vel per internam ſpeciem in eorum imaginativa, ſive in ſomno, ſive in vigilia formatam. *In viſione* autem *imaginaria* (ait D. Tho. hìc *q.* 12. *art.* 3. *ad* 3.) *non videtur Dei Eſſentia, ſed aliqua forma in imaginatione formatur repræſentans Deum ſecundùm aliquem modum ſimilitudinis, pro ut in Scripturis Divinis, divina per res ſenſibiles metaphoricè deſcribuntur.*

XVIII. Objicies ſecundò. D. Auguſtinus *lib.* 22. *de Civit. Dei cap.* 29. videtur, oculo corporeo glorificato viſionem claram Dei in ſe concedere. Ait enim. *Vis itaque præpollentior oculorum erit illorum* (ſcilicet glorificatorum) *non ut acriùs videant, quàm quidam perhibentur videre Serpentes, vel Aquila* (*quantâlibet enim acrimoniâ cernendi eadem quoque animalia nihil aliud poſſunt videre, quàm corpora*) *ſed ut videant & incorporalia;* ſed quicumque poteſt elevari ad videndum incorporalia, poteſt elevari ad videndum Deum; ergo oculus corporalis glorificatus &c.

XIX. Reſpondeo primò. De mente S. Auguſtini dubitandum non eſſe, teſtantur rationes ex eodem allatæ, quibus impoſſibile eſſe demonſtrat, oculum corporeum, etiam Chriſti, videre Deum. Reſpondeo ergo cum Divo Thoma ſæpè laudato *art.* 3. *ad* 2., S. Auguſtinum loqui, non ſtatuendo, ſed inquirendo: unde præmiſerat: *Sed utrùm videbunt & per oculos corporis, cùm eos apertos habebunt, inde quæſtio eſt;* loquitur etiam ſub conditione, unde ſubdit: *longè itaque alterius erunt potentiæ, ſi per eos videbitur incorporea illa natura, quæ non continetur loco, ſed ubique tota eſt.* Quibus aſſerit, quòd ſi oculus corporeus videret incorpoream naturam Dei, eſſet altera potentia, nimirùm non eſſet amplius oculus corporeus, quia hoc non eſſet, acutiori lumine videre tantùm corporalia, ut de Serpentibus, & Aquila perhibetur, ſed videre etiam incorporalia. Ità inquirendo, & dubitando diſcurrit S. Auguſtinus. Quare immediatè ſubjungens Jobi dictum *cap.* 42. ſuperiùs relatum, quaſi anceps, an debeat de oculo ſpirituali, an etiam de corporali intelligi, concludit: *ſed utrum etiam corporalibus oculis ibi videatur, hoc in iſta quæſtione verſamur.* Deindè afferens aliud Jobi dictum *cap.* 19., illud, ut ſupra, interpretatur de oculo mentis, ſicut & illud Pauli *facie ad faciem* 1. Cor. 13. dicens: *& illud, quod ait Apoſtolus* facie ad faciem, *non cogit, ut Deum per hanc faciem corporalem, ubi ſunt oculi corporales, nos viſuros eſſe credamus, quem Spiritu ſine intermiſſione videbimus.* Hæc omnia adducere volui, ut pateat, S. Doctorem hæſitanter fuiſſe locutum, an ſcilicet oculus glorioſus factus quodammodo ſpiritalis poſſit ad hoc pertingere, ut videat Deum, nec ne: qui propterea claudit, in hac materia *neceſſe eſt, ut contingat in nobis, quod legitur in libro Sapientiæ* 9. 15. cogitationes mortalium timidæ, & incertæ providentiæ noſtræ.

XX. Tandem mentem ſuam aperit dicens: *Valdè credibile eſt, ſic nos eſſe viſuros mundana tunc corpora Cœli novi, & terræ novæ, ut Deum ubique præſentem, & univerſa etiam corporalia gubernantem, per corpora, quæ geſtabimus, & quæ conſpiciemus quaquàverſum oculos duxerimus, clariſſimâ perſpicuitate videamus: non ſicut nunc inviſibilia Dei per ea, quæ facta ſunt intellecta conſpiciuntur, per ſpeculum in ænigmate, & ex parte, ubi plus valet fides, quâ credimus, quàm rerum corporalium ſpecies, quam per oculos cernimus corporales, ſed ſicut homines, inter quos viventes, motuſque vitales exſerentes vivimus, mox ut adſpicimus, non credimus vivere, ſed videmus, cùm eorum vitam ſine corporibus videre nequeamus, quam tamen in eis remotâ omni ambiguitate conſpicimus: itâ quàcumque ſpiritalia illa lumina corporum noſtrorum circumferemus, incorporeum Deum omnia regentem, etiam per corpora contuebimur.* Hæc

Hæc reſolutio eſt Auguſtini addentis; quòd per illos oculos ſic videatur Deus, ut ejus incorporea natura cernatnr, ullis exemplis, aut Scripturarum tcſtimoniis divinarum, *difficile, vel impoſſibile eſt oſtendere.*

XXI. Super his D. Thomas relatus *art. 3. qu. 12. 1. p.ſr. ad 2.* ſic diſcurrit: *Ex quo patet, quòd hoc modo (* Auguſtinus *) intelligit, oculos glorificatos Deum viſuros, ſicut nunc oculi noſtri vident alicujus vitam. Vita autem non videtur oculo corporali, ſicut per ſe viſibile, ſed ſicut ſenſibile per accidens, quod quidem à ſenſu non cognoſcitur: ſed ſtatim cum ſenſu ab alia virtute cognoſcitiva. Quòd autem ſtatim viſis corporibus, divina præſentia in eis cognoſcatur per intellectum, ex duobus contingit, ſcilicet ex perſpicuitate intellectus, & ex refulgentia divinæ claritatis in corporibus innovatis.*

XXII. Eodem modo exponit Angelicus Doctor in 4. *diſt.* 49. *qu.* 2. *art.* 2. in corpore ſic: *Cùm ergo viſus, & ſenſus ſit futurus idem ſpecie in corpore glorioſo, non poterit eſſe quòd divinam eſſentiam videat, ſicut viſibile per ſe: videbit autem, eam ſicut viſibile per accidens, dùm ex una parte viſus corporalis tantùm gloriam Dei inſpiciet in corporibus, & præcipuè glorioſis, & maximè in Corpore Chriſti: & ex parte alia intellectus tàm clarè videbit Deum, quòd in rebus corporaliter viſis Deus percipietur, ſicut in locutione percipitur vita: quamvis enim tunc intellectus noſter non videat Deum ex creaturis, tamen videbit eum in Creaturis corporaliter viſis: & hunc modum, quo Deus corporaliter poſſit videri, ponit Auguſtinus in fine de Civitate Dei &c.*

En ergo à fido ejus interprete Divo Thoma in aperto poſita mens Auguſtini: nimirùm quòd oculus corporeus glorificatus videbit Deum; non tanquam viſibile per ſe, ſed tanquam viſibile per accidens: ſicut homo videns heminem loqui, videt ejus vitam: & rursùs, quòd ubi nunc ex creaturis viſis corporaliter aſſurgit intellectus ad videndum Deum obſcurè: tunc in creaturis ratione fulgoris à Deo in eas derivati, intellectus clarè Deum videbit, & non tantùm per fidem, ſicut modò. Quæ dicta ſint pro explanatione textus allati. Porrò mentem Auguſtini ſuperiùs expoſuimus ex Epiſtola ejus 6. nunc 92. ad Italicam: & in Epiſt. 112. nunc 147. ad Paulinam: & 111. nunc 148. ad Fortunatianum, quibus ex profeſſo rem hanc pertractat, quò Lectorem remitto.

XXIII. Nec refert, quòd relatâ Epiſt. 112., ſive 147. in fine hanc difficultatem *de corpore ſpirituali*, ſeu glorioſo remiſerit ad libros de Civitate Dei finaliter pertractandam. Nam hoc non nego. Sed dico, quòd S. Doctor non dubitavit unquam, an oculus corporeus viſurus eſſet Deum: hoc enim conſtanter negavit ſemper. Sed cùm quidam aſſererent, poſt reſurrectionem oculos (imò totum corpus) fore ſpiritualizatos, & factos ſpiritales; Ideò preſſus mole difficultatis (nam ex una parte noverat oculum corporeum incorporalia videre per ſe non poſſe, ex alia parte putans, aliquid plus concedendum eſſe oculo ſpiritali, quàm oculo merè carnali) eligit mediam viam, & dicit, quòd oculus beatus, & ſpiritalis videbit Deum per accidens in ſulgore ab ipſo in corpore rutilante, cùm ad dicendum, quòd viſurus ſit Deum in natura ſua, nec exemplis, nec Scripturis probari poſſit. Vel quòd ſi oculus glorioſus ità ſpiritualizetur (quod aliqui volebant) ut eſſe corporale exuat, tunc Deum viſurum. Sed hoc eſt loqui, non abſolutè, ſed hypotheticè.

§. IV.

Solvuntur argumenta à ratione.

XXIV. PRimò objicies. Ideò aſſeritur, Deum videri non poſſe oculis corporeis, quòd oculi nullam cum eo habeant proportionem; atqui illa ratio nulla eſt; ergo &c. Minor

Digitized by Google

nor probatur primò. Eſtò ens ſupernaturale nullam habeat proportionem cum potentia naturali, poteſt tamen potentia naturalis ſupernaturalizari, & elevari ad videndum Deum ſupernaturalem; ergo eſtò potentia corporalis nullam habeat proportionem cum objecto corporeo, poterit ſpiritualizari, ut in oculo beato contingit, & ſic Deum in ſe videre.

Secundò. Creaturæ per abſolutam Dei potentiam elevari poſſunt ad effectus, cum quibus nullam habent proportionem; ut patet in igne inferorum, qui agit in damnatorum animas, etſi iſtæ ſpirituales ſint, ille corporeus: & in Sacramentis, quæ gratiam in anima producunt, cum quà, utpote corporea, nullam habent proportionem.

XXV. Reſpondetur neg. min. Ad primam ejus probat. dico, quòd eſtò ens ſupernaturale, ideſt Deus, non habeat proportionem naturalem cum potentia intellectiva, habet tamen cum ea proportionem eſſentialem, ex quo intra lineam intelligibilis continetur, ut poſſit talis potentia abſque eo, quòd extra ſuam ſpeciem feratur ſupernaturalizari, & elevari ad illud attingendum. At objectum ſpirituale nullam, neque eſſentialem, proportionem habet cum potentia corporali. Cùm enim hæc eſſentialiter ſit actus organi corporalis, eſſentialiter reſtringitur ad objectum corporale, ità, ut, ſi extra illud ferretur, à propria ſpecie eſſentiali exiret, & eſſet potentia corporea, & non eſſet.

Ad ſecundam prob. min. diſtinguo antecedens, elevari poſſunt tanquàm cauſæ inſtrumentales, conc. antecedens: ſic enim èlevatur ignis, ut inſtrumentum divinæ juſtitiæ ad torquendos ſpiritus, & ſacramenta ad cauſandam gratiam: tanquàm cauſæ principales, nego antecedens. Cauſa enim principalis non poteſt ferri extra, vel ſupra ſuam ſpeciem. Cùm ergo oculus corporeus deberet elevari per modum cauſæ principalis, & ſe moventis ab intrinſeco, utpote cauſa eſſentialiter vitalis, & non ut purè ab alio motus, quod eſt proprium inſtrumenti; hinc eſt, quòd non poteſt elevari ad aliquod, cum quo non habeat ſaltem radicalem proportionem, & quod intra ſuam ſphæram eſſentialem non contineatur, intra quam, ut vidimus, nulla res incorporea, & maximè Deus, contineri poteſt.

XXVI. Objicies ſecundò. Poteſt Deus ferre potentiam extra ſphæram ſuæ activitatis, ut poſſit videre, & audire objectum per multas leucas diſtans; ergo poteſt ipſam ferre extra ſuam ſpeciem, faciendo, quòd oculus corporeus videat incorporea.

Confirmatur. Poteſt Deus facere, ut res finita videat objectum infinitum; ergo & quòd res corporea videat ſpiritum.

XXVII. Reſpondetur conc. ant. negando conſequentiam. Primum enim poteſt fieri à Deo, quia ferre potentiam extra, ſeu potiùs ultra ſphæram ſuæ activitatis naturalis ſit in genere cauſæ efficientis, adjuvando potentiam, vel fortificando objectum, ut ad potentiam licèt diſtantem poſſit ſpeciem ſui emittere, quod benè poteſt ſuppleri à Deo. Non autem fieri poteſt ſecundùm: quia ferre potentiam extra ſuum objectum formale pertineret ad genus cauſæ formalis, & ſpecificativæ, quod Deus ſupplere non poteſt, cùm nequeat mutare naturas, & ſpecies rerum.

Si dicas. Oculus Chriſti videt ſe ipſum, ut exiſtentem in Sacramento Altaris; ſed ibi eſt modo inextenſo, & extra ſuam ſphæram; ergo &c. Et ſimiliter alius oculus glorificatus poterit Corpus Chriſti in Sacramento videre.

Reſpondeo diſt. maj., ſe ipſum &c. ſpecificativè, conc. maj., reduplicativè ut ſub tali modo, nego maj. Reſponſio eſt D. Thom. 3. *p. qu. 76. art. 7.*, ubi quærit, an Corpus Chriſti, pro ut eſt in hoc Sacramento, poſſit videri ab oculo glorificato: ubi poſtquàm negativè reſolvit: ad ſecundum reſpondet ſic: *Oculus corporalis Chriſti videt*

det ſe ipſum ſub Sacramento exiſtentem; non tamen poteſt videre ipſum modum eſſendi, quo eſt ſub Sacramento: quod eſt proprium ſolius intellectus. Nec tamen eſt ſimile de alio oculo glorioſo: quia & ipſe oculus Chriſti eſt ſub hoc Sacramento, in quo non conformatur ei alius oculus glorioſus.

Ad confirm. nego conſequentiam, & diſparitas eſt, quia Deus etſi infinitus, eſt tamen ens, & intelligibile: ideòque continetur intra ſphæram objecti potentiæ intellectivæ finitæ, ſaltem ut objectum excedens, quia ejus objectum adæquatum eſt ens, & intelligibile ut ſic. At ſpiritus eſt totaliter extra ſphæram potentiæ corporeæ, cujus objectum adæquatum eſt ens ſenſibile.

XXVIII. Tertiò objicies. Oculus incorporeus poteſt corporalia videre; ergo & oculus corporeus incorporalia.

Reſpondeo cum D. Thom. in 4. *diſt.* 49. *qu.* 2. *art.* 2. *ad* 4., quòd immaterialitas maximè juvat cognitionem, imò eſt ratio cognoſcendi, & quantò magis aliquis eſt à materia depuratus, tantò magis cognoſcit nedùm ſpiritualia, ſed & corporalia. At materialitas, ſeu corporeitas eſt impedimentum cognitionis: ideòque res corporea ut ſit cognoſcitiva, eget aliquantùm extolli ſupra materiam, ſaltem in modo operandi, & propterea nequit ſupra corporalia ſe extollere, & attingere quæ prorsùs incorporea ſunt.

XXIX. Quartò objicies. Deus ſicut eſt præſens per eſſentiam ſuam in intellectu beati, ità erit præſens in ſenſu ejuſdem, quia erit omnia in omnibus 1. *Cor.* 15.; ſed videbitur ab intellectu beato per hoc, quòd ſua eſſentia ei conjungatur; ergo eàdem ratione poterit à ſenſu videri.

Reſpondetur cum eodem D. Thom. citato ad 7., quòd *intellectus eſt perceptivus ſpiritualium, non autem viſus incorporalium; & ideò intellectus poterit cognoſcere Divinam eſſentiam ſibi conjunctam, non autem viſus incorporalia.*

QUÆSTIO II.

De Exiſtentia Viſionis Dei.

Viſionem Dei aliquando extituram, oſtendunt ea, quæ de ejus poſſibilitate quæſtione præcedente dicta ſunt; difficultas eſt de tempore, quo eſt extitura, & de hoc agemus in præſenti: an ſcilicet in hac vita aliquando conceſſa, an ſtatim poſt mortem juſtis concedenda, an ad certum tempus differenda ſit.

DUBIUM I.

An aliqui in hac vita fruiti ſint clarâ Dei viſione.

§. I.

Oſtenditur hoc poſſibile eſſe.

I. Suppono citra controverſiam eſſe, quòd eſtò viâ ordinariâ elevari non poſſit homo in hac vita mortali ad claram Dei viſionem, quia modus connaturalis ejus pro hoc ſtatu eſt cognoſcere dependenter à ſenſibus, & ad modum rerum corporearum; poſſit tamen viâ extraordinariâ, & ſpeciali privilegio hominem in hoc ſtatu conjunctionis animæ ad corpus, & mortalitatis, ad claram Dei viſionem extolli. Id enim omnes Catholici Doctores fatentur, Chriſto ab inſtanti ſuæ conceptionis fuiſſe conceſſum. Cur ergo eandem gratiam alteri puro homini Deus concedere non poſſet, ſi vellet? non obſtaret certè modus connaturalis, quem pro hoc ſtatu habet homo, operandi videlicet, & cognoſcendi dependenter à ſenſibus, quia ab hac lege, quam Deus auctor naturæ condidit, poſſet ut auctor ſupernaturalis diſpenſare.

II. Hoc autem faceret Deus, ſi vellet. Primò alligando ſenſus externos, ſuſpendendo illis ſuum concurſum, ne agerent. Secundò dando intellectui lumen

Digitized by Google

men gloriæ, vel per modum tranſeuntis, vel per modum permanentis, ſicut dedit Chriſto, qui in hac mortali vita degens fuit beatus, Deumque intuitivè videbat.

III. Quæſtio igitur eſt, an alteri à Chriſto fuerit de facto hoc conceſſum ſaltem per modum tranſeuntis. Ubi S. Auguſtinus *lib.* 12. *de Geneſ. ad litteram* propendit in opinionem affirmativam de Moyſe, & Paulo: quod etiam *Ep.* 112. nunc 147. *cap.* 13. indicavit: In eandem venit S. Thomas *hìc* 1. *p. qu.* 12. *art.* 11. *ad* 2., 2. 2. *qu.* 175. *art.* 3., *in* 4. *diſt.* 49. *q.* 2. *art.* 7. *ad* 4. & 5., *qu.* 10. *de verit. art.* 11. *ad* 1., & alibi. Alii verò tùm Patres, tùm Theologi extra Scholam D. Thomæ generaliter negant, hoc privilegium in hac vita cuiquam, excepto Chriſto, fuiſſe conceſſum.

§. I I.

Statuitur aſſertio.

IV. Dico. Probabile ſatis eſt, aliquos in præſenti vitæ ſtatu Deum ex ſingulari privilegio clarè vidiſſe, ut Moyſen, & Paulum. Hoc indicant Scripturæ. De Moyſe quidem: Nam *Numer.* 12. *v.* 6. 7. 8. volens Deus oſtendere, Moyſen hâc ſingulari prærogativâ à ſe donatum, ait: *Si quis fuerit inter vos Propheta Domini, in viſione apparebo ei, vel per ſomnium loquar ad illum. At non talis ſervus meus Moyſes.... Ore enim ad os loquor ei, & palàm, & non per ænigmata, & figuras Dominum videt.* Quod etiam videtur oſtendi *Exodi* 33. *v.* 11., ubi dicitur *loquebatur autem Dominus ad Moyſen facie ad faciem, ſicut ſolet loqui homo ad amicum ſuum.* Et *v.* 18. Moyſi petenti *oſtende mihi gloriam tuam,* reſpondit Dominus: *ego oſtendam omne bonum tibi;* eſtò autem *v.* 20. ei dixerit *non poteris videre faciem meam: non enim videbit me homo, & vivet;* attamen ex iis, quæ ſequuntur, conjici poteſt, eum vidiſſe gloriam Dei ſaltem per modum tranſeuntis.

De D. Paulo autem colligitur ex iis, quæ ipſe ſcribit 2. *Cor.* 12. *v.* 2. *ſcio hominem in Chriſto ante annos quatuordecim (ſive in corpore neſcio, ſive extra corpus neſcio, Deus ſcit) raptum hujuſmodi uſque ad tertium Cœlum. Et ſcio hujuſmodi hominem (ſive in corpore, ſive extra corpus neſcio, Deus ſcit) Quoniam raptus eſt in Paradiſum, & audivit arcana verba, quæ non licet homini loqui.* Quòd ſi ſolâ revelatione obſcurâ, & non clarâ viſione eſſentiam Dei, & myſteria divina cognoviſſet Paulus: cur adeò mirabilem raptum ſuum in tertium Cœlum, & Paradiſum exponeret, ut homini loqui non liceret? Certè ea, quæ in viſionibus, & raptibus ſuis viderunt, & audiverunt Prophetæ, eloqui potuerunt. Videri poteſt D. Thomas ſuper præfata verba *lect.* 1., & 2. 2. *qu.* 175. *art.* 3. ubi ponderans, Apoſtolum audiviſſe *ineffabilia verba, quæ non licet homini loqui,* ait, *hujuſmodi autem videntur ea, quæ pertinent ad viſionem Beatorum, quæ excedit ſtatum viæ, ſecundùm illud Iſaiæ* 64. Oculus non vidit Deus abſque te, quæ præparaſti diligentibus te. Et propterea affert verba S. Auguſtini *Epiſt.* 112. nunc 147. *ad Paulinam de videndo Deo cap.* 13. nimirùm: *ipſa Dei ſubſtantia à quibuſdam videri potuit in hac vita poſitis, ſicut à Moyſe, & Paulo, qui raptus audivit ineffabilia verba, quæ non licet homini loqui.*

Conveniens autem fuit, ait D. Thomas tùm 1. *p. q.* 12. *art.* 11. *ad* 2., tum 2. 2. *q.* 175. *art.* 3. *ad primum.* Cùm enim Moyſes fuerit primus Doctor Judæorum, & Paulus primus Magiſter Genitum, congruebat, ut antea divina myſteria vidiſſent, & eſſent teſtes oculati.

§. I I I.

Solvuntur oppoſita.

V. Objicies primò. *Exodi* 33. *v.* 20. Moyſi petenti à Deo, ut oſtenderet ſibi gloriam ſuam, reſpondit Deus, *faciem meam videre non poteris:*

non enim videbit me homo, & vivet. Rursùs *Joann. 1. v. 18.* dicitur, *Deum nemo vidit unquam, ſed Unigenitus, qui eſt in ſinu Patris, ipſe enarravit.* Et Paulus ipſe poſt raptum *1. Timoth. 6. v. 16.* idem teſtatur: *Deus lucem inhabitat inacceſſibilem, quem nullus hominum vidit, ſed nec videre poteſt;* Sed cùm Scriptura aliquid de omnibus negat, non poteſt ſine mendacio de aliquo affirmari: & ſi Paulus anteà vidiſſet Deum, mentiretur dicendo *quem nullus hominum vidit:* ſicut mentiretur Gallus, qui Romam aliquando vidiſſet, ſi diceret, nullus Gallus unquam Romam vidit; ergo &c.

Rursùs cæteri SS. Patres, ex quibus Irenæus *lib. 4. cap. 37.*, Origenes *Homil. 1. in Iſaiam*, Nazianzenus *Orat. 34.*, Cyrillus *lib. 1. in Joann.*, Tertullianus *lib. 4. contra Marcionem cap. 22.*, Ambroſius in *1. caput Lucæ*, & alii expreſsè negant, Moyſi viſionem Dei fuiſſe conceſſam: quod idem de S. Paulo ſentiunt Chryſoſtomus *homil. 5. de incomprehenſibili Dei natura*, & alii. Imò oppoſitum ſentiunt ex diſcipulis Divi Thomæ Sylvius *in 1. part. art. 11.*, & Natalis Alexandre *comment. in 2. ad Cor. cap. 12.*

Hæc, & alia, quæ congerunt Juenin *Inſtit. Theol. diſſert. 4. cap. 2. art. 1.*, Fraſſen *tract. 1. diſp. 3. art. 7. ſect. 2. qu. 4.*, & Sylvius, maximè probabilem reddunt opinionem oppoſitam: quod non nego: ſed opinionem S. Thomæ ſuâ probabilitate non ſpoliant.

VII. Quare ad oppoſitas auctoritates reſpondeo. Ad primam ex *Exodo* ſolùm inferri, viſionem Dei fuiſſe Moyſi denegatam tunc, non verò, quòd ſemper fuerit illi denegata, etiam raptim, & tranſeunter, cùm oppoſitum collegerimus ſuprà.

Ad ſecundam dico, S. Joannem ſolùm voluiſſe, neminem vidiſſe Deum, neque Moyſen, neque Paulum eſſentiam Dei, quoad omnia myſteria, quæ Chriſtus in lege nova annunciavit: & ideò ſubdit *Unigenitus, qui eſt in ſinu Patris, ipſe enarravit.* Ex quo ſolùm ſequitur, Moyſen, & Paulum non habuiſſe viſionem plenam Dei quoad omnia, & facientem ipſum beatum. Unde viſio eorum fuit quaſi media inter viſionem Beatorum, & viſionem aliorum Prophetarum, quia habuit quidem claritatem, ſed non ſtatum: unde D. Thomas 2. 2. *qu. 175. art. 6. ad 3. Viſio* (inquit) *Pauli in raptu quantùm ad aliquid fuit ſimilis viſioni Beatorum, ſcilicet quantùm ad id, quod videbatur, & quantùm ad aliquid diſſimilis, ſcilicet quantùm ad modum videndi, quia non ità perfectè vidit, ſicut Sancti, qui ſunt in Patria. Unde Auguſtinus dicit lib. 12. de Geneſ. ad litt. c. 36.* „ Quamvis Apoſtolo, arrepto à carnis ſenſibus in tertium Cœlum, hoc defuit ad plenam, perfectamque cognitionem rerum, quæ Angelis ineſt, quòd ſive in corpore, ſive extra corpus eſſet, neſciebat; hoc utique non deerit receptis corporibus in reſurrectione mortuorum, cùm corruptibile hoc induetur incorruptione.

Ad tertiam ſimiliter dico, S. Paulum vel loqui viâ ordinariâ, & ſecluſo ſpeciali privilegio, vel de viſione comprehenſiva, vel de viſione plena, qualis eſt beatificans: non verò de viſione tranſeunte, & per raptum, quam nec ipſe recordabatur ſe habuiſſe, neque eloqui poterat, ut ipſe teſtatur.

Neque hoc dicentes contradicimus, aut mentimur contra Scripturam, quæ dicit *Deum nemo vidit unquam*, namly *nemo* non ſemper ità diſtribuit pro omnibus completè, ut aliquam exceptionem non patiatur, aut pati non poſſit. Etenim ſicut non obſtante, quòd etiam D. Paulus Rom. 5. v. 12. dicat *in omnes homines mors pertranſiit, in quo omnes peccaverunt.* Et v. 18. *ſicut per unius delictum in omnes homines in condemnationem, ſic per unius juſtitiam in omnes homines in juſtificationem vitæ.* Et *Eccleſiaſtis 7. v. 29.* dicatur *Virum de mille unum reperi* (ideſt Chriſtum, qui eſſet ſine peccato) *mulierem ex omnibus non inveni;* adhuc tamen abſque mendacio, ſingulari privilegio excipitur

tur piè, ac religiosè Beata Virgo: cur ſine mendacio ab univerſalitate excipere non poterimus probabiliter Moyſen, & Paulum?

VIII. Objicies ſecundò. Si Paulus vidit eſſentiam divinam, amiſit fidem circa myſteria, quia cum clara viſione Dei non eſt compoſſibilis fides; ſed non eſt veriſimile, Paulum amiſiſſe fidem, quamdiù in hoc mundo fuit; ergo &c.

IX. Reſpondetur cum D. Thoma *2. 2. qu. 175. art. 3. ad 3.* diſt. maj., cum viſione Dei permanenter habita, concedo maj., tranſeunter habita, nego maj. *Quia ergo D. Paulus in raptu non fuit beatus habitualiter, ſed solùm habuit actum beatorum, conſequens eſt, ut ſimul tunc in eo non fuerit actus Fidei; fuit tamen ſimul tunc in eo Fidei habitus.* Ità D. Thomas. Sicut enim lapis poteſt actu tendere ſursùm, & levitare, & ſimul habitualiter gravitare: ità poterat D. Paulus actu videre, & ſimul habitualiter credere, quia actualis viſio, utpote tranſiens, non reliquit in eo habitum: ut enim docet idem S. Doct. ibi *ad 2. Lumen gloriæ dupliciter participari poteſt. Uno modo per modum formæ immanentis, & ſic beatos facit Sanctos in Patria. Alio modo per modum cujuſdam paſſionis tranſeuntis... & hoc modo lumen illud fuit in Paulo, quando raptus fuit. Et ideò ex tali viſione non fuit ſimpliciter beatus, ut fieret redundantia ad corpus, ſed ſolùm ſecundum quid. Et ideò talis raptus aliquomodo ad Prophetiam pertinet.* Ità D. Thomas.

X. Replicabis. Saltem ſequitur, quòd circa ea, quæ vidit, non potuerit ampliùs habere fidei actum, cùm ea ſe vidiſſe recordaretur: ſicut qui recordatur, ſe vidiſſe Romam, non poteſt ampliùs habere fidem de exiſtentia Romæ.

XI. Reſpondeo negando ſequelam: quia viſio non manſit in Paulo, neque habitualiter, ſed, ut ait D. Thom. loco citato *art. 4.* ad 3., *Paulus poſtquàm ceſſavit videre Dei Eſſentiam, memor fuit illorum, quæ in illa viſione cognoverat per aliquas ſpecies intelligibiles habitualiter ex hoc in ejus intellectu relictas: ſicut etiam abeunte ſenſibili remanent aliquæ impreſſiones in anima, quas poſtea conferens ad phantaſmata, memoratur. Unde nec totam illam cognitionem, aut cogitare poterat, aut verbis exprimere.* In quo apparet differentia ab eo, qui Romam vidit: hic enim ſtatim perdit fidem, quia unico viſionis actu producta fuit in illo cognitio habitualis certa, & evidens de exiſtentia Romæ, excludens habitum fidei circa illam.

XII. Quæres, quo tempore contigerit Paulo præfatus raptus, cùm dicit contigiſſe ei poſt annos quatuordecim. *2. Cor. 12.*?

XIII. S. Thomas *lect. 1. ſuper dict. Cap. 12. 2. ad Corinth.* probabile putat, raptum Paulo contingiſſe in principio ſuæ converſionis. Verba ejus ſunt. *Et ideò quidam dicunt ſatis probabiliter, quòd Apoſtolus has viſiones habuit in illo triduo, quo poſt proſtrationem ſuam à Domino ſtetit, neque videns, neque manducans, neque bibens (Act. 9.). Commemorat autem tempus ſuæ converſionis Apoſtolus, ut oſtendat, quòd ſi à tempore ſuæ converſionis tantùm erat gratus Chriſto, ut talia ſibi oſtenderet, quantò magis poſt quatuordecim annos, cùm profecerit & in auctoritate apud Deum, & in virtutibus, & gratia?* Hucuſque D. Thomas.

XIV. Baronius tamen *ad ann. Chriſti 44. n. 89.* Raptum Pauli contigiſſe ait anno quadrageſimo quarto Chriſti, Claudii verò ſecundo, quo Paulus, monente Spiritu Sancto, ſegregatus fuit in Evangelium Chriſti, ut habetur *act. 13. v. 2. & 3.*: tunc enim Apoſtolatus munere inſignitus, viſionibus ad illud dignè obeundum munus fuit illuſtratus.

XV. Verùm Natalis Alexandre *in Comment. cap. 12. 2. ad Corinth.* cenſet, raptum hujuſmodi ad annum poſt Apoſtoli converſionem octavum referendum eſſe, ſcilicet ad annum Æræ noſtræ vulgaris 43., poſtquàm, excitato Lyſtriæ tu-

Digitized by Google

tumultu, Paulum lapidatum extra Urbem traxerunt quaſi mortuum, qui paulò poſt ſurgens quaſi de ſomno, Urbem eſt ingreſſus, *act.* 14. *v.* 18. Unde putat, non de ea viſione, quæ in ſua converſione accidit *act.* 9. hìc Apoſtolum loqui, ſed de alia. Etenim hæc Epiſtola ſcripta eſt anno Æræ noſtræ vulgaris 57., à quo ad annum ejuſdem Æræ 34., quo Paulus ad Chriſtum converſus eſt, retrogradiendo, non quatuordecim dumtaxat, ſed viginti tres anni numerantur. Hoc autem, quod quatuordecim annis occultavit, tacuiſſet Paulus, niſi ad illud prodendum fuiſſet neceſſitate adactus. Ità Natalis præfatus. Cui verò adhærendum ſit, in medium relinquo, non enim hìc Chronologum ago, ſed Theologum.

XVI. Quæres ſecundò, an de aliis, præter Moyſen, & Paulum, dici poſſit, quòd Deum in hac vita clarè viderint?

XVII. Reſpondetur, ex Scripturis de nullo alio conjici poſſe. Quòd enim aliqui dicunt, hoc Adamo conceſſum fuiſſe in illo ſopore à Deo illi immiſſo, cùm ex ejus coſta produxit Evam, incertum eſt. S. Thomas 1. *p. q.* 94. *art.* 1., ubi de hoc agit, non determinat: In partem tamen negantem velut Scripturæ magis conformem propendit *qu.* 18. *de verit. art.* 1. *ad* 14. *Quia* (inquit) *non expreſſè habetur, quòd in illo ſopore Deum per eſſentiam viderit, poſſumus dicere, quòd in illa extaſi elevatus fuit, non ad divinam eſſentiam videndam, ſed ad cognoſcenda quædam profundiora de divinis myſteriis; quæ ſecundùm communem modum humanæ cognitionis tunc ei competebant.*

Quod de S. Benedicto quidam dicunt, in illa viſione, quâ totum mundum ſub uno velut Solis radio collectum inſpexit, quòd momentaneè viderit Divinam Eſſentiam, rejicitur à D. Thoma 2. 2. *qu.* 180. *art.* 5. *ad* 3., ubi reſpondens auctoritati S. Gregorii, qui *lib.* 2. *Dialogorum cap.* 35. hoc viſus fuerat affirmare, ait: *dicendum, quòd ex verbis illis Gregorii non datur intelligi, quòd Beatus Benedictus Deum in illa viſione per eſſentiam viderit; ſed vult oſtendere, quòd, quia* videnti Creatorem anguſta eſt omnis creatura, *conſequens eſt, quòd per illuſtrationem divini luminis de facili poſſint quæcumque videri;* Unde ſubdit: *Quàmlibet enim parum de luce Creatoris aſpexerit, breve ei fit omne, quod creatum eſt.* Abſque fundamento etiam idem aliqui concedunt D. Auguſtino. Quod enim afferunt ex *lib.* 9. *Confeſſ. cap.* 10., non ſignificat, viſionem illam momentaneam ejuſdem ſpeciei fuiſſe cum vita æterna, ſi permanſiſſet, ſed ſolùm eam proximè adumbraſſe. Quod etiam dici debet de S. Franciſco in ea viſione, quâ ſacris Stigmatibus inſignitus fuit, ac de aliis Sanctis Viris, quorum raptus narrantur.

XVIII. De Beata Virgine Dei Matre, an aliquando ad Deì viſionem rapta fuerit tranſeunter, dùm in hac mortali vita degeret, major difficultas eſt. Dicam tamen ex doctrina D. Thomæ 3. *p. q.* 27. *art.* 1., quòd licèt de hoc nihil in Sacra Scriptura habeatur, tamen, ſicut Auguſtinus ſerm. de Aſſumtione ipſius Virginis (*tract.* 8. *de diverſ. cap.* 2. 4. *&* 5.) rationabiliter argumentatur, quòd cum corpore ſit aſſumta in Cœlum, quod tamen Scriptura non tradit, etiam rationabiliter argumentari poſſumus, quòd fuerit ſanctificata in utero: rationabiliter enim creditur, quòd illa, quæ genuit Unigenitum à Patre, plenum gratiæ, & veritatis, præ omnibus aliis majora privilegia gratiæ acceperit: unde *Lucæ* 1. Angelus ei dixit *Ave gratia plena;* ità rationabiliter, & piè credere poſſumus, eam aliquando ad divinæ eſſentiæ claram viſionem raptam fuiſſe.

Quemadmodum enim, cùm inveniatur, aliis conceſſum, ut in utero ſanctificarentur, ſicut Hieremiæ, cui dicitur *Hierem.* 1. *antequam exires de vulva ſanctificavi te*, & Joanni Baptiſtæ, de quo Lucæ 1. *Spiritu Sancto replebitur adhuc ex utero matris ſuæ*, concludit S. Tho., rationabiliter credi, Beatam Virginem fuiſſe ſanctificatam in utero, ante-

Digitized by Google

antequàm naſceretur ; Ità , cùm Moyſi , & D. Paulo probabiliter credatur conceſſa fuiſſe viſio divinæ eſſentiæ , ut dictum eſt , rationabiliter credi poteſt , hoc etiam Beatæ Virgini fuiſſe conceſſum . Hinc S. Antoninus *part.* 4. *tit.* 15. *cap.* 17. §. 1. De Maria Virgine ait , *fortè etiam in ipſo conceptu , vel partu ſibi datum eſt ad horam , ut videret clarè myſterium hujuſmodi , ut in Patria , ſicut Paulus vidit Deum in raptu .*

DUBIUM II.

De Millenariorum errore.

§. I.

Status quæſtionis proponitur .

I. SAnctos , qui purgatione non indigent , ſtatim poſt hanc vitam clarâ Dei viſione donandos eſſe , licèt modò certum ſit , & dogma fidei ; retroactis tamen ſeculis non fuit adeò exploratum . Quinimò aliqui circa hoc turpiter erraverunt , aliqui hæſitaverunt , aliis multarum contentionum cauſa fuit . Initio naſcentis Eccleſiæ Cerinthus Apoſtolis coævus , falſas revelationes ab Angelo acceptas venditans , hanc inter alias evulgavit : nimirùm Juſtos poſt univerſalem reſurrectionem cum Chriſto temporaliter regnaturos mille annis , ſaturandos omnigenis deliciis , ac voluptatibus , etiam turpibus , & illicitis . *Et quarum rerum cupiditate ipſe flagrabat* (ait Dionyſius Alexandr. apud *Euſeb. lib.* 3. *hiſt. cap.* 28.) *utpotè voluptatibus corporis obnoxius , carnique addictus , in iis regnum Dei ſitum fore ſomniavit , in ventris , & earum , quæ infra ventrem ſunt , partium explendâ libidine .* Addebat , inſtaurandam fore Hieroſolymam , mactandas victimas , ſabbata obſervanda , circumciſionem repetendam , omneſque Judaicos ritus toto illo millenario renovandos fore . Atque , ut hiſce fabulis aliquam conciliaret fidem (teſte laudato Dionyſio) *ajunt , eum Librum compoſuiſſe indito Joannis* (Evangeliſtæ) *nomine , dùm auctoritatem figmentis ſuis ex Joannis nomine mutuari vellet .* Quo , & aliis à Joanne auditis , tanto horrore Cerinthum eſt deteſtatus , ut Irenæus 3. *lib. contra hæreſes* apud Euſeb. loco citato referat , *à D. Polycarpo ſe accepiſſe , Joannem Apoſtolum , cùm aliquando in balneum lavandi causâ introjiſſet , & Cerinthum intùs eſſe didiciſſet , ſtatim ex eo loco fugâ ſe proripuiſſe , hortatumque eſſe comites ſuos , ut idem facerent : fugiamus inquam , ne balneum corruat , in quo Cerinthus eſt veritatis inimicus .*

II. Non tamen , ut à Joanne , ab omnibus horrore habitus fuit Cerinthus : placuit enim multis ejus doctrina ; imò defæcatam à turpitudinibus , quibus eam ſuus auctor involvebat , de Millenario regno ſententiam plures veterum , etiam Patres , adoptarunt , dicti proterea *Millenarii* , ſeu græco nomine *Chiliaſtæ* . Inter hos fuiſſe S. Papiam (teſtis eſt Euſebius *lib.* 3. *hiſt. cap.* 53. , & S. Hieronymus *Catalogo ſcript. in Papia*) cui multi Sancti Patres adhæſere , ut S. Juſtinus , Irenæus , Tertullianus , Lactantius &c. Nec deerant temporibus S. Hieronymi , qui huic opinioni ſuffragarentur , ut aſſerit ipſe in *præfat. ad lib.* 18. *commentariorum in Iſaiam* . Quamvis , ut dixi , & inferiùs oſtendam , hi Millenarii Patres , multùm à Cerintho differrent .

III. Alii verò hoc Millenarium Chriſti regnum poſt generalem reſurrectionem excluſerunt quidem; verùm opinati ſunt , Sanctorum animas à clara viſione Dei retinendas eſſe , quòuſque poſt generalem reſurrectionem appareat Chriſtus Judex . Opinio hæc in Chriſti Eccleſia multis ſeculis ſuos Patronos habuit , etiam apud Græcos : quare de ea actâ quæſtione in Concilio Florentino , finali decreto proſcripta fuit . Hanc tamen expreſſis verbis proximè elapſo ſeculo excitavit Jo: Calvinus , qui *lib.* 3. *Inſtit. cap.* 25. §. 6. ſic ait : *Interea , quum Scriptura ubique jubeat , pendere ab expectatione adventus Chriſti , & glo-*

ria

riæ coronam eòuſque differat , contenti ſimus his finibus divinitùs nobis præſcriptis , animas piorum militiæ labore perfunctas , in beatam requiem concedere , ubi cum felici lætitia fruitionem promiſſæ gloriæ expectant ; atque ità omnia teneri ſuſpenſa , donec Chriſtus appareat Redemtor. Reprobis verò eandem eſſe ſortem , dubium non eſt , quam Judas Diabolis aſſignat , junctos catenis teneri , donec ad ſupplicium , cui addicti ſunt , trahantur. Quibus Calvinus ſentit , manere ſuſpenſa omnia uſque ad diem Judicii , & Gloriam Electis , & ſupplicium Reprobis.

IV. Adversùs Millenarios , ſive differentes Gloriam Electorum mille annos poſt reſurrectionem , res erit in præſenti dubio. In ſequenti verò reprobabimus etiam opinionem eorum , qui claram Dei Viſionem ſolùm poſt univerſale Judicium obtinendam , aſſerebant , & aſſerunt cum Calvino. Quamvis enim ab aliquibus hæc duo confundantur , reverà tamen diſtincta , ac diverſa ſunt.

§. II.

Catholica veritas contra Millenarios.

V. DIco. Millenarium illud Regnum, quo cum Chriſto regnaturi poſt univerſalem reſurrectionem fingebantur à Cerintho Sancti , fabula , imò impietas eſt. Probo primò. Quia ponebat , Sanctos in millenario illo carnalibus voluptatibus vacaturos : quod expreſsè contradicit verbis Chriſti *Matthæi* 22. , qui dubio ſibi propoſito , nimirùm , cujus futura eſſet poſt reſurrectionem illa mulier , quæ ſucceſſivè plures habuiſſet viros , reſpondit v. 30. *In reſurrectione neque nubent , neque nubentur , ſed erunt , ſicut Angeli Dei in Cælo :* quod repetit *Lucæ* 20. *v.* 35. 36. Queis manifeſtè apparet , poſt reſurrectionem non fore nuptias , neque carnis voluptates. Imò nec ciborum uſum , dicente Paulo *Roman.* 14. v. 17. *Non eſt enim Regnum Dei eſca , & potus :* Et 1. Cor. 15. v. 44. *ſeminatur corpus animale, ſurget corpus ſpirituale ;* non quòd ſit transmutandum in ſpiritum quoad ſubſtantiam , ſed quoad conditiones , & dotes : *neque enim* (ait S. Auguſt. lib. 13. de Civit. Dei cap. 22.) *ullo ligno indigebunt , quo fiat , ut nullo morbo , vel ſenectute inveteratâ moriantur ; neque ullis aliis corporalibus alimentis , quibus eſuriendi , ac ſitiendi qualiſcumque moleſtia devitetur.* Unde ait Chriſtus : *ſed erunt , ſicut Angeli Dei in Cælo.*

VI. Secundò. Quia aſſerebat Cerinthus , regnum Chriſti fore temporaneum , nempe Millenarium , contra dictum Angeli *Lucæ* 1. v. 32. *Regnabit in Domo Jacob in æternum , & Regni ejus non erit finis.*

VII. Tertiò. Quia , ut obſervat Sanctus Epiphanius *hæreſ.* 77. , dicebat Cerinthus , poſt univerſale Judicium futurum Regnum Chriſti Millenarium temporale : quo quidem evoluto tempore , futurum Regnum Cœleſte , in quo Electi participes erunt eorum , quæ , nec oculus vidit , nec auris audivit . Hoc autem eſt contra illud *Matth.* 25. , ubi poſt enarratam Antichriſti perſecutionem , ſtatim ultimum deſcribitur Judicium , in quo Chriſtus invitabit Electos ad Regnum æternum , non terrenum , & temporaneum : *Venite benedicti Patris mei , poſſidete paratum vobis Regnum à conſtitutione mundi &c. ;* & ſtatim ſubjungitur : *& ibunt hi in ſupplicium æternum , juſti autem in vitam æternam.*

Meritò igitur ad hanc inſaniam Regni Chriſti Millenarii caſtigandam in Concilio Conſtantinopolitano I. addita fuere ſymbolo hæc verba : *cujus regni non erit finis ;* eamque confutarunt Cajus perantiquus Scriptor , & Dionyſius Alexandrinus apud Euſeb. *lib.* 3. *hiſt. cap.* 28. , idem Euſebius *libro citato cap.* 33. , S. Hieronymus *lib.* 18. *comment. in Iſaiam* , S. Epiphanius *hæreſ.* 77. , & D. Auguſt. *lib.* 20. *de Civit. Dei cap.* 17.

§. III.

Digitized by Google

§. III.

Millenariorum fundamenta.

VIII. Cerinthiani carnis voluptates in Millenario Chriſti Regno futuras tuebantur illis Chriſti verbis *Matth. 26. v. 29.*, qui in ultima Cœna ſic Apoſtolos alloquebatur. *Non bibam amodò de hoc genimine vitis uſque in diem illum, cùm illud bibam vobiſcum novum in Regno Patris mei.* Ergo (ajebant) bibent Electi cum Chriſto in Regno ſuo vinum, & conſequenter cibis, ac cæteris deliciis perfruentur. Quare Chriſtus *Lucæ 22. v. 29. 30.* addit. *Ego diſpono vobis, ſicut diſpoſuit mihi Pater meus Regnum, ut edatis, & bibatis ſuper menſam meam in Regno meo.*

IX. Reſpondeo primò, verba illa metaphoricè ſumenda eſſe, ſicut & alia, quibus ſub nomine cibi, & potus proponuntur bona alterius vitæ: nimirùm, non pro cibo, & potu corporali, ſed pro ſpirituali cujuſcumque boni fruitione; & propterea vinum, quod bibiturus erat in Regno ſuo Chriſtus, vocat *vinum novum*, idest vinum longè diverſum à vino, quod bibebat in Cœna. Ait ergo: Non bibam in poſterum de hoc vino, quod in hac Cœna bibimus, donec bibam illud longè alterius generis, longè præſtantius in Cœlo: Vinum, inquam, *novum*, lætitiam ſcilicet immortalem, *Vini* nomine adumbratam in *Pſalmo 35. v. 9. Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ, & torrente voluptatis tuæ potabis eos.* Eodem modo exponenda ſunt Chriſti verba ex Luca ſimiliter prolata in Cœna.

X. Neque dicatur, quòd ſi vinum, quod tunc bibebat Chriſtus, erat vinum propriè tale, vinum etiam propriè tale debebat eſſe illud, quod bibiturus erat in Regno ſuo.

Nam non eſt novum in Scriptura, ut in eadem locutione idem nomen duobus ſenſibus ſerviat, proprio, & metaphorico. Chriſtus Matth. 8. v. 22. *dimitte* (inquit) *mortuos ſepelire mortuos ſuos.* Ubi *mortuos* priore loco pro veris, ſecundo pro mortuis metaphoricè intelligit. Item Joann. 4. v. 13. *Qui biberit ex aqua hac, ſitiet iterùm* (ubi loquitur de aqua propriè) *Qui autem biberit ex aqua, quam ego dabo ei, non ſitiet in æternum* (hìc accipitur aqua metaphoricè). Potuit ergo Chriſtus in priori locutionis parte loqui de vino propriè, & ex hoc, occaſione ſumtâ, in poſteriori parte tranſire ad loquendum de vino metaphoricè, ſicut ex aqua propriè tali, quam à muliere petebat, tranſivit ad loquendum de aqua ſpirituaIiter ſumta.

XI. Reſpondeo ſecundò cum D. Auguſtino *lib. 1. qu. Evangelicarum qu. 43.*, *Quòd Chriſtus vult intelligi, hoc vetus eſſe* (vinum) *cùm illud novum dicit:* indicat enim, hominem veterem ex Adam renovandum fore per immortalitatem Corporis. Unde *cùm dicit* vobiſcum bibam, *etiam ipſis reſurrectionem Corporum ad indicandam immortalitatem promittit.* Vobiſcum *enim*, *non ad idem tempus, ſed ad eandem innovationem dictum, accipiendum eſt... Quod autem de hoc genimine vitis etiam illud novum eſſe dicit, ſignificat, eadem utique corpora reſurrectura ſecundùm innovationem cœleſtem, quæ nunc ſecundùm terrenam vetuſtatem moritura ſunt.* Hæc D. Auguſtinus.

XII. Secundum, & quidem præcipuum argumentum Millenarii deſumebant ex *Cap. 20. Apocalypſis*, ubi legitur: Angelum apprehendiſſe diabolum, ipſum ligaſſe per annos mille, ac miſiſſe in Infernum, & ſignaſſe, ne ſeducat ampliùs gentes, donec conſummentur mille anni: poſt quos oportet, eum ſolvi modico tempore. Inde refert Joannes, ſe vidiſſe ſedes, ac ſedentes ſuper eas animas decollatorum propter teſtimonium Jeſu, nec adoraverunt beſtiam, & vixerunt, ac regnaverunt cum Chriſto mille annis. Alii autem (nimirùm qui Jeſu teſtimonium non reddiderunt) dicit, quòd non vixerunt, donec conſummentur mille anni.

anni. Subjungit poſtea, hanc eſſe reſurrectionem primam: & qui in prima reſurrectione habent partem, in his ſecunda mors non habet poteſtatem: ſed erunt Sacerdotes Dei, & Chriſti, & regnabunt cum eo mille annis, & cùm conſummati fuerint mille anni, ſolvetur Satanas de carcere ſuo, & e. ibit, & ſeducet gentes. Ex quibus Millenarii ſic diſcurrebant. Sancti poſt reſurrectionem mille annis cum Chriſto regnabunt, Sacerdotes erunt victimas immolando; ergo datur Millenarium Sanctorum Regnum, ut aſſeritur a Cerintho.

XIII. Obſcuriſſimum ſanè Oraculum, quod per aliquot ſecula anxios, & ſuſpenſos tenuit Patres. Illud tamen Millenariis non favere pro viribus oſtendam. In primis enim, ſi Oraculi verba ad litteram intelligantur, indicant, regnum Millenarium futurum ante univerſalem reſurrectionem, & Judicium, non poſt, ut volebant Cerinthiani: quia elapſis mille annis dicitur de carcere ſolvendus Satanas modico tempore; quod eveniet tempore perſecutionis Antichriſti.

XIV. Reſpondetur ergo cum S. Auguſtino *lib.* 20. *de Civit. Dei cap.* 7., mille annos, quibus ligabitur Satanas, & Sancti cum Chriſto regnabunt, deſignare totum tempus à Chriſti Paſſione ad Antichriſti adventum. Diabolus enim toto hoc tempore ligatus, adveniente Antichriſto, modico tempore ſolvetur, durante nimirùm ejus perſecutione uſque ad carnis reſurrectionem, & univerſale Judicium, quod tempus erit vulgò trium annorum, & ſex menſium ſpatium. Ità S. Auguſtinus citatus *cap.* 8.; nam tribus annis, & ſex menſibus legitur totis ſuis, ſuorumque viribus ſæviturus.

XV. Huic interpretationi ſolùm obſtare poteſt, à Chriſti Paſſione ad finem mundi, ſeu Antichriſti adventum pluſquam mille annos effluxuros. Verùm non eſt novum in Scripturis, numero Millenario longum tempus, licèt indefinitum, deſignari; imò *Mille* aliquando ſumi pro *omni*. Ità S. Auguſtinus loco citato *cap.* 7. *mille* (inquit) *annos pro annis omnibus hujus ſeculi poſuit, ut perfecto numero notaretur hujus temporis plenitudo..... Porrò ſi centum ipſa pro univerſitate aliquando ponuntur, quale illud eſt, quod Dominus omnia ſua dimittenti, & eum ſequenti promittit dicens:* Accipiet in hoc ſeculo centuplum (Matth. 19. 29.) *Quod exponens quodam modo Apoſtolus* 2. *Cor.* 6. 10. *ait:* Quaſi nihil habentes, & omnia poſſidentes..... *Quantò magis mille pro univerſitate ponuntur, ubi eſt ſoliditas ipſius denaria quadratura? Unde nec illud meliùs intelligitur, quod in Pſalmo* 104. 8. *legitur:* Memor fuit in ſeculum teſtamenti ſui, verbi, quod mandavit in mille generationes: *ideſt in omnes.*

XVI. Quomodo autem dicatur Diabolus toto hoc tempore ligatus, ne ſeducat, cùm tamen multos de regeneratis ſeducat. Reſpondet idem S. Auguſtinus eodem *cap.* 7., Diabolum & nunc quidem ſeducere aliquos, ſed non ut ante Chriſtum, quo tempore ſeductas tenebat Gentes, ideſt Gentiles, ex quibus modò conſtituitur Eccleſia. *Ad hoc ergo ligatus eſt Diabolus, & incluſus in abyſſo, ut jam non ſeducat gentes, ex quibus conſtat Eccleſia, quas anteà ſeductas tenebat, antequam eſſet Eccleſia. Nec enim dictum eſt*, ut non ſeduceret aliquem, *ſed ut* non ſeduceret, *inquit*, jam gentes; *in quibus Eccleſiam procul dubio voluit intelligi.*

XVII. Hoc ergo tempore, quo durabit in Terris Eccleſia à Chriſto paſſo ad Chriſtum Judicem, Sancti, nimirùm Electi, regnant cum Chriſto, imò ſunt regnum Chriſti, non terrenum, ſed Spirituale, ad differentiam Reproborum, qui hìc non vivunt, nec cum Chriſto regnant. Hæc autem, ait Joannes, eſt reſurrectio prima, ideſt reſurrectio animæ; & Sanctus, qui habet in hac prima reſurrectione partem, *ideſt particeps ejus eſt. Ipſe autem eſt particeps ejus, qui non ſolùm à morte, qua in peccatis eſt, reviviſcit, verùm etiam*

in

in eo, quod revixerit, permanebit. In iſto, inquit, ſecunda mors, quæ eſt æterna damnatio, non habet poteſtatem. Hæc S. Auguſtinus *cap. 9.*

XVIII. Porrò Electi, qui cum Chriſto regnabunt, & quibus dabitur judicium ſedentibus ſuper ſedes, & erunt Sacerdotes Dei: quinam erunt? S. Auguſtinus *cap. 9. & 10.* putat, per Judicium, & per Sedes non eſſe accipiendum ultimum Judicium, ſed Sedes Præpoſitorum, & ipſos Præpoſitos, per quos Eccleſia nunc gubernatur, quibus judicandi facultas data fuit, cùm dictum eſt *Matth. 18. v. 18. Quæ ligaveritis in terra &c.*: erunt autem Sacerdotes Dei, & Chriſti, quia Deo, & Chriſto offerent victimas, non legales, & ſenſibiles, ut putant Cerinthiani, ſed ſpirituales. Et in hoc Sacerdotes erunt non ſoli Epiſcopi, & Præsbyteri, ſed omnes Chriſtiani *propter myſticum Chriſma, ſic omnes Sacerdotes, quoniam membra ſunt unius Sacerdotis*. Ità exponit hunc textum Sanctus Auguſtinus, in quo immorari dignum fuit, ut appareat, quàm infeliciter ſuo regno Millenario poſt ultimam reſurrectionem futuro illum aptaverint Cerinthiani.

XIX. Tertiò poteſt opponi. Non eſt damnanda erroris ſententia, quam Patres priorum ſeculorum propugnarunt; atqui Cerinthi ſententiam de Millenario Chriſti regno Patres priorum ſeculorum propugnarunt; ergo non eſt erroris inſimulanda. Min. probatur. Hæc enim ſententia (teſte Euſebio *lib. 3. hiſt. cap. 33.*, & S. Hieron. *in Catolog. Script. Eccl.*) fuit S. Papiæ; rursùs S. Juſtini *Dialog. cum Triphone pag. 306.*, *S. Irenæi lib. 5. adverſus hæreſ. cap. 32. &c.* Tertulliani *adverſus Marc. lib. 3. cap. 34.*, Lactantii Firmiani *lib. 7. divin. Inſtit. cap. 24. & 26.*, & aliorum.

XX. Fateor, præfatos Patres ægrè poſſe in hac parte ab omni nota excuſari. Decepti nimirùm quibuſdam ſermonibus apocryphis, quos tanquam ſermones Domini ſibi à Joanne Evangeliſta communicatos Papias ſparſerat: moti inſuper verbis ſupra relatis ex *cap. 20.* Apocalypſis, Iſaiæ, aliorumque Prohetarum, ut videre eſt apud Irenæum locis allatis, & Traditione antiquâ Judæorum malè interpretantium ea oracula, quibus agitur de Regno Chriſti, ut ait Euſebius *lib. 3. hiſt. cap. 34.*, in ſententiam de Millenario Regno propenderunt.

Verùm cum Cerinthianis confundendi non ſunt. Primò quia præfati Patres de reſtauratione Templi Hieroſolymitani, Circumciſionis, aliarumque legalium Cæremoniarum nec verbum faciunt. Hic enim fuit Cerinthi ſingularis error nimis Judaicè ſapientis. Secundò Cerinthus in Millenario ſuo regno non ſolùm omne voluptatis corporeæ genus, ſed & effuſiſſimam libidinum omnium intemperiem admiſit: Patres verò delicias quidem, etiam corporeas, illi Chriſti regno aſſerebant, ſed moderatas, & quæ decerent Sanctos. Quapropter S. Hieronymus in *cap. 19. Hieremiæ* advertens hoc diſcrimen, ſcribit, ſe damnare haud poſſe, licèt hæc ipſe non ſequatur. Et S. Auguſtinus *lib. 20. de Civit. Dei cap. 7.* duplicem Millenariorum ſententiam fuiſſe, docet. Primam eorum, qui ſpiritale penitùs illud regnum futurum eſſe, contenderent, quam tolerabilem utcumque dicit, ſibique aliquando non diſplicuiſſe. Alteram prorsùs ridiculam eorum, qui regnum illud fœdiſſimis deliciis affluens ſperarent aliquando conſtituendum.

XXI. Sed dices. Ergo ſaltem Millenarium regnum, ut aſſerebatur à Patribus, credi debet traditum à Chriſto Domino, juxta regulam Tertulliani *lib. de præſcript. cap. 31.*: *Id eſſe Dominicum, & verum, quod eſt priùs traditum: id autem extraneum, & falſum, quod ſit poſteriùs immiſſum.*

XXII. Nego illatum; ut enim aliquid credatur verè traditum, ſervanda eſt inſuper regula Vincentii Lirinenſis in commonitorio nu. 2., nimirùm: *quod ſemper, quod ubique, quod ab omnibus traditum ſit*. Et Divi Auguſt. lib. 2.

de baptiſmo contra Donat. cap. 7. quòd *per univerſam cuſtodiatur Eccleſiam*. Cùm ergo nec ſemper, nec ubique, neque ab omnibus, nec per univerſam Eccleſiam opinio illa de Millenario Chriſti regno cuſtodita, & tradita ſit: inde non eſt cenſenda traditio Dominica. Nam loquendo etiam de primis ſeculis, fatetur S. Juſtinus Dialogo *cum Triphone* citato, multos etiam, qui puræ, piæque ſunt Chriſtianorum ſententiæ, Regnum illud Millenarium non agnoſcere. Quod nec S. Irenæus negat, eſto eos hæreticos, & ignaros perperam vocet. Id etiam indicat Lactantius *lib. 7. Inſtit. cap. 26.* Hoc Millenarium regnum apertè oppugnarunt Cajus, & Dionyſius Alexandrinus apud Euſebium ſupra relatum, Euſebius ipſe, aliique. Non habet igitur veræ traditionis characterem, quòd ſit ab omnibus.

XXIII. Rursùs neque omnes pro hac opinione citati Patres ipſam eodem modo defenſarunt. Quidam enim merè corporeas; alii ſpirituales dumtaxat delicias in regno illo deguſtandas eſſe, aſſerebant. Ità Tertullianus *lib. 3. contra Marc. cap. 14.* Alii hoc inter Dei ſecreta reponunt. Deerat ergo etiam hic character veræ traditionis, qui eſt conſenſio in modo eam exponendi.

Deeſt tandem perpetuitas, quia temporis tractu, meliùs cognitâ veritate, univerſa Eccleſia hoc Millenarium Chriſti regnum tanquam fabulam repudiavit, & inter errores amandavit.

DUBIUM III.

An Viſio Beatifica, & clara Dei differenda ſit Sanctis uſque poſt extremum Judicii diem.

§. I.

Quædam prænotanda.

I. Opinio de differenda uſque poſt extremi, & univerſalis Judicii diem beata Dei viſione, per multa ſecula locum obtinuit in Eccleſia Chriſti. Quidam eam confundunt cum opinione Millenariorum ſupra rejecta, ſed perperam, ut ſuperiùs tetigi. Nam eſto omnes conveniant, Sanctos non ſtatim poſt mortem viſuros Deum; diſcrepant tamen, quòd Millenarii negabant, adhuc poſt diem Judicii obtinendam fore claram Dei viſionem, ſed poſt mille annos à Judicii die eam futuram, putabant: aſſerebant enim in Judicii die futuram primam reſurrectionem: inde inchoandum regnum Millenarium, quo expleto, Sanctos participes futuros eorum, quæ nec oculus vidit, nec auris audivit. Hinc S. Irenæus, qui, ut vidimus, Millenarius fuit, tres animarum Sanctarum ſtationes diſtinguit. Primam in loco quodam inviſibili, in quo detineri eas contendit ad reſurrectionis uſque diem. Alteram in terrena Hieruſalem inſtaurata, & renovata, vel in Paradiſo terreno, ubi ſub imperio Chriſti in ſumma quiete, & rerum ſecundarum affluentia degentes mille annis, & ex viſione Domini creſcentes, per ipſum aſſueſcent ad gloriam Dei Patris. Tertiam demum in regno Cœlorum, in quo Patris ipſius conſpectu æternùm fruentur. Ajebat enim, non decere Diſcipulos priùs in Cœlum conſcendere, quàm Magiſter ipſe conſcenderit. Sicut ergo Chriſtus non ſtatim poſt reſurrectionem evolans abiit, ſed hic in terris manſit poſt reſurrectionem uſque ad tempus definitum ſuæ aſcenſionis; ſic & nos &c.

II. Secernenda igitur eſt Millenariorum ſententia ab opinione eorum, qui tuebantur, Sanctorum Animas Deum clare non viſuras niſi poſt univerſalem reſurrectionem. Opinio hæc, eſto antiqua, excitata tamen fuit magnâ contentione anno 1333., ſedente Joanne XII., qui Scripturæ Sacræ, & Patrum dicta in utramque partem dicitur coram Cardinalibus protuliſſe, juſſis etiam omnibus Eccleſiæ Præſulibus, & Doctoribus quæſtionem hanc diligentiſſimè excutere. An verò Joannes ipſe reverâ fuerit in errore, Animarum Sanctarum beatitudinem differendam eſſe uſ-

que poſt Judicii finalis diem, ut aliqui ei appingunt, inferiùs examinabimus. Modò ad veritatem Catholicam ſtatuendam procedamus.

§. I.

Statuitur veritas, & probatur.

III. Dico. Sanctorum Animæ, quibus nihil poſt hanc vitam luendum ſupereſt, ſtatim ac ſolutæ à corporibus ad æternam Dei Viſionem Beatificam evolant; ideòque falſum eſt, eam illis differri uſque poſt Judicium univerſale. Ità ſtatutum fuit in Florentino *ſeſſ. ultimâ* in Decreto Unionis. *Definimus, animas illorum, qui poſt baptiſma ſuſceptum, nullam omnino peccati maculam incurrunt, eas etiam Animas, quæ poſt contractam peccati maculam, vel in ſuis corporibus, vel iiſdem exutes corporibus ſunt purgatæ, in Cœlum ſine mora recipi, & intueri clarè ipſum Deum trinum, & unum.* Quod etiam ſtatuit Tridentinum *ſeſſ. 25. de invocatione Sanctorum* dicens: *Illos etiam, qui negant Sanctos æternâ felicitate fruentes invocandos eſſe &c., omnino damnandos eſſe, prout jam pridem eos damnavit, & nunc etiam damnat Eccleſia.* Et *ſeſſ. 5. de peccat. origin.* priùs ſanxerat: *in renatis nihil eſſe, quod eos ab ingreſſu Cœli remoretur.* De hoc Innocentius III. in Canone *Apoſtolicam*, & uberiùs Benedictus XI., ſive XII. in ſua Bulla, quæ incipit: *Benedictus Deus in donis ſuis.*

IV. Probatur autem hæc veritas primò teſtimonio Chriſti è Cruce Latroni dicentis (Lucæ 23. v. 43.) *hodie mecum eris in Paradiſo*, ubi D. Auguſtinus in Pſal. 39. nu. 15. *ſalutem ſuam* (Latro) *longè futuram ſperabat, & poſt longum tempus accipere contentus erat, in longum ſperabat, dies non eſt dilatus. Ille dixit:* memento mei, cùm veneris in regnum tuum: *Ille reſpondit:* Amen dico tibi: *hodie* mecum eris in Paradiſo... *hodie mecum in ligno Crucis: hodie mecum in ligno ſalutis.*

V. Contra hunc textum obſtat primò, non eſſe certum nomine Paradiſi promiſſi à Chriſto Latroni eſſe intelligendum Regnum Cœlorum, ſeu vitam æternam cum viſione beata, & non potiùs vel Paradiſum Terreſtrem, vel Sinum Abrahæ. Aliàs

Secundò. Non verificarentur illa verba: *hodie mecum eris*. Nam Chriſtus illâ die non fuit in Paradiſo Beatorum, ſed in ſepulchro ſecundùm Corpus, & in Limbo Patrum ſecundùm Animam.

Tertiò. Nihil prohibet, vocem illam *hodie* conjungi cum verbo *dico*, ità, ut ſenſus ſit, *Amen dico tibi hodie.* Deinde fiat punctatio. *Mecum eris* (ſuo tempore) *in Paradiſo.*

VI. Nullum tamen horum evincit. Non primum. Tum quia Latro petebat Regnum illud, quod à Chriſto audierat promiſſum credentibus in eum; hoc autem non erat, nec Paradiſus terreſtris, nec ſinus Abrahæ, ſed gloria beata in regno Cœleſti Patris ſui; ergo ut promiſſio reſponderet petitioni, hoc promiſit. Tum quia Chriſtus promiſit Latroni Regnum, ad quod ipſe erat aſcenſurus, quod petebat Latro illis verbis: *dùm veneris in Regnum tuum;* Chriſtus autem aſcendit in Cœlum, ut ibi ſederet ad dexteram Patris; ergo dùm ei reſpondit: *hodie mecum eris:* aut promiſſis non ſtetit, aut eâdem die Latronem ſecum fecit beatum.

VII. Non evincit ſecundum, eſto enim illa eâdem die Chriſtus, quatenus homo, non fuerit in gloria cum Patre, ſed in ſepulcro quoad corpus, & apud inferos quoad animam, tamen quatenus Deus eâdem die, ſicut ſemper, erat in Cœlo, & ubique. Ità S. Auguſtinus *Epiſtola* 187. quondam 57. *ad Dardanum cap. 3., & tract. 111. in Joann. nu. 2.* his verbis: *Qui enim homini pœnaliter pendenti, & ſalubriter confitenti ait: hodie mecum eris in Paradiſo: ſecundùm id, quod homo erat, anima ejus ipſo die futura fuerat in inferno, caro in ſepulcro: ſecundùm autem*

rem id, quod Deus erat, utique & in Paradiſo erat. Et ideò Latronis anima à priſtinis facinoribus abſoluta, & illius munere jam beata, quamvis ubique, ſicut ille, eſſe non poterat, tamen etiam ipſo die cum illo in Paradiſo eſſe poterat; unde ille, qui ubique ſemper eſt, non receſſerat... unde *addidit* mecum: *nam & miſeri eſſe poſſunt, ubi eſt ille, quoniam quicumque ubicumque fuerint, eſt & ille; ſed Beati ſoli ſunt cum illo, quia Beati eſſe non poſſunt, niſi ex illo.* Idem aſſerit Magiſter ſentent. *in 3. diſt. 22. §. hic quæritur*, & D. Thom. ibi *qu. 2. art. 1. quæſtiunculâ 3. ad 3.* his verbis: *Paradiſus eſt triplex. Unus Paradiſus terreſtris, in quo Adam poſitus eſt. Alius corporalis Cæleſtis, ſcilicet Cælum Empyreum. Alius ſpiritualis, ſcilicet Gloria de Viſione Dei: & de iſto Paradiſo intelligitur quod Dominus Latroni dixit: quia ſtatim peractâ Paſſione, & ipſe Latro, & omnes, qui in Lymbo Patrum erant, Deum per eſſentiam viderunt.* En ergo, quomodo Latro eàdem die fuit in Paradiſo cum Chriſto, quia licèt non fuerit cum eo in Cælo Empyreo, ad quod nonniſi poſt quadraginta dies aſcendit, fuit tamen eâdem die cum omnibus, qui in Lymbo erant, Beatus per Viſionem Divinæ Eſſentiæ, quâ Beatus erat Chriſtus, etiam ut Homo, ab inſtanti ſuæ Conceptionis.

VIII. Multò minùs evincit tertium, quia in omnibus Codicibus punctatio non eſt inter *hodie*, & *mecum*, nec tò *hodie* conjungitur cum tò *dico*, ſed cum tò *mecum*; nec oportebat, ut Chriſtus proferret: *Dico tibi hodie:* Latro enim audiebat Chriſtum eâ die loquentem; ſed petebat, ut ſecum eum vellet habere, cùm venturus eſſet in regnum ſuum, quod ſciebat ſtatim poſt mortem ſecuturum. Quare Chriſtus reſpondens *hodie mecum eris &c.*, nil aliud voluit indicare, niſi *hodie*, ſeu hac eâdem die, quâ mecum à vinculis ſolutos ad Gloriam æternam, & viſionem Patris mei adducam Patres tuos, mecum adducam & te.

IX. Probatur ſecundò ex illis Pauli verbis Philipp. 1. 23. *coarctor autem è duobus: deſiderium habens diſſolvi, & eſſe cum Chriſto.* Ubi deſiderabat Apoſtolus mortem, ut poſt eam poſſet eſſe cum Chriſto, utique in Cœlis; unde Chryſoſtomus ſuper hæc verba homil. 4. *Quid dicis* (inquit) *Paule? Quum hinc abiens in ipſum Cælum migraturus ſis, atque cum Chriſto futurus, ignoras, quid eligere debeas?*

X. Probatur tertiò ex illo Pſalmi 126.: *Cùm dederit dilectis ſuis ſomnum: ecce hæreditas Domini.* Ubi per *ſomnum* intelligitur mors, per *hæreditatem* vita æterna, & tò *ecce* indicat, poſt mortem dilectorum Dei, confeſtim ſecuturam hæreditatem gloriæ. Hinc D. Auguſt. in dictum Pſalmum num. 7. *omnes enim* (inquit) *ſurgent, ſed non quomodo dilecti ejus.... reſurgent illi ad pænas, reſurgimus nos, quomodo reſurrexit Dominus noſter, ut ſequamur caput noſtrum, ſi membra ejus ſumus.*

XI. Hinc inſtruitur argumentum à pari. Impiis poſt mortem ſtatim aderit pœna gehennæ (quidquid in contrarium obſtrepat Calvinus) juxta illud Job 21. v. 13. *ducunt in bonis dies ſuos, & in puncto ad Inferna deſcendunt.* Et Lucæ 16. v. 22. *mortuus eſt dives, & ſepultus eſt in Inferno.* Ergo juſtis ab omni labe purgatis ſtatim poſt mortem aderit hæreditas vitæ æternæ: Deus enim citior non eſt ad puniendum, quàm ad præmiandum, ſeu miſerendum. Propterea D. Chryſoſtomus *homil.* 3. *in* Epiſt *ad* Philipp. *Gaudeamus* (inquit) *propter juſtos, non ſolùm viventes, ſed mortuos.... Peccatores, ubi fuerint, procul à rege ſunt, atque ideò digni, qui defleantur. Juſti autem, ſive hìc, ſive in futuro ſeculo fuerint, cum rege ſunt: illìc tamen magis, ac propiùs, non per acceſſum, ac fidem, ſed facie ad faciem.*

XII. Denique probatur. Chriſtus venerat, Cœlum per Adæ peccatum toti generi humano clauſum reſerare, hominem in æternæ hæreditatis jura reſtituere, & Sanctos Patres è carceris tenebris eruere. Unde *Zacharias* 9. v. 11.

Tu

Tu autem in ſanguine Teſtamenti tui eduxiſti vinctos tuos de lacu. Et Coloſſ. 2. v. 14. de Chriſto dicit Paulus, quòd ſuâ morte delevit, *quod adverſus nos erat Chirographum decreti, quod erat contrarium nobis, & ipſum tulit de medio affigens illud Cruci*. Si ergo venerat Chriſtus liberare antiquos Patres de lacu, ideſt de Lymbo, in qua carentiâ viſionis Dei, ceu pœnâ damni tenebantur, & de facto ad eos liberandos deſcendit: quid egiſſet erga illos, aut quomodo eos liberaſſet à pœna, ſi Dei beatificâ viſione eos non donaſſet? Certè qui liberat à cæcitate, ſeu carentia viſus, aliter hoc facere nequit, niſi ei donando viſum. Si enim reliquiſſet Patres in ſtatu, in quo eos invenerat, quomodo eduxiſſet de lacu? quomodo liberaſſet? Hinc Paulus ad Epheſ. 4. v. 8. *Chriſtus* (inquit) *aſcendens in altum, captivam duxit captivitatem*. Ubi Chryſoſtomus homil. 11. *Vides* (ait) *ſpolia, & prædam? Sicut ergo triumphatores ſolent eos, quos à captivitate liberarunt, ſecum triumphali more in Patriam adducere; ſic Deus triumphator de Diabolo, peccato, & morte, eos, quos liberaverat, ſecum in Cœleſtem Patriam adduxit*.

Rursùs ſi Chriſtus delevit chirographum exilii à Cæleſti Patria, debuit ad eandem reditum nobis patefacere; quid enim contuliſſet, ſi adhuc exules, deleto chirographo, reliquiſſet? Deleto chirographo debiti, ſtatim debitor à debito ſolvitur: deleto decreto exilii, ſtatim poteſt in Patriam exul reverti. Ubi *ſuperabundavit delictum, ſuperabundavit & gratia* Rom. 5. v. 20. Quomodo autem ſuperabundaſſet gratia, ſi aditus ad beatitudinem, qui delicto clauſus fuerat, differendus erat ad diem extremum? Si ergo *unius delicto mors regnavit per unum* (inquit Paulus ibid. v. 17.) *multò magis abundantiam gratiæ, & donationis, & juſtitiæ accipientes in vita regnabunt per unum Jeſum Chriſtum*. Quapropter Chryſoſtomus (homil. 10. ibi) *Illud quidem* (inquit, peccatum) *à præſenti vita ejecit: gratia autem, ubi advenit, non præſentem tantùm, ſed immortalem, ac ſempiternam nobis largita eſt vitam. Horum autem omnium conciliator nobis eſt Chriſtus*.

§. III.

Reſpondetur Objectis.

XIII. Qui tuebantur, Juſtorum beatitudinem differendam eſſe poſt extremum Judicium, movebantur primò ex dicto Pauli ad *Hebr. cap.* 11., ubi recenſitis pluribus viris Sanctis, qui perfectam fidem habuerunt, & ipsâ fide vicerunt regna, ſubdit *v.* 13. *Juxta fidem defuncti ſunt omnes iſti, non acceptis repromiſſionibus, ſed à longe eas adſpicientes, & ſalutantes, & confitentes, quia peregrini, & hoſpites ſunt ſuper terram*. Ergo Sancti licèt in fide perfecti, non tamen ſtatim poſt mortem recipient repromiſſiones, ſed eas à longè adſpicientes erunt ſicut peregrini, & hoſpites uſque ad ultimam illam diem, quâ eis dicet Chriſtus: *Venite benedicti Patris mei &c.* Matth. 25. v. 34., & Reprobis *v.* 41. *diſcedite à me maledicti &c.*

XIV. Reſpondeo primò, nomine repromiſſionum non intelligere hìc Paulum gloriam beatam, ſed Terram promiſſionis, quam cùm Abraham, Iſaac, & Jacob, dùm viverent, non accepiſſent, à longè adſpicientes, ut navigantes terram deſideratam, à longè ſalutabant. Mortui ſunt in fide, promiſſionem illam in poſteris ſuis implendam. Interim dùm viverent, ſe hoſpites, & peregrinos ſuper terram confitebantur. Ut de Abraham legitur *Geneſ.* 23. *v.* 4., & de Jacob. *Gen.* 47. *v.* 8.

XV. Reſpondeo ſecundò, ibi ſermonem eſſe de antiquis Patriarchis, qui ante Chriſtum cum fide in ipſum mortui ſunt. Hi certè non acceperunt, dùm viverent, repromiſſionem de Meſſia, nec poſt mortem vitam æternam, ſed utrumque à longè ſalutabant. Unde D. Thomas ibi *lect.* 4. *Et ſalutantes* (inquit) *ideſt venerantes. Et loquitur ſecundùm Chryſoſtomum ad ſimilitudinem nautarum,*

Digitized by Google

rum, qui quando primò vident portum, prorumpunt in laudem, & ſalutant Civitatem, ad quam vadunt. Ità Sancti Patres videntes per fidem Chriſtum venturum, & gloriam, quam per ipſum conſecuturi erant, ſalutabant, ideſt venerabantur ipſum. Unde Paulus non eſt contra nos, qui loquimur de animabus, non Sanctorum Patrum ante Chriſtum (hos enim ſcimus, non habuiſſe introitum ad gloriam ante ipſum) ſed de animabus Juſtorum purgatis, morientium poſt Chriſtum.

XVI. Movebantur ſecundò ex alio dicto Pauli 2. ad Timoth. cap. 4. v. 7. *Bonum certamen certavi, curſum conſummavi, fidem ſervavi. In reliquo repoſita eſt mihi corona juſtitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die juſtus Judex; non ſolùm autem mihi, ſed & iis, qui diligunt adventum ejus.* Ergo coronam juſtitiæ ideſt gloriam expectabat Paulus ſibi reddendam ſolùm in illa die, quâ Chriſtus venturus eſt juſtus judex.

XVII. Reſpondeo cum D. Thoma ibi *lect.* 2., quòd *Corona gloriæ eſt duplex: alia animæ: & hæc redditur Sanctis in illa die: ideſt in morte: unde hic dicit:* Tempus reſolutionis meæ inſtat. 2. *Cor.* 5.: Si terreſtris Domus noſtra hujus habitationis diſſolvatur ædificationem habemus ex Deo. *Alia eſt corporis: & hæc reddetur in illa die, ſcilicet judicii.* Hæc D. Thomas. De utraque loquitur Paulus. Unde beatitudo animæ habebitur ſtatim poſt mortem, beatitudo autem etiam Corporis ſolùm in adventu Chriſti Judicis omnium hominum.

XVIII. Movebantur tertiò, quia Chriſtus non aſcendit ad Cœlos ſtatim poſt mortem, ſed tantùm poſt reſurrectionem ſuam; ergo homines prædeſtinati per Chriſtum, qui debent conformes fieri imagini filii ſui, non aſcendent in Cœlum, niſi poſt reſurrectionem. Ità loquebatur S. Irenæus *lib.* 5. *contra hæreſ. cap.* 31. dicens: *Quomodo ergo Magiſter noſter non ſtatim evolans abiit, ſed ſuſtinens definitum à Patre reſurrectionis ſuæ tempus .... poſt triduum reſurgens, aſſumtus eſt: ſic & nos ſuſtinere debemus definitum à Deo reſurrectionis noſtræ tempus prænunciatum à Prophetis, & ſic reſurgentes aſſumi, quotquot Dominus ad hoc dignos habuerit.*

XIX. Reſpondeo, hoc argumento ſolùm evinci, quòd ſicut Chriſtus ſolùm poſt reſurrectionem aſſumtus eſt in Cœlum, non ſolùm quoad animam, ſed etiam quoad corpus; ſic & nos, quantùm ad animam, & corpus aſſumendi non erimus, niſi poſt univerſalem reſurrectionem. Imò ſicut Chriſtus ſtatim poſt paſſionem (imò & ante) quoad animam fuit beatus: ità & ii, qui prædeſtinati ſunt, conformes fieri imagini ejus, ſtatim poſt hujus vitæ paſſiones, & mortem deberent ſecundùm animam glorificari. Decuit ergo ut Chriſtus poſt mortem non ſtatim aſcenderet in Cœlum. Primò, ut ſuâ manifeſtatione conſolaretur Patres antiquos, eoſque liberaret. Secundò, ut fidem ſuæ reſurrectionis Apoſtolis aſſereret, cum ipſis converſando. Tertiò, ut cum illis loqueretur de Eccleſia fundanda: unde dicitur *Act.* 1. *v.* 3. *præbuit ſe ipſum vivum poſt paſſionem ſuam in multis argumentis per dies quadraginta apparens eis, & loquens de Regno Dei.*

XX. Movebantur quartò ex illo Matth. 25. v. 34. *Tunc* (ideſt in die Judicii, ut fatentur omnes Expoſitores) *dicet Rex his, qui à dextris erunt. Venite benedicti Patris mei, poſſidete paratum vobis Regnum à conſtitutione mundi.* Ergo in die Judicii, non ante, Electi intrabunt in poſſeſſionem Gloriæ: *Venite* enim dici non poteſt, niſi his, qui foris ſunt, & *Poſſidete*, aut *percipite*, niſi his, qui nondum habent, ſed expectant.

XXI. Reſpondetur, Chriſtum dicturum *Venite*, *poſſidete:* non ut inde colligamus, animas Sanctas tunc primò recepturas præmium, quod antea non habebant: ſed ut ſciamus, illud tunc recepturas cum publico honore, ac pom-

Digitized by Google

pompa ſolemni; ſicut Reprobi tunc recipient cum publica ignominia, & confuſione æternum ſupplicium. Alioquin ſi tunc primò Electi reciperent æternum præmium, dici deberet etiam, tunc primò Reprobos addicendos æterno ſupplicio; quod eſto Calvinus admittat, Adverſarii tamen negabant, volentes, differri quidem Electis præmium, ſed non pœnam Reprobis.

XXII. Movebantur quintò ex illo 1. Joannis 3. v. 2. *Cariſſimi nunc filii Dei ſumus, & nondum apparuit, quod erimus. Scimus, quoniam, cùm apparuerit ſimiles ei erimus, quoniam videbimus eum, ſicuti eſt.* Ergo non videbimus eum, niſi cùm apparuerit, quod erit in Judicio extremo.

XXIII. Reſpondeo primò, Joannem loqui de nobis viatoribus, qui nunc Filii Dei ſumus, & nondum apparuit, dùm ſumus in hac vita, quid erimus. Et ſolùm ſcimus, quòd, cùm apparuerit Chriſtus in gloria, ſimiles ei erimus, quia videbimus eum, ſicuti eſt: non dicit autem Joannes, non eſſe Chriſtum appariturum in gloria, niſi in die extremo. Vel ſi loquatur de apparitione in die extremo: dico ſecundò, quòd exponi debet de apparitione publica, & ſolemni in carne viſibili; tunc enim apparebit, non nobis ſolùm, ſed omnibus, quid ſumus, & quid erimus.

XXIV. Movebantur ſextò ex Apocalypſis *cap. 6.*, ubi apertè dicitur, animas Martyrum non viſuras Deum, antequam Martyrum numerus compleatur. *Verſu enim 9.* cùm Agnus aperuiſſet quintum ſigillum: *vidi* (inquit Joannes) *ſubtùs altare animas interfectorum propter Verbum Dei .... & clamabant voce magnâ dicentes. Uſquequò Domine, Sanctus, & verus, non judicas, & non vindicas ſanguinem noſtrum...* Et *verſu* 11. ſequitur, *& datæ ſunt illis ſingulæ ſtolæ albæ: & dictum eſt illis, ut requieſcerent adhuc tempus modicum, donec compleantur conſervi eorum, & fratres eorum, qui interficiendi ſunt, ſicut illi:* nimirùm ab Antichriſto, cujus ſævitiâ complebitur tempus, & numerus Martyrum. Ergo &c.

XXV. Reſpondeo, dicta verba non eſſe intelligenda de beatitudine animæ, quaſi quòd hæc animabus Martyrum ſit differenda, donec compleatur numerus Electorum, ſeu Martyum. Nam *capite ſequenti v.* 9. animæ illæ, quæ ſub altari clamabant, & quibus datæ fuerant ſtolæ albæ, apparent ſtantes ante Thronum Dei in conſpectu Agni amictæ ſtolis albis, & conſequenter jam fruentes Beatitudine. Igitur verba illa referenda ſunt ad unionem earumdem cum corporibus ſuis, pro qua obtinenda requieſcere debent adhuc modicum tempus, donec compleantur conſervi earum, quod quidem complementum non habebitur, niſi in die ultimo; In cujus ſignum inducuntur clamantes ſub altari, ſub quo recondi ſolebant Martyrum corpora, quaſi nomine iſtorum, in quibus Martyrium paſſæ erant, beatitudinem poſtulantes. Hinc D. Thom. *in* 4. *diſt.* 45. *qu* 3. art. 3. ad 1. *Illa* (inquit) *oratio Martyrum non eſt aliud, quàm eorum deſiderium de obtinenda ſtola corporis, & ſocietate Sanctorum, qui ſalvandi ſunt, & conſenſus, quo conſentiunt divinæ juſtitiæ punienti malos.*

§. IV.

Joannes XXII. Vindicatur.

XXVI. HAdrianus Papa VI. in 4. *ſentent. de miniſtro confirm.* agens, & Jo: Gerſon Cancellarius Pariſ. *ſerm. de feſto Paſchæ* imponunt Joanni XXII., quòd tenuerit, & docuerit, animas purgatas ante finale Judicium non habere ſtolam gloriæ, ſeu facialem viſionem Dei. Hoc modò quærimus; an dictus Pontifex hanc opinionem, ſeu meliùs errorem aſſerendo defenſarit.

Controverſia hæc, ut §. 1. indicavi, in Curia Pontificia anno 1333. magnâ contentione cæpta eſt agitari. De hoc Joan-

Digitized by Google

Joannes XXII. in ſuis ad Cardinales collationibus Scripturæ Sacræ oracula, & Patrum dicta in utramque protulit partem, ac juſſis Cardinalibus, Præſulibus, cæteriſque Doctoribus, ut quæſtionem exactiſſimè diſcuterent, libellum etiam ea de re ad Petrum Rogerii Archiepiſcopum Rotomagenſem tranſmiſit. Ità Odoricus Raynaldus ex ipſius Joannis Regeſto, & Joanne Villani *lib.* 10. *cap.* 230., & Ptolæmeo Lucenſi *Hiſt. Eccleſ. lib.* 24. *cap.* 42. Hinc percrebuit rumor in Galliis, Joannem XXII. in ſententia eſſe, Juſtorum purgatas animas non viſuras Deum facie ad faciem, niſi poſt finale Judicium: adeò, ut Philippus Rex, referente Joanne Villani, ſuis litteris contra id ſentientes exceſſerit; Qua de re certior factus Pontifex, datâ ad Regem Epiſtolâ, quæ legitur apud prælaudatum Raynaldum ad ann. 1333. *num.* 46. conqueſtus eſt. His poſitis, quærimus, an Joannes reverâ fuerit tali errore maculatus.

XXVII. Dico. Joannes XXII. nunquam aſſertivè docuit, animas Sanctas uſque ad ſupremum Judicii diem viſione beatificâ Dei non fruituras; permiſit quidem, eam diſputari, ut veritate compertâ, poſſet eam ſedes Apoſtolica definire. Hoc probant verba ipſius Joannis in ſupra indicata Epiſtola ad Philippum Francorum Regem, quâ ipſum rogat, ut permittat diſputare, & prædicare Magiſtris Pariſienſibus, quod ſibi *juxta doctrinam Evangelicam, & Apoſtolicam diſputandum videbitur, donec aliud ordinatum per ſedem fuerit Apoſtolicam, & declaratum. Sic enim ad veritatem quæſtionis prædicta poterit promtiùs perveniri.*

XXVIII. Idem eruitur ex teſtimonio Magiſtrorum Pariſienſium, qui, requiſiti ſuper hac quæſtione à Rege, ut ſuam mentem aperirent, litteris ad ipſum Regem datis, quarum autographum in Archivo Majoris Conventus Fratrum Prædicatorum Pariſienſium, & in Scriniis Theologicæ Facultatis aſſervatur, hæc de Joanne ſcribunt: *Advertentes, quod multorum fide dignorum relatione audivimus, quòd quidquid in hac materia ſua ſanctitas dixit, non aſſerendo, ſeu opinando protulit, ſed ſolummodo recitando &c.*

XXIX. Hoc idem proteſtatum fuiſſe Joannem ipſum, teſtatur Benedictus XII. ejus ſucceſſor ſuo diplomate incipiente *Benedictus Deus &c.*, ubi refert, quòd audiens Joannes, multos hac in re non benè de ipſo cogitare: *volens verbis, & linguis malignantium obviare, anno Domini 1334. indict. 2. die 3. Januarii S. R. E. Cardinalibus, de quorum numero tunc eramus, multiſque Prælatis, in ſacra Theologia Magiſtris, atque Perſonis, & Tabellionibus publicis in Conciſtorio Apoſtolico coram eo perſonaliter conſtitutis, dixit, aſſeruit, & proteſtatus eſt ſub hac forma.*

„ Ne quis ſiniſtrè interpretari poſſit, „ nos ſenſiſſe aliquid, aut ſentire, quod „ Scripturæ Sacræ obviet, aut fidei or„ thodoxæ, dicimus, & proteſtamur „ expreſsè &c., quòd quidquid in quæ„ ſtione, ſeu materia viſionis anima„ rum, videlicet, an animæ à peccatis „ & pœnis peccatorum purgatæ videant „ divinam eſſentiam illâ viſione, quam „ Apoſtolus vocat facialem; ſeu quæ„ cumque alia de iſta materia in ſermo„ nibus, & collationibus noſtris dixi„ mus, allegavimus, ſeu propoſuimus, „ non intendentes aliquid determinare, „ vel decidere, ſeu credere, quod eſſet „ quovis modo Scripturę Sacræ obvium, „ vel contrarium fidei orthodoxæ: ſed „ illud ſolùm tenere, & credere, quod „ & Scripturæ Sacræ poteſt, & pote„ rat, & Catholicæ fidei convenire. Et „ ſi forſan in prædictis ſermonibus, vel „ collationibus aliqua diximus, quæ „ vel Scripturæ Sacræ, ſeu fidei ortho„ doxæ quovis modo eſſent, vel vide„ rentur obvia, ipſa præter intentio„ nem à nobis fuiſſe prolata dicimus, „ & aſſerimus, eaque revocamus ex„ preſsè, non intendentes illis adhære„ re, nec ea in præſenti defendere, nec „ etiam in futuro. Hæc Joannis Verba in præfato diplomate,

XXX. Quam declarationem apertiùs

etiam

ètiam repetivit lethali infirmitate correptus eidem Benedicti XII. diplomati laudato inſertam, ubi hæc habet. *Ne ſuper iis, quæ de animabus purgatis ſeparatis à corporibus &c. ſæpiùs dicta ſunt, aliter quàm per nos dicta, & intellecta fuerunt, & intelligantur, & dicantur, auribus fidelium valeant inculcari: ecce quod noſtram intentionem, quam cum Sancta Eccleſia Catholica circa hac habemus, & habuimus ſerie præſentium, ut ſequitur, declaramus. Fatemur ſiquidem, & credimus, quòd animæ purgatæ ſeparatæ à corporibus ſunt in Cœlo, Cœlorum Regno, & Paradiſo, & cum Chriſto in conſortio Angelorum congregatæ, & vident Deum, ac divinam eſſentiam facie ad faciem clarè &c.* Quibus & præcedentibus obſtruuntur ora aliquorum aſſerentium, Joannem mordicùs, atque obſtinatiùs hunc errorem ad mortem uſque ſuſtinuiſſe, eumque definire paratum, niſi morte præventus fuiſſet.

XXXI. Porrò ſi hæc non ſufficerent, adeatur ejuſdem Joannis XXII. Bulla Canonizationis S. Thomæ Aquinatis. In ea legitur, *Cœlum credentibus, & humilibus patere, à Chriſto in Cœlum aſcendente reſeratam, dudum clauſam in ſe credentibus Januam Paradiſi. S. Thomam devicto, triumphatoque mundo, in perpetuas æternitates receptum in Patria, ejus animam Cœlum poſſidere, & in Cœleſtibus agminibus poſitum Deum glorificare.* Adeatur Bulla Canonizationis S. Ludovici Tholoſani, ubi inter alia legitur: *Tandem glorioſam reſolutus in mortem, qui hìc vivus ambulavit in innocentia in medio domus ſuæ, ad Deum ſuum contemplandum in gaudio facie revelatâ in ſua innocentia eſt ingreſſus.* Adeatur quoque diploma Canonizationis S. Thomæ Herfordienſis. Ità ne locutus fuiſſet Joannes, ſi Sanctorum beatitudinem ad diem uſque extremi Judicii differendam crediſſet?

XXXII. Hæc pro veritate dicta ſint. Cæterum etſi Joannes in eam ſententiam propendiſſet; Quid inde? Quæſtio tunc temporis pro utraque parte libera erat, pro utraque videbatur loqui Scriptura, pro utraque aderant Patres; nihil Eccleſia ſtatuerat. Loquebatur inſuper Joannes ex ſuo privato ſenſu, non aſſerens, ſed ambigens; ſi quid contra veritatem dixiſſet nedùm paratus corrigere, ſed corrigens. Quid ergo ulteriùs à fideli Viro expectandum? Quid inde præjudicium Cathedræ Apoſtolicæ, cùm illam opinionem eſto animo tenuiſſet, ut dogma ab Eccleſia tenendum non propoſuerit?

XXXIII. Reſpondendum modò eſt ad id, quod ex Hadriano, & Gerſone ſuperiùs attulimus. Dico ergo primò. Plus credendum eſſe teſtimoniis ejuſdem Pontificis Benedicti XII. ejus ſucceſſoris, Pariſienſis Academiæ, nec non Auctorum, quorum meminimus ſupra ex Raynaldo, qui omnes Joanni XXII. fuerunt coævi, quàm Hadriano, & Gerſonio, qui tempore poſteriores falſis relationibus decipi potuerunt. Hinc dico ſecundò, Hadrianum accuratè non expendiſſe hiſtoriam, ſed incertis rumoribus crediſſe, ut indicat loquendi modus, quo utitur, nimirùm *fertur, dicitur*; De Gerſone autem (ſi tamen ſermo ille de Paſchate genuinus ejus partus eſt, quod plures negant) dicam, eum deceptum fuiſſe, & deceptionis argui à teſtimonio Facultatis Pariſienſis ſupra laudato: quod debuerat Gerſonio ejuſdem Cancellario notum eſſe.

XXXIV. Mitto Calvini de more impudentiſſimam Calumniam, qui *lib. 4. Inſtit. cap. 7. §. 28.* dicit, quòd Joannes XXII. *palàm aſſeruit, animas eſſe mortales, unaque cum corporibus interire uſque ad diem reſurrectionis*, cujus mendacii teſtem facit Gerſonium, quem falsò autumat fuiſſe Joanni coævum, cùm tamen neque eſſet natus. Mitto inquam: quia Joannes tantam blaſphemiam nec cogitavit quidem, neque Gerſonius hoc Joanni impoſuit, ſed ſolùm arguit eum, quòd (ut ipſe putabat, licèt falsò) aſſereret, animas Sanctorum, nonniſi poſt univerſale Judicium, Deum clarè intuituras. Quod etſi Joannes dixiſſet, non debuiſſet à Calvino reprehendi, qui

in eadem eſt ſententia, ut ſuperiùs obſervavimus. Sed hunc nebulonem dimittamus.

QUÆSTIO III.

De uno Beatificæ viſionis principio, nempe ſpecie intelligibili.

DUo ſunt principia, quæ ad Viſionem Dei concurrere debent, nempe ſpecies, & lumen gloriæ. In hac quæſtione agemus de Specie, acturi de Lumine in ſequenti.

DUBIUM I.

An Beati videant Deum per aliquam ſpeciem creatam.

§. I.

Aliqua prænotantur.

I. NOto ex libris de anima, ad cognitionem cujuſcumque objecti duo requiri. Unum ex parte potentiæ; & hoc eſt virtus ad cognoſcendum. Alterum ex parte objecti, quo mediante objectum conjungatur potentiæ, & ipſi præſens fiat, fœcundando illam ad ſui cognitionem: ab utroque enim notitia paritur, à cognoſcente, & cognito, ait D. Auguſtinus *lib. 9. de Trinitate cap. 12.*, inde probans, Verbum eſſe genitum, quia procedit per intellectum. Ex quo fit, quòd cognitio ſe habeat ad modum cujuſdam conceptionis, & partus intentionalis: & quemadmodum in conceptione, & partu naturali duo requiruntur, & virtus fœminæ ad concipiendum, & pariendum, & virtus maſculi fœminam fœcundantis ad fœtum: ità, proportione ſervatâ, ad cognoſcendum requiritur in potentia virtus, & ulteriùs objectum, quod vel per ſe ipſum, vel per ſuam ſpeciem potentiæ conjungatur, eamque fœcundet.

II. Noto ſecundò, neceſſitatem ſpeciei, vel ſimilitudinis ex eo naſci, quòd, cùm ex una parte, ut fiat cognitio, neceſſe ſit, quòd objectum ſiſtatur intra potentiam cognoſcentem, unde axioma: *cognitio fit, ſecundùm quòd cognitum eſt in cognoſcente, & intellectus intelligendo fit quodammodò omnia*: Et ex alia parte ſæpiùs contingat, quòd objectum nequeat per ſeipſum conjungi, & ſiſti intra potentiam, ut ab ea cognoſcatur; vel quia ipſi præſens non eſt; vel quia, utpote materiale, non poteſt intra eam poni ſecundùm ſubſtantiam: quis enim dixerit, lapidem, dùm cognoſcitur, eſſe ſecundùm ſuam ſubſtantiam in intellectu? ideò neceſſe eſt, ut loco ſui immittat, & imprimat in potentia ſuam ſimilitudinem, tanquam ſui vicariam: & hanc vocamus ſpeciem; cujus munus eſt objectum præſentare potentiæ, ejus vices gerere, ſic, ut per illam dicatur objectum intra potentiam poni. Ex quo ſequitur, quòd, ſi objectum poſſet per ſeipſum intra potentiam ſiſti, quia ipſi intimè per ſuam ſubſtantiam præſens, & prorsùs ſeipſo intelligibile, & immateriale, ſuperflua eſſet omnis ſpecies: ſicut ſuperflua eſt imago Regis, ubi Rex ipſe præſens eſt, & in ſe viſibilis.

III. Hanc doctrinam accepimus ex D. Thoma *1. p. q. 12. art. 2. in Corp.*, ubi ait: *Ad viſionem tàm ſenſibilem, quàm intellectualem duo requiruntur, ſcilicet virtus viſiva, & unio rei viſæ cum viſu. Non enim fit viſio in actu, niſi per hoc, quòd res viſa quodammodo eſt in vidente. Et in rebus quidem corporalibus apparet, quòd res viſa non poteſt eſſe in vidente per ſuam eſſentiam, ſed ſolùm ſecundùm ſuam ſimilitudinem. Sicut ſimilitudo lapidis eſt in oculo, per quam fit viſio in actu; non autem ipſa ſubſtantia lapidis.*

IV. Noto tertiò, quòd ſpecies, ſeu ſimilitudo objecti duplex eſt, nimirùm impreſſa, & expreſſa. Prima eſt illa, quam objectum imprimit in potentia, & quâ fit illi præſens, fœcundando illam ad cognitionem: Quare hæc antecedit cognitionem, & eſt principium illius. Secunda verò, nempe expreſſa, eſt Verbum, quod intellectus cognoſcen-

Digitized by Google

ſcendo exprimit intra ſe, & in quo objectum contemplatur; unde hoc ſequitur ad cognitionem, tanquam partus per eam productus. Species impreſſa eſt ſimilitudo objecti, ut intelligibilis, & nondùm intellecti. Species verò expreſſa eſt ſimilitudo objecti in actu ſecundo intellecti, eſtque terminus intellectionis. De utraque in præſenti quærimus; an Deus per aliquam ſpeciem, ſeu ſimilitudinem creatam, ſive impreſſam, ſive expreſſam uniatur menti Beatorum; an verò nullâ mediâ ſui ſimilitudine per ſeipſum, & per ſuam eſſentiam immediatè uniatur.

§. II.

Reſolvitur de ſpecie impreſſa, & expreſſa.

V. Dico primò. Deus unitur menti Beatorum, eamque ad ſui cognitionem fœcundat, non per aliquam ſpeciem impreſſam creatam, ſed immediatè, uniendo ſeipſum loco ſpeciei. Eſt communis inter Theologos, uno, vel altero excepto. Probatur autem ſic. Species impreſſa à Deo diſtincta in Viſione Beata ſuperflua eſt; ergo de facto non datur. Antecedens probatur. Species impreſſa neceſſaria eſt, ut ſuppleat defectum objecti, quod per ſeipſum nequit uniri, & ſiſti intra potentiam, vel quia non exiſtit, vel quia non eſt præſens, vel quia non eſt per ſeipſum proximè intelligibile, quia non prorsùs actuale, ut ſuperiùs obſervatum eſt; ſed nullum horum accidit in Deo, quia neceſſariò exiſtit, eſt intimè præſens intellectui beato, & quia actualiſſimus, eſt ſummè intelligibilis; ergo &c.

Confirmatur. Quia enim lux habet ſufficientem præſentiam, unionem, & proportionem reſpectu oculi, & qualitates ſenſibiles reſpectu tactus, dicunt multi, movere prædictos ſenſus ad ſentiendum, abſque ulla ſpecie; ergo cùm Eſſentia Divina ſit intimè præſens, unita, & intelligibilis per ſeipſam, non indigebit ſpecie à ſe diſtincta, ut uniatur menti beatæ.

VI. Dico ſecundò. Deus etiam per ſeipſum terminat viſionem beatam, unde Beati videndo Deum non formant ſpeciem expreſſam, neque Verbum. Probatur ut ſupra. Ideò nos producimus Verbum mentis in intellectionibus ordinariis, ut in illo intelligamus objectum, quod non eſt per ſeipſum ſemper unitum, ac præſens in ratione cogniti potentiæ; ſed Deus eſt ſemper præſentiſſimus etiam in actu ſecundo noſtro intellectui: quòd enim non ſemper à nobis videatur, non eſt ex defectu actualitatis ejus, ſed intellectus noſtri, qui non eſt ſemper diſpoſitus, & applicatus, ut oportet, ad illum videndum; ergo &c.

§. III.

Solvuntur argumenta.

VII. Primò arguitur. Ideò eſſet ſuperflua ſpecies creata ad Viſionem Beatam, quia Deus per ſeipſum poteſt facere id, quod faceret ſpecies; ſed hæc ratio eſt nulla; ergo &c. Minor probatur. Sicut Deus poteſt facere per ſeipſum id, quod faceret per ſpeciem, ità per ſeipſum cauſare poteſt omnia, quæ per cauſas creatas cauſantur; ſed non per hoc cauſæ creatæ ſuperfluæ dicuntur; ergo neque ſpecies creata.

VIII. Reſpondetur negando abſolutè cauſalem majoris. Non enim præciſè ſuperflua eſt ſpecies creata in viſione Dei, quia Deus per ſeipſum facere poteſt id, quod faceret ſpecies creata; ſed quia ſpecies unicè inſtituta eſt, ut ſuppleat vices objecti, & faciat id, quod objectum per ſeipſum facere nequit. Quando autem aliquid præciſè inſtitutum eſt, ut ſuppleat defectum, vel abſentiam alterius, ſi id, pro quo ſupplet, ſit præſens, & ſufficienter per ſeipſum faciens, certè ſuperfluit illud, quod ad ejus vices geren-

rendas fuerat inſtitutum. At virtutes cauſarum ſecundarum non ſunt unicè inſtitutæ, ut vices gerant Dei, ſive ut faciant, quod Deus per ſeipſum facere non poſſet, ſed ſe habent, ut virtutes per ſe in ſuo ordine operativæ, ideòque ſuperfluum non eſt, imò potiùs conveniens, ut præter cauſam primam, quæ Deus eſt, dentur aliæ cauſæ ſecundæ in ſuo ordine cauſantes, etſi Deus per ſeipſum totum præſtare poſſet.

IX. Secundò argues. Si Eſſentia Divina uniretur intellectui beati per modum ſpeciei, & objecti fœcundantis illum, ſequerentur duo incommoda. Primum, quòd Eſſentia Divina indueret rationem formæ inhærentis, vel ſaltem informantis. Secundum, quòd Divina Eſſentia concurreret activè ad viſionem ſui per modum principii *quo*, & conſequenter ſubordinaretur intellectui, & eſſet in potentia ad viſionem: quia omne principium *quo* ſubordinatur principio *quod*, & eſt in potentia, & propter operationem, quam producit. Hæc autem incommoda ſunt; Ergo &c.

X. Reſpondeo, negando aſſumtum pro utraque parte. Ad probat. primæ nego antecedens. Sicut enim ſubſiſtentia Verbi unitur humanæ naturæ ad ſubſiſtendum, quin illi inhæreat, aut illam informet, ſed ſolùm illam terminando, perficiendo, & trahendo ad eſſe Perſonale Divinum; ità Divina Eſſentia unita intellectui beato, illi nec inhæret, nec illum informat, ſed illum complet, perficit, & trahit ad eſſe intelligibile divinum: intellectus enim trahitur ad eſſe objecti, quod intelligit. Si verò ſpecies creata inhæreat, aut informet intellectum, hoc non habet, quia ſpecies eſt, ſed quia creata, & accidentalis eſt.

Neque ſequitur ſecundum. Eſto enim principium *quo* Phyſicum ſubordinetur principio *quod*, quia ad illius eſſe trahitur, & propter ipſum datur: principium tamen *quo* intentionale non ſubordinatur principio *quod* phyſico ex ſua ratione, ſed ipſum unicè movet, perficit, & ad eſſe intentionale trahit; cùmque & moveat motione propriâ objecti, non eſt propter intellectionem, ſed intellectio eſt propter ipſum, nec ſpecificatur, ſed ſpecificat intellectionem, neque in potentia eſt ad viſionem, ſed ſolus intellectus creatus, qui videt Deum, & illâ viſione perficitur.

XI. Tertiò objicies contra ſecundam concluſionem. Primò Verbum eſt ſimilitudo objecti ab intellectu expreſſa; ſed in viſione Dei datur hæc ſimilitudo; ergo &c. Min. prob. ex 1. *Joann.* 3. *v.* 2. *cùm apparuerit, ſimiles ei erimus, quia videbimus eum, ſicuti eſt*. Et ex S. Auguſtino *lib.* 9. *de Trinit.* cap. 11. *cùm Deum novimus ... fit aliqua ſimilitudo Dei illa notitia*. Secundò D. Thomas 1. *p. q.* 27. *art.* 1. probat contra Arianos, & Sabellianos, Deum producere Verbum, hoc diſcurſu: quicumque intelligit ex hoc ipſo, quòd intelligit, producit Verbum; ſed ſi Beatus videns Deum non produceret Verbum, ratio D. Thomæ non convinceret; ergo &c.

XII. Reſpondetur, negando minorem. Ad primam probationem ex Script. dico, quòd, cùm Deum videbimus, ſimiles ei erimus, non quia producemus Verbum expreſſivum Dei: ſed aſſimilabimur Deo, vel per lumen gloriæ, quod eſt participata ſimilitudo luminis divini, vel quia videndo Deum, habebimus divinam eſſentiam nobis unitam, vel quia eâdem felicitate fruemur, quâ ipſe fruitur.

Ad S. Auguſtinum dico, eum ibi loqui de notitia Dei, quam habemus in via, in [illegible] certè Verbum producimus: addit [illegible]m, hanc ſimilitudinem eſſe inferiorem, & inæqualem.

Ad ſecundam ex D. Thoma dico, illam propoſitionem *Quicumque intelligit &c.* debere exponi ſecundùm diſtributionem accommodam, & pro generibus ſingulorum, non pro ſingulis generum; quaſi dicat, quòd in quocumque genere intelligentium, ſive in quacumque natura intellectiva, ſive creata, ſive increata, datur productio Verbi:

non

non verò in quacumque intellectione. Hoc enim ſatis erat ad convincendos Arianos, & Sabellianos. Imò nec Deus in quacumque intellectione producit Verbum, ſed in notionali tantùm, & fœcunda, qualis eſt Patris.

XIII. Quartò objicies. Omnis actio debet habere terminum; ſed terminus viſionis eſt Verbum; ergo &c.

Reſpondetur, quòd eſto omnis actio tranſiens debeat habere terminum à ſe productum, actio tamen immanens, qualis eſt viſio, non debet neceſſariò habere terminum à ſe productum, ſed ſat eſt, ut habeat terminum ſibi unitum, & ſic viſio Dei habet pro termino Deum ſibi in eſſe cogniti unitum.

Noto tamen, quòd hæc concluſio locum habet in ſententia D. Thomæ volentis, Verbum eſſe ab intellectione diſtinctum, tanquam terminum per eam productum. Si enim loqueremur in ſententia aliorum, qui volunt, Verbum eſſe ipſam intellectionem, & ſic viſionem Dei eſſe ipſum Verbum Dei repræſentativum, non eſſet locus negandi Verbum in Viſione beata.

DUBIUM II.

An ſit poſſibilis ſpecies creata, quæ Deum, ut eſt in ſe, repræſentet.

§. I.

Ratio Controverſiæ.

I. QUæſtionem hanc fuſo calamo pertractant aliqui; nos tamen eam breviter expediemus: non enim multæ utilitatis eam judicamus. Agitatur præcipuè inter nos, & Scotiſtas. Controverſia autem ex eo nata eſt, quòd Scotiſtæ putant, ſpeciem alicujus objecti repræſentativam non debere eſſe formalem illius ſimilitudinem, ſed ſolùm virtualem, nec debere continere intrinſecè eadem prædicata, quæ ſunt in objecto repræſentato, ſed ſolùm extrinſecè. Ex quo inferunt, quòd ſpecies, quæ repræſentaret Deum, ut eſt in ſe, & ut cognoſcibilem à Beato, eſſet ſolùm virtualis ſimilitudo Dei, & Deus ſolùm repræſentativè, & extrinſecè. Cùm autem non repugnet, quòd aliquid creatum repræſentativè, & extrinſecè Deus ſit, inde inferunt, non repugnare, ut detur ſpecies creata, quæ repræſentet Deum, ut eſt in ſe.

II. Thomiſtæ autem volunt, quòd ſpecies repræſentativa objecti, ut in ſe eſt, debeat eſſe formalis ſimilitudo objecti, & intrinſecè continere naturam objecti, quod repręſentat, ideòque quòd ſpecies repræſentativa Dei, ut eſt in ſe, deberet eſſe formalis ſimilitudo Dei, & intrinſecè continere prædicata quidditativa Dei, & non ſolùm extrinſecè. Cùmque repugnet, quòd aliquid creatum intrinſecè contineat prædicata divina, ſitque formalis ſimilitudo Dei, ut eſt in ſe, dicunt, repugnare talem ſpeciem, quæ ſit creata, & Deum, ut in ſe eſt, repræſentet.

§. II.

Reſolutio difficultatis.

III. DIco. Non eſt poſſibilis ſpecies creata, ſive impreſſa, ſive expreſſa, quæ Deum, ut eſt in ſe, repræſentet. Ità S. Thomas 1. *p. qu.* 12. *art.* 2., cujus ratione probatur ſic. Illa ſpecies repræſentaret Deum, ut eſt in ſe, & non repræſentaret; ergo eſt impoſſibilis. Antecedens pro prima parte ſupponitur ab adverſariis. Pro ſecunda verò probatur à D. Thom. ex Dionyſ. *cap.* 1. *de divin. nomin.* Per ſimilitudines inferioris ordinis rerum nullo modo poſſunt ſuperiora repræſentari, aut cognoſci, ut ſunt in ſe, ſicut per ſpeciem corporis non poteſt repræſentari, aut cognoſci res incorporea, ut eſt in ſe; ſed ſpecies creata, quæcumque ſit, eſt eſſentialiter ſimilitudo rei creatæ, quæ eſt inferioris ordinis ad Deum, ſicut ſpecies corporis eſt eſſentialiter ſimilitudo corporis, quod eſt in inferiori ordine

ne ad ſpiritum; ergo ſicut repugnat, quòd per ſpeciem corporis repræſentetur, aut cognoſcatur Spiritus, ut eſt in ſe: ità, & multò magis, repugnabit, quòd per ſpeciem, & ſimilitudinem rei creatæ repræſentetur, aut cognoſcatur Deus, ut eſt in ſe.

IV. Quòd ſi dicatur, ſpeciem illam fore quidem creatam entitativè, & intrinſecè, fore tamen repræſentativè, & extrinſecè Deum. Quæſo, cur etiam non poterit ſpecies corporea eſſe entitativè, & intrinſecè corporea, & repræſentativè, & extrinſecè ſpiritus, ità, ut poſſit eum, ut eſt in ſe, repræſentare? quòd ſi hoc eſt impoſſibile, cur non illud? ſi ſpecies corporis ſic eſt ſimilitudo corporis, ut nequeat eſſe ſimilitudo ſpiritus, ad eum, ut in ſe eſt, cognoſcendum: cur ſpecies creata non ità erit ſimilitudo creaturæ, ut non poſſit eſſe ſimilitudo Dei, ad eum, ut in ſe eſt, cognoſcendum?

V. Secundò probatur ex eodem Sancto Thoma. Omnis ſimilitudo creata habet eſſe participatum, circumſcriptum, & limitatum: Deus autem eſt ipſum eſſe per eſſentiam, incircumſcriptum, & illimitatum; ſed eſſe participatum, circumſcriptum, & limitatum non poteſt eſſe repræſentatio ipſius eſſe per eſſentiam, incircumſcripti, & illimitati, ut eſt in ſe; ergo &c. Minor probatur. Quia enti in eſſentia finito, & circumſcripto, infinita, & incircumſcripta repræſentandi vis nequit convenire: nequit enim inter entitatem, & ejus repræſentationem dari infinita diſtantia.

Confirmo hoc. Qui videret illam ſpeciem, ſeu ſimilitudinem creatam repræſentantem Deum, ejuſque repræſentationem, non videret Deum, ut eſt in ſe, quia eum videret, ut repræſentatum in creatura; ergo neque intellectus utens illâ ſpecie ad cognoſcendum Deum, illum cognoſceret, ut eſt in ſe, ſed ut in illa ſpecie creata repræſentatum.

VI. Tertiò probatur tàm de ſpecie impreſſa, quàm expreſſa, ratione, quam indicat S. Thomas 1. *Contra gentes cap. 46.* ſub hac forma. Species, ut ſupra vidimus, ad hoc eſt inſtituta, ut, ſi ſit impreſſa, objectum reddatur actu, & proximè intelligibile: Si verò ſit expreſſa, ut per illam reddatur ultimatè cognitum, & in actu ſecundo intellectum; ſed repugnat, Deum fieri proximè intelligibilem, & ultimò intellectum per aliquam formam creatam; ergo &c. Major conſtat ex ſuppoſitis dubio præcedente. Minor probatur. Id, quod eſt per ſeipſum intelligibile, imò eſt ipſa ſumma intelligibilitas, & id, quod in linea intellecti ſeipſo eſt ultima actualitas, repugnat, ut fiat intelligibile, & intellectum per aliud: quia enim lux eſt per ſeipſam viſibilis, repugnat, fieri viſibilem per aliud: quia albedo per ſeipſam eſt alba, repugnat fieri albam per aliud: & generaliter quod eſt tale per ſeipſum, repugnat fieri tale per aliud; ſed Deus eſt per ſeipſum intelligibilis, & ultimò intellectus, utpote actualiſſimus, & nullo modo in potentia; ergo &c.

VII. Urgetur magis. Eadem eſt ratio proportionaliter de intelligibilitate, ac de intellectualitate, & entitate; ſed quia Deus eſt per ſeipſum primum intelligens, & primum ens, imò ipſum eſſe, non poteſt fieri, nec actu, nec proximè intelligens, aut exiſtens per aliud à ſe; ergo à pari, quia eſt primum, & per ſe intelligibile, & intellectum, non poterit fieri intelligibilis, & intellectus per aliud à ſe.

VIII. Dices, argumentum hoc probare quidem, eſſentiam divinam non poſſe fieri intelligibilem, & intellectam à Divino intellectu per aliquam formam, aut ſpeciem diſtinctam: non tamen, quòd non poſſit fieri intelligibilis, & intellecta ab intellectu creato per aliquid diſtinctum à ſe, ratione exceſſus, quem habet ſupra illum, ut nimirùm illi proportionetur, & coaptetur.

IX. Sed contra. Nam primò hoc probaret, non ſolùm poſſibilem, ſed ne-

neceſſariam ſpeciem creatam in viſione beata, ſi hæc requireretur ad proportionandam divinam intelligibilitatem cum intellectu creato: quod tamen Scotiſtæ non aſſerunt, qui admittunt, Deum de facto videri abſque ulla ſpecie creata.

Secundò. Quòd aliquod objectum ratione ſuæ excellentiæ ſit improportionatum cum potentia, non arguit, eſſe addendum aliquid objecto, quo ejus excellens intelligibilitas attemperetur, ſed eſſe ponendum aliquid in potentia, quo confortetur, & ad ejus cognitionem elevetur: Sicut ex eo, quòd Sol ratione ſuæ lucis ſit excedens, & improportionatus cum oculo noctuæ, non ſequitur, ponendum eſſe aliquid in Sole, quo fiat oculo noctuæ attemperatus, ſed debere poni in oculo noctuæ majorem virtutem, & efficaciam, quâ roboretur, & fiat potens videre Solem. Ergo ex eo, quòd Deus ſit objectum excedens, & improportionatum cum intellectu creato, non ſequitur, debere per aliquam ſpeciem creatam ei proportionari, ſed potiùs creatum intellectum debere per lumen elevari, ut Deum videre poſſit. Et ratio eſt, quia ſpecies datur ad ſupplendum defectum objecti, non potentiæ. Cujus exemplum habemus in ſubſiſtentia divina, quæ, licèt ſit excedens in perſonando naturam humanam, nullus unquam dixit, debere addi ex parte ſubſiſtentiæ divinæ aliquid, quo proportionetur, ſed ſolùm ex parte naturæ humanæ aliquid, quo elevetur.

X. Tandem probatur. Quando Deus abſque ulla repugnantia poteſt aliquid efficere mediâ causâ ſecundâ, id naturaliùs efficit per illam, quàm per ſeipſum ſolùm: ſicut, licèt in ſententia Scotiſtarum poſſit Deus ſe ſolo ſine lumine Gloriæ creato concurrere ad viſionem beatam, connaturaliùs tamen concurrit cum lumine, quàm ſine illo, ideòque de facto concurrit medio lumine creato. Ergo ſi abſque repugnantia Deus concurrere poſſet ad viſionem ſui mediâ ſpecie creatâ, connaturaliùs concurreret per illam, quàm ſine illa, & de facto per illam concurreret. Hoc autem Scotiſtæ non admittunt, ut dubio præcedente vidimus. Ergo ſignum eſt, quòd ſpecies creata repugnat. Si enim connaturaliùs complectur potentia per lumen intrinſecum, quod ſe tenet ex parte potentiæ: cur connaturaliùs non complebitur etiam per ſpeciem intrinſecam, etſi iſta ſe teneat ex parte objecti? Certè effectus, qui præſtabilis eſt per cauſas ſecundas, connaturaliùs habetur per illas, quàm ſine illis. Sed hæc ſatis.

§. III.

Solvuntur argumenta contraria.

XI. Objiciunt primò. Species creata repræſentativa Dei in ſe ideò repugnaret, quia deberet eſſe infinita ſicut Deus, & in eodem gradu immaterialitatis cum illo; ſed hoc non ſequeretur; ergo &c. Minor probatur. Lumen gloriæ, & viſio beata, ut Deum pro ut eſt in ſe attingant, ſufficit, ut ſint infinita extrinſecè, & terminativè, non verò ſubſtantialiter, & intrinſecè; ergo ut ſpecies creata repræſentaret Deum ut eſt in ſe, ſatis eſſet, ut eſſet infinita repræſentativè, & extrinſecè, non ſubſtantialiter, & intrinſecè.

XII. Reſpondeo, negando minorem, ad prob. concedo antecedens, & nego conſequentiam. Et diſparitas eſt, quia lumen gloriæ, & viſio Dei ſe tenent ex parte potentiæ; lumen, ut eam elevans ad viſionem, viſio autem ut actus, quo potentia vitaliter percipit Deum, ut eſt in ſe: unde ſequi debent naturam potentiæ, quæ videndo Deum non fit Deus, niſi extrinſecè, ſicut oculus videndo colores non fit color, niſi extrinſecè. At ſpecies impreſſa, ſive expreſſa ſe tenent ex parte objecti, tanquam ſimilitudo ejus, quæ in viſione intuitiva talis eſſe debet, ut verificetur, per illam objectum,

ut reverà in ſe eſt, poni intra potentiam, ac ſi intra ipſam objectum per ſuam ſubſtantiam poneretur: ideòque non extrinſecè tantùm, ſed intrinſecè debet prædicata eadem, quæ objectum habet in ſe, continere. Cùm verò nulla ſimilitudo creata, utpote participata, poſſit perfectè continere, neque repræſentativè, Deum, ut in ſe eſt, ſed ſolum Deum, ut à creatura participabilem: ideò non poteſt eſſe ſimilitudo Dei, ut requiritur ad viſionem intuitivam; ſicut, quia ſimilitudo corporis non eſt ſimilitudo ſpiritus, ut in ſe eſt, non poteſt repræſentare ſpiritum, ut in ſe eſt, ſed ſpiritum ad modum corporis. Quare videns Deum per ſpeciem creatam videret Deum, non facie ad faciem, ſed per ſpeculum in ænigmate: quia, ut ait S. Auguſtinus lib. 15. de Trinit. cap. 9., *Speculi, & ænigmatis nomine quæcumque ſimilitudines ab Apoſtolo ſignificata intelligi poſſunt, quæ accommodata ſunt ad intelligendum Deum.*

Objiciunt ſecundò. Falſum eſt, quòd ſpecies inferioris ordinis non poſſit quidditativè repræſentare rem ordinis ſuperioris; ergo &c. Antecedens probatur. Species accidentalis eſt inferioris ordinis ad ſubſtantiam; & tamen ſpecies accidentalis poteſt repræſentare ſubſtantiam: nam ſpecies repræſentativa ſubſtantiæ accidens eſt.

XIII. Reſponderi poteſt, omiſſo antecedente, negando conſequentiam, & ſuppoſitum conſequentis. Non enim probavimus, impoſſibilitatem ſpeciei repræſentantis Deum, ut eſt in ſe, ex eo, quòd ſpecies inferioris ordinis non poſſit repræſentare rem ordinis ſuperioris; ſed ex hoc, quòd per ſpeciem rei inferioris ordinis non poteſt repræſentari res ordinis ſuperioris, ſicut per ſpeciem corporis non poteſt repræſentari ſpiritus. Unde retorqueo argumentum ſic. Eſto per ſpeciem accidentalem poſſit repræſentari ſubſtantia, hæc tamen non poteſt repræſentari per ſpeciem accidentis; ſed omnis ſpecies creata eſt eſſentialiter ſpecies quidditativa rei creatæ, ut probatum eſt; ergo nulla ſpecies creata poteſt Deum quidditativè repræſentare.

XIV. Reſpondeo ſecundò, diſt. ant. Inferioris ordinis, ſolùm in eſſe entitativo, concedo antecedens, quæ ſit inferioris ordinis tàm in eſſe entitativo, quàm repæſentativo, nego antecedens: poteſt autem ſpecies in eſſe entitativo eſſe ordinis inferioris, quæ tamen in eſſe repræſentativo tantæ ſit actualitatis, ut rem ordinis ſuperioris poſſit repræſentare: & hujuſmodi eſt ſpecies repræſentativa ſubſtantiæ.

XV. Sed ſtatim urgent. Species, quæ in eſſe entitativo eſt accidens, poteſt eſſe in eſſe repræſentativo ſubſtantia; ergo ſpecies, quæ in eſſe entitativo eſt creata, poterit eſſe increata, divina, & infinita in eſſe repræſentativo.

XVI. Reſpondeo, negando conſequentiam, ſumtam pro repræſentatione Dei quidditativa, & ut in ſe eſt. Et diſparitas (inter multas) hæc eſt. Nam repræſentatio ſubſtantiæ ex identitate cum ente accidentali non inficitur, quia ſecundùm ſuum eſſe formale repræſentativum præſcindit, & manet immunis ab inhærentia. At repræſentatio Dei in ſe ex unione, imò identitate cum ente creato, non eſſet ampliùs divina, ut requiritur ad repræſentandum Deum in ſe: etenim talis repræſentatio Dei in ſe formaliter exprimeret dependentiam à Deo, ut à prototypo, & cauſa formali exemplari: quod ſanè repugnat Deo in ſe, etiam ut repræſentato. Ex quo infertur, quòd, cùm ſpecies ſubſtantiæ, etſi accidentalis, non deferat ſecum prædicatum repugnans ſubſtantiæ in eſſe repræſentativo, poteſt eſſe in tali genere ſubſtantia, eamque quidditativè repræſentare. At ſpecies creata Dei, cùm in eſſe repræſentativo explicet prædicatum repugnans Deo in ſe, nimirùm dependentiam à Deo, ut prototypo, non poteſt eſſe in eſſe repræſentativo Deus in ſe, nec ipſum quidditativè repræſentare.

XVII.

Digitized by Google

XVII. Objiciunt tertiò. Illa ſpecies creata repræſentativa Dei in ſe non foret infinita; ergo eſt poſſibilis. Ant. prob. primò. Ad effectum finitum non requiritur virtus infinita; ſed ſpecies datur ad viſionem beatam, quæ eſt finita; ergo non debet eſſe infinita: ſicut hâc ratione nec lumen gloriæ eſt infinitum.

Secundò. Id prçſtaret prçfata ſpecies, quod modò præſtat eſſentia divina unita per modum ſpeciei; ſed eſſentia divina non præſtat effectum infinitum, cùm finito modo uniatur; ergo neque ſpecies illa.

Tertiò. Poſſibilis eſt ſpecies quidditativa Dei, quæ non ſit comprehenſiva, cùm Deus liberè talem ſpeciem produceret; ſed ſpecies quidditativa Dei, & non comprehenſiva, non eſſet infinita: ſicut hâc ratione non eſt infinita viſio Dei quidditativa; ergo &c.

XVIII. Reſpondetur, negando ant. Ad primam prob. dico, eam pati evidentem inſtantiam in Angelo, qui eſt effectus finitus, & tamen petit ad ſui productionem virtutem infinitam, nempe creativam. Deinde dico, quòd eſto *major* vera ſit de virtute ſe tenente ex parte potentiæ, quæ proportionatur cum illa, quale eſt lumen gloriæ, non tamen de virtute ſe tenente ex parte objecti: hæc enim unicè commenſuratur cum illo, cujus eſt formalis ſimilitudo: ideòque, ſi hoc eſt infinitum, ejus virtus debet eſſe infinita.

Ad ſecundam diſt. min. eſſentia divina non præſtat effectum infinitum, defectu ſui, nego min., defectu capacitatis luminis, & potentiæ, conc. min. Si illa ſpecies creata præſtaret id, quod modò præſtat eſſentia divina, ſicut eſſentia divina ſecundùm ſe potens eſt præſtare effectum infinitum, & parere cognitionem infinitam, niſi obſtaret incapacitas luminis; ità ſpecies illa creata deberet eſſe potens præſtare effectum infinitum, licèt non præſtaret ob eundem defectum.

Ad tertiam nego majorem; ſpecies enim repræſentans quidditativè Deum, ut eſt in ſe, deberet omnia, quæ ſunt de quidditate Dei, repræſentare, & conſequenter omnia prædicata tùm formalia, tùm eminentialia. Uno verbo, Deberet Deum comprehendere, & circumſcribere ſuâ repræſentatione, nec Deus, ſi vellet, eam eſſe ſpeciem ſui quidditativam, poſſet oppoſitum velle. Neque eſt ſimile de Viſione Dei: hæc enim cùm ſe teneat ex parte potentiæ, & ſit attingentia objecti, ſequitur conditionem, & virtutem potentiæ; at ſpecies ſe tenet ex parte objecti, ut formalis ſimilitudo ejus, ut in ſe, ideòque omnia, quæ ſunt in eo, debet repræſentare, aliàs eſſet, & non eſſet ejus quidditativa ſimilitudo.

XIX. Quartò objiciunt. In quocumque ordine poſſibilis eſt operatio, ſunt poſſibilia operationis principia; ſed in ordine creato poſſibilis eſt viſio Dei; ergo in eodem ordine poſſibilia ſunt principia viſionis Dei, quorum unum eſt ſpecies.

XX. Confirmatur primò. Omnis potentia ſufficienter diſpoſita ad aliquam cognitionem petit connaturaliter aliquam ſpeciem impreſſam; ergo cùm intellectus lumine gloriæ perfuſus ſit ſufficienter diſpoſitus ad viſionem Dei, connaturaliter petit aliquam ſpeciem impreſſam; ſed non eſſentiam: hæc enim ſoli divino intellectui connaturalis eſt; ergo ſpeciem creatam.

XXI. Confirmatur ſecundò. Eſſentia divina ſupplet vices ſpeciei creatæ; ſed quod eſt impoſſibile, nequit ſuppleri; ergo &c.

XXII. Confirmatur tertiò. Operationes Chriſti poſſunt eſſe finitæ in genere phyſico, & infinitæ in genere moris: cur ergo non poterit ſpecies illa eſſe finita in genere entis, & infinita in eſſe repræſentativo?

XXIII. Demum, ſi ſpecies naturalis elevari poteſt ad repræſentanda objecta ſupernaturalia, ut patet in ſpeciebus, quæ ſerviunt fidei: cur non poterit ſpecies creata elevari ad repræſentandum Deum, ut in ſe eſt?

Digitized by Google

XXIV. Reſpondeo, negando abſolutè maj. Poteſt enim eſſe ſpecialis repugnantia in uno comprincipio, quæ non ſit in alio, ſicut ſpecialis repugnantia eſt, ne detur ſubſtantia ſupernaturalis, quæ non datur in accidente ſupernaturali. Sicut ergo non valeret. In ordine ſupernaturali dantur accidentia; ergo datur etiam ſubſtantia creata. Ità non valet. In ordine ad viſionem datur lumen creatum; ergo poteſt dàri ſpecies creata: quia circa hanc ſpecialis eſt repugnantia, ut dictum eſt, quæ non militat de lumine gloriæ.

XXV. Ad primam conf. dico primò, eam nimis probare: ſi enim intellectus perfuſus lumine gloriæ connaturaliter petit videre Deum per ſpeciem creatam, ſequitur, quòd Deum de facto videat per eam, ſicut de facto videt eum per lumen ſibi intrinſecum, quia hoc illi eſt connatu ale.

Deinde dico, potentiam ſufficienter diſpoſitam ad viſionem petere aliquam ſpeciem impreſſam poſſibilem; ſpecies autem creata ad viſionem Dei eſt impoſſibilis. Sicut enim non valet. Omne accidens petit ſubjectum ſibi connaturale; ergo accidens ſupernaturale petit ſubjectum ſupernaturale: quia hoc eſt impoſſibile. Ità non valet in caſu. Neque etiam ſequitur, quòd intellectus lumine gloriæ perfuſus connaturaliter (abſolutè, & propriè loquendo) petat divinam eſſentiam ſibi uniri per modum ſpeciei: ſic enim ſolus intellectus divinus eam connaturaliter petit; ſed ſolùm lato modo, & ex ſuppoſitione elevationis. Sicut enim, teſte D. Thoma 1. *p. qu.* 12. *art.* 4., & 3. *p. qu.* 9. *art.* 4., ſcientia beata abſolutè ſoli Deo connaturalis eſt: ità ei ſoli abſolutè, & propriè connaturalis eſt ſpecies tali ſcientiæ deſerviens.

XXVI. Ad ſecundam confirm. dico, eam æquivocatione laborare. Dum enim dicimus, quòd eſſentia divina ſupplet munus ſpeciei, non fit ſenſus, quòd ſuppleat vices alterius ſpeciei, quæ eſſet, ſicut ſubſiſtentia Verbi ſupplet vices ſubſiſtentiæ creatæ, quæ eſſet in natura humana, niſi loco ejus intraret ſubſiſtentia divina; ſed potiùs, quòd, cùm ſit impoſſibilis ſpecies ab ipſa diſtincta, eſſentia divina per ſe ipſam facit, quod alia objecta per ſpeciem accidentalem, & diſtinctam præſtant.

XXVII. Ad tertiam conf. dico, latum eſſe diſcrimen inter ſpeciem creatam, & operationes Chriſti. Nam valor moralis eſto habeat entitatem actionis pro ſubjecto, ab ea tamen, ut à prima radice non ſumitur, ſed unicè à Perſona, quæ eſt forma operationis dignificans; quæ cùm in Chriſto ſit infinita, in eas infinitum valorem refundit. At eſſe intelligibile, ſeu repræſentativum taliter identificatur cum entitate, ut immateriali, ut, ſi immaterialitas finita eſt, non poſſit repræſentatio eſſe ſimpliciter infinita.

XXVIII. Ad ultimam dico, ſpecies naturales elevari quidem poſſe ad repræſentanda myſteria ſupernaturalia quoad *an eſt*, non tamen quoad *quid eſt*, ſive *quidditativè*: unde retorqueri poteſt argumentum ſic. Species naturalis eſto elevari queat ad repræſentandum ens ſupernaturale, quoad *an eſt*, non tamen quoad *quid eſt*; ergo ſpecies creata eſto elevari poſſit ad repræſentandum Deum quoad *an eſt*, non tamen quoad *quid eſt*, & *in ſe*. Sed hæc ſatis.

QUÆSTIO IV.

De Lumine Gloriæ.

ALterum Viſionis Dei principium eſt Lumen Gloriæ elevans intellectum ad claram Dei Viſionem. De hoc quæremus exiſtentiam, poſſibilitatem, influxum &c.

DU-

DUBIUM I.

An intellectus creatus ad videndum Deum aliquo creato lumine indigeat.

§. I.

Quid nomine Luminis Gloriæ intelligatur.

I. NOmine Luminis Gloriæ intelligitur virtus quædam creata ſupernaturalis à Deo in intellectum derivata (ſive per modum habitus, & permanentis, ut in Beato, qui permanenter Deum videt; ſive per modum auxilii tranſeuntis, ut in iis, quos ſuprà probabiliter oſtendimus raptos fuiſſe ad videndum Deum tranſeunter) ratione cujus fit potens elicere viſionem, & ultimò diſponitur ad unionem cum eſſentia divina per modum ſpeciei impreſſæ.

II. Hinc infero primò, nomine luminis gloriæ non intelligi ipſam viſionem Dei. Nam, ut dicemus ex *Concil. Viennenſi*, lumen gloriæ eſt aliquod elevans intellectum ad viſionem; ſed viſio non poteſt elevare intellectum ad viſionem, ideſt ad ſe ipſam; ergo &c. Tùm etiam, quia id à Concil. Viennenſi decernitur, quod Beguardi negabant; ſed illi non negabant viſionem, imò ad illam habendam neceſſarium non eſſe lumen, aſſerebant; ergo Concilium ſupponit, lumen eſſe aliud quid præter viſionem. Sic Eccleſia determinans contra Pelagium, gratiam eſſe neceſſariam ad actus ſupernaturales, & meritorios, nomine gratiæ non intelligit ipſos actus ſupernaturales, quia hi admittebantur à Pelagio, qui tamen gratiæ neceſſitatem negabat: ſed intelligit virtutem elevantem animam, ſeu potentiam ad tales actus.

III. Infero ſecundò, nominè luminis gloriæ non intelligi concurſum ſimultaneum, quô Deus cum Creatura concurrit ad viſionem ſui. Nam juxtà hujus ſententiæ Patronos, concurſus ſimultaneus Dei ad viſionem nil aliud eſt, quàm ipſa viſio, ut pendens à Deo; ergo ſicut laudatum Concilium per lumen gloriæ non intelligit ipſam viſionem, ità neque intelligit concurſum Dei ſimultaneum ad ipſam. Eò vel maximè, quòd concurſus ſimultaneus non elevat animam ad videndum Deum, ſed ſuppoſitâ potentiâ jam elevatâ, & jam habente vires ad videndum Deum, cum illa producit viſionem; at Concilium nomine luminis gloriæ intelligit aliquid elevans, & dans intellectui ſufficientiam, & vigorem ad videndum Deum; ergo nomine luminis non intelligit concurſum ſimultaneum.

IV. Infero tertiò, nomine luminis gloriæ non intelligi eſſentiam divinam gerentem munus ſpeciei impreſſæ. Nam primò. Species objecti non elevat potentiam, ſed unitur potentiæ jam elevatæ, & habenti vires ad cognoſcendum objectum; ſed lumen gloriæ ſupponitur à Concilio elevans; ergo &c. Secundò. Beguardi non negabant, divinam eſſentiam uniri per modum ſpeciei cum anima, imò aſſerebant, animam ex ſua natura in hac vita uniri divinæ eſſentiæ per modum ſpeciei; & tamen lumen gloriæ negabant; dùm ergo Concilium adſtruit neceſſitatem luminis, adſtruit neceſſitatem alterius præter eſſentiam divinam per modum ſpeciei. Denique. Si ad videndum Deum nil aliud requiritur, quàm eſſentia divina unita per modum ſpeciei, jam ſequitur, quòd anima ex ſua natura ſit ſufficiens ad videndum Deum; ſed hoc eſt, quod Concilium damnat in Beguardis; ergo &c. Major probatur. Potentia, cui nihil aliud deeſt ad videndum objectum, niſi ſpecies objecti, dicitur abſolutè potens videre illud: Viſus enim meus eſt abſolutè potens videre Papam, etſi mihi modò deſit ſpecies Papæ; ergo &c.

§. II.

§. II.

Reſſolutio Dubii.

V. DIco. Intellectus creatus, ut videat Deum, aliquo creato lumine indiget confortari. Eſt contra hæreticos, quos *quæſt. 1. præſentis tractatus Dubio 1. §. 3.* refutavimus: quare ibi dicta hùc revocanda ſunt. Eſt definita tanquam aſſertio de fide in Concil. Viennenſi *Clement. ad noſtrum de hæreticis*, ubi inter errores Beguardorum ibi damnatos, hic erat quintus. *Quòd qualibet intellectualis natura in ſeipſa eſt naturaliter beata; quòdque anima non indiget lumine gloriæ ipſam elevante ad Deum videndum, & eo beatè fruendum.*

VI. Hanc veritatem indicant apertè Scripturæ. *Pſalmo 55. v. 13.* dicitur *ut placeam coram Deo in lumine viventium.* Super quæ D. Auguſtinus: *Ipſe* (inquit) *hìc conſolator, ibi munerator, ubique vivificator, & vita dator... ut & hìc in lumine fidei, & ibi in lumine ſpeciei, tanquam in lumine viventium in conſpectu Domini placeamus.* Sicut ergo hìc lumine fidei indiget intellectus, ut vitam habeat, & Deo placeat, ità in patria, ut vitam habeat æternam, lumine indigebit. Idem ex Pſalmo 35. v. 10. *In lumine tuo videbimus lumen;* ubi eſto nomine luminis S. Auguſtinus, & alii Patres intelligant Chriſtum, ex ipſo tamen in mentes beatas lumen transfundi, inferunt; unde ait Auguſtinus ibi: *Si lumen eſt, oculos meos parem.* Et Serm. 184. *In lumine* (inquit) *tuo, non in noſtro... ergo accedite ad eum, & illuminamini.... lumen eſt accede, cape, & vide. Si non influat ille, ſiccus eris.*

VII. Quia verò lumen gloriæ ad duo neceſſarium eſt. Primò, ut ultimò diſponat intellectum ad unionem cum eſſentia divina, quatenus habet rationem ſpeciei impreſſæ. Secundò, ut intellectum elevet ad elicientiam viſionis beatificæ. Ideò luminis gloriæ neceſſitas ad primum

VIII. Probatur ratione D. Thomæ 1. p. qu. 12. art. 5. *Omne, quod elevatur ad aliquid, quod excedit ſuam naturam, oportet, quòd diſponatur aliquâ diſpoſitione, quæ ſit ſupra ſuam naturam: ſicut ſi aer debeat accipere formam ignis, oportet, quòd diſponatur aliquâ diſpoſitione ad talem formam;* ſed intellectus, ut videat Deum, debet elevari ad unionem cum divina eſſentia, tanquam forma intelligibili, quæ excedit ſuam naturam; ergo *oportet, quòd aliqua diſpoſitio ſupernaturalis ei ſuperaddatur ad hoc, quòd elevetur ad tantam ſublimitatem... & iſtud eſt lumen, de quo dicitur Apoc. 21.* quòd claritas Dei illuminabit eam: *ſcilicet ſocietatem Beatorum Deum videntium. Et ſecundùm hoc lumen efficiuntur deiformes, ideſt Deo ſimiles, ſecundùm illud 1. Joann. 3.* Cùm apparuerit, ſimiles ei erimus, & videbimus eum, ſicuti eſt. Ità D. Thomas.

IX. Confirmatur hòc diſcurſu. Nulla ſpecies, ſive ſenſibilis, ſive intelligibilis in ratione ſpeciei uniri poteſt, niſi potentiæ habenti ſufficientem virtutem, ut mediâ tali ſpecie eliciat cognitionem: etenim ſpeciem uniri in ratione ſpeciei, nihil aliud eſt, quàm uniri in ratione repræſentantis objectum, quod conſtat repræſentari non poſſe, niſi potentiæ habenti ſufficientiam ad illud percipiendum; ſed virtutem ſufficientem ad hoc, ut videat per divinam eſſentiam ſic unitam Deum in ſe, intellectus creatus ex ſe non habet; ergo indiget diſponi per aliquid ſupra ſe; & hoc eſt lumen gloriæ.

X. Neceſſitas verò luminis gloriæ ad ſecundum probatur: quia intellectus humanus, ſive creatus, non poteſt viribus naturæ viſionem beatificam elicere, ſed eget viribus ſuperioribus gratiæ, ut contra Beguardos ſtatutum eſt; ſed hujuſmodi vires gratiæ, ſeu virtus, quâ intellectus creatus fit potens elicere viſionem Dei, vocatur, & eſt lumen gloriæ; ergo &c.

XI. Probatur inſuper ratione ex Divo

vo Thoma 3. *Contragentes c. 52.*, quam ſupra expendimus *qu. 1. dub. 1. §. 3.*, quæ hùc revocanda eſt.

Et præterea hôc diſcurſu. Omnis potentia, quæ ex ſe, & ex ſua natura eſt inſufficiens, & improportionata ad aliquem actum eliciendum, & objectum conſpiciendum, indiget corroborari, & elevari per aliquid, quô fiat proportionata, & potens talem actum elicere; ſed intellectus creatus ex natura ſua eſt inſufficiens ad videndum Deum, ut ſupra notatum eſt; ergo indiget aliquâ virtute ſuperadditâ, quam lumen gloriæ vocamus.

§. III.

Solutio Objectionum.

XII. OBjiciunt primò, probando, lumen gloriæ non eſſe neceſſarium tanquam diſpoſitionem ad unionem cum eſſentia divina ſic. Lumen gloriæ eſt aliqua forma ſupernaturalis, & tamen ad illud recipiendum nulla prærequiritur diſpoſitio in intellectu, ſed ſufficit ſola potentia obedientialis. Item ſubſiſtentia Verbi eſt forma ſupernaturalis, & tamen immediatè, & abſque ulla diſpoſitione unitur naturæ humanæ in Chriſto. Ergo quamvis eſſentia divina in ratione formæ intelligibilis ſit ſupernaturalis, & excedat naturam mentis creatæ, poterit ei uniri in ratione ſpeciei abſque ulla diſpoſitione; ergo ex hoc capite non eſt neceſſarium lumen gloriæ.

XIII. Reſpondeo, diſtingu. antecedens, eſt aliqua forma vialis, concedo antecedens, ultima, nego antecedens. Inter formas, etiam ſupernaturales, aliæ ſunt formæ viales, non ultimæ, ſed ad alias ordinatæ, & iſtæ non petunt alias diſpoſitiones ejuſdem ordinis, aliàs daretur proceſſus in infinitum, ſed immediatè recipiuntur in potentia obedientiali paſſiva: aliæ ſunt formæ ultimæ, ad quas formæ illæ viales ordinantur, tanquam ad terminum, & complementum, & iſtæ exigunt neceſſariò, ſubjectum prævie diſponi, ut ſit capax illarum. Cùm ergo lumen gloriæ ſit forma vialis, & ordinata per modum diſpoſitionis ad præparandum intellectum ad aliam formam principalem, nempe ad divinam eſſentiam uniendam intellectui per modum formæ intelligibilis, ideò licèt ad iſtam prærequiratur, intellectum diſponi per lumen gloriæ, ut tamen lumen gloriæ ſuſcipiat. nulla prærequiritur in intellectu diſpoſitio. Hujus aptiſſimum exemplum habemus in primo auxilio, ſeu prima vocatione ad gratiam, & in ipſa gratia ſanctificante: illud enim, quia eſt primum, operatur Deus in nobis ſine nobis, ideſt ſine noſtra præparatione, & prævia diſpoſitione: gratia tamen ſanctificans, quia eſt terminus, & complementum ordinis ſupernaturalis, ſine prævia cooperatione, & diſpoſitione, & ſine Spiritu Sancto cor movente per actus præcedentes ad illam, recipi non poteſt. Idem exemplum petere poſſumus ex naturalibus, ubi ad formam dantur diſpoſitiones, ad diſpoſitiones autem, maximè ad primam, nulla diſpoſitio requiritur.

XIV. Ad ſecundum exemplum de Subſiſtentia divina dico, diſparitatem eſſe, quia unio hypoſtatica fit per elevationem naturæ humanæ ad ſubſiſtentiam, & exiſtentiam divini Verbi: ad hoc autem ut aliqua natura ſuſcipiat eſſe, & ſubſiſtere, nulla præſupponitur diſpoſitio, quia eſſe, & ſubſiſtere eſt primum, quod in natura recipitur. Sed ut mens creata uniatur cum eſſentia Divina in ratione ſpeciei ipſi repræſentantis Deum videndum, oportet, ut ſupponatur ex parte potentię diſpoſitio ad talem viſionem, quia ſpecies impreſſa non repræſentat objectum, niſi ſupponat in potentia virtutem ad illud percipiendum.

XV. Hinc ſolvitur alia inſtantia, quæ ſolet fieri: nimirùm, quòd eſſentia divina poſſit ſe ipſa, & ſui unione reddere proportionatum abſque lumine creato intellectum ad viſionem.

XVI.

Digitized by Google

XVI. Nam dico, hoc falſum eſſe: ſpecies enim impreſſa repræſentans objectum, non dat virtutem potentiæ ad illud percipiendum, ſed illam ſupponit; ut patet in eo, qui habet potentiam viſivam debilem, vel læſam: nam quantùmcumque ſpecies viſibiles objecti perfectæ, & efficaces ponantur in oculo, non ſanatur, neque confortatur oculus, & viſus, ſed obruitur potiùs. Et apparet etiam in elicientia actus fidei, nàm etſi homo habeat ſpecies, objecta credenda ei repræſentantes, hoc non ſufficit, ut eliciat actum fidei circa illa, niſi in eo ſupponatur, vel habitus fidei, vel auxilium ad credendum. Unde ſuperiùs dicebamus cum D. Thoma 1. *par. qu.* 12. *art.* 2., quòd *ad viſionem, ſive ſenſibilem, ſive intellectualem, duo requiruntur, ſcilicet virtus viſiva, & unio rei viſæ cum viſu... & ſi autem eſſet una, & eadem res, quæ eſſet principium viſivæ virtutis, & quæ eſſet res viſa, oporteret, videntem, ab illa re & virtutem viſivam habere, & formam, per quam videret.* Ex quo concludit, quòd Deus, cùm in viſione beata ſit principium intellectivæ virtutis, & res viſa, oportet, ut ab eo derivetur lumen quoddam ex parte potentiæ, & quòd ex parte rei viſæ, cùm nulla ſimilitudo creata id præſtare poſſit, ipſa divina eſſentia per ſeipſam uniatur.

XVII. Objiciunt ſecundò. Ideò requireretur lumen gloriæ, ut redderet intellectum creatum proportionatum ad videndum Deum; ſed hæc ratio non evincit; ergo &c. Minor probatur. Lumen gloriæ eſt finitæ virtutis, improportio autem, quæ eſt inter intellectum creatum, & Deum, eſt infinita; ſed improportio, & diſtantia infinita non poteſt tolli per virtutem finitam; ergo &c.

XVIII. Reſpondeo, nego min., ad probat. diſtinguo ſecundam partem maj., improportio inter intellectum creatum, & Deum, ut videndum infinito modo, & comprehenſivè, eſt infinita, conc. maj., ut videndum ſolùm quidditativè, nego maj. Eſto igitur inter intellectum creatum, & Deum infinito modo, & comprehenſivè viſibilem ſit infinita improportio, quæ vinci non poteſt per lumen finitum: attamen inter intellectum creatum, & Deum, ut viſibilem ſolùm finito modo, & quidditativè non eſt improportio infinita ſimpliciter, ſed ſola improportio ordinis, quia ſcilicet intellectus creatus eſt in ordine naturali, & Deus, ut quidditativè viſibilis, eſt in ordine ſupernaturali. Cùm ergo intellectus creatus per lumen elevetur ad ordinem ſupernaturalem, inde eſt, ut fiat proportionatus cum Deo, ut quidditativè viſibili, quia ut ſic continetur ſub ſphæra eſſentiali ſui objecti adæquati.

XIX. Objiciunt tertiò. Virtus confortans potentiam vitalem debet eſſe vitalis; ſed lumen gloriæ, cùm ab extrinſeco proveniat, non eſt vitale; ergo &c.

XX. Reſpondetur, diſt. maj., eſſe vitalis, egreſſivè, nego maj., connexivè, & inhæſivè, concedo maj., & ſimiliter diſtinctâ min., nego conſequentiam. Dupliciter aliqua virtus poteſt eſſe vitalis, vel egreſſivè, quia egreditur à principiis intrinſecis ipſius viventis, & hoc modo eſt vitalis virtus naturalis intellectus, quæ egreditur, ac fluit ab anima. Alio modo dicitur vitalis connexivè, ſive inhæſivè, quia, eſto ab extrinſeco procedat, eſt tamen ordinata ad elevandam potentiam vitalem ad altiorem vitam, eique intrinſecè inhæret. Lumen gloriæ eſto non ſit vitale egreſſivè (ſi enim egrederetur ab anima, non poſſet elevare intellectum ad viſionem Dei) eſt tamen vitale connexivè, elevativè, & inhæſivè, quia eſt ordinatum ad elevandum, & de facto intrinſecè elevat intellectum ad altiorem vitam, nempe ad viſionem ſupernaturalem.

XXI. Objici poteſt quartò. Cùm Deus videtur per medium, non videtur per ſuam eſſentiam; ſed cùm videtur per aliquod lumen creatum, videtur

per

Digitized by Google

per medium; ergo non videtur per ſuam eſſentiam.

XXII. Reſpond. diſt. maj. per medium *in quo*, conc. maj., per medium *quo*, vel *ſub quo*, nego maj. Ità reſpondet S. Thomas *1. p. qu. 12. art. 5. ad 2. Lumen* (inquit) *iſtud non requiritur ad videndum Dei eſſentiam, tanquam ſimilitudo, in qua Deus videatur; ſed quaſi perfectio quadam intellectus confortans ipſum ad videndum Deum. Et ideò poteſt dici, quòd non eſt medium, in quo Deus videatur, ſed ſub quo videtur: & hoc non tollit immediatam viſionem Dei.*

XXIII. Objici poteſt quintò. Quod eſt per ſe lucidum in rebus ſenſibilibus, non indiget alio lumine, ut videatur; ergo nec in intelligibilibus; ſed Deus eſt lux intelligibilis; ergo non videtur per aliquod lumen creatum.

XXIV. Reſpondetur cum D. Thoma loco citato ad primum, *quòd lumen creatum eſt neceſſarium ad videndum Dei eſſentiam, non quòd per hoc lumen Dei eſſentia intelligibilis fiat, qua ſecundùm ſe intelligibilis eſt; ſed ad hoc, quod intellectus fiat potens ad intelligendum per modum, quo potentia fit potentior ad operandum per habitum. Sicut etiam & lumen corporale neceſſarium eſt in viſu exteriori, in quantum facit medium tranſparens in actu, ut poſſit moveri à colore.*

DUBIUM II.

An ſaltem de potentia Dei abſoluta poſſit intellectus creatus ſine lumine gloriæ videre Deum.

§. I.

Reſolutio Dubii.

I. Scotiſtæ, & alii extra Scholam D. Thomæ cenſent, intellectum creatum elevari poſſe ad videndum Deum per ſolum lumen objectivum, ſeu concurſum omnino extrinſecum Dei abſque ullo lumine intrinſeco, vel habituali, & permanente, vel actuali, & tranſeunte. Attamen

II. Dico. Impoſſibile omnino eſt, etiam ſpectatâ potentiâ Dei abſolutâ, ut intellectus videat Deum ſine lumine gloriæ intrinſeco, vel habituali, vel actuali. Probatur. Tùm quia conformius eſt ſtatutis in Concilio Vienneſi, ubi, ut ſupra diximus, damnantur Beguardi, quòd dicerent, ad videndum Deum neceſſarium non eſſe lumen. Tùm etiam ratione ſic.

Impoſſibile eſt, quòd intellectus de ſe impotens videre Deum, manens impotens, Deum videat, aliòquin ab actu ad potentiam non valeret conſequentia, & conſequenter eſſet videns, ut ſupponitur, & non videns, quia impotens ad videndum; atqui intellectus ſine ullo lumine ipſi intrinſeco eſt intellectus adhuc manens impotens; ergo &c. Major patet. Minor verò probatur. Intellectus ſine ullo lumine ipſum intrinſecè confortante eſt intellectus, ut antea, ideſt habens ſolam ſuam virtutem naturalem; ſed ſecundùm ſuam virtutem naturalem eſt impotens, ut ſuperiùs probatum eſt; ergo &c.

III. Dices, intellectum tunc habiturum adſiſtentiam Dei extrinſecam, concurſum Dei ſimultaneum, & divinam eſſentiam ſibi unitam per modum ſpeciei, & per modum luminis: & per iſta fieri potentem.

IV. Sed contra primum ſic. Vel ex illa ſpeciali Dei adſiſtentia derivatur in intellectum aliqua virtus intrinſeca, vel non? Si primum; habemus intentum, nam talis virtus intrinſecè derivata erit quædam participatio divini luminis, ſive per modum habitus, ſive per modum auxilii tranſeunter communicati. Si verò ſecundum; ergo intellectus manebit, ſicut antea impotens. Quod probo. Impoſſibile enim eſt, quòd id, quod erat intrinſecè impotens ad aliquid, fiat potens, niſi intrinſecè mutetur, ſi enim non mute-

tur, manebit ſicut antea, & ſic cùm antea eſſet impotens, erit impotens poſtea. Sicut oculus læſus, vel debilis intrinſecè impotens videre lucem magnam, niſi intrinſecè ſanetur, aut confortetur, manebit ſemper impotens, nec quâcumque extrinſecâ adſiſtentiâ poſitâ unquam videbit. Et ſicut aqua, quæ, quia eſt impotens calefacere, niſi intrinſecè mutetur, & fiat calida, nunquam calefaciet, nec poterit calefacere.

V. Contra ſecundum ſic. Cauſa non poteſt conſtitui in actu primo potens per id, quod ſe tenet ex parte actus ſecundi, quia actus primus præcedit actum ſecundum prioritate naturæ; ſed concurſus ſimultaneus ſe tenet ex parte actus ſecundi: eſt enim actio cauſæ ſecundæ, pro ut à Deo ſimul operante cum ipſa; ergo implicat, quòd intellectus creatus fiat potens videre Deum per concurſum ſimultaneum: hic enim ſupponit, cauſam poſſe agere, dùm cum ea agente concurrit; quod, cùm negetur, probandum erat.

VI. Contra tertium ſic. Lumen gloriæ duo facit: conſtituit enim intellectum in eſſe ſupernaturali, & eſt illi principium *quo* proximum videndi Deum; ſed eſſentia divina non poteſt uniri alicui creato per modum formæ dantis eſſe, & per modum principii *quo* operandi; ergo &c. Major patet, quia ſicut intellectus per propriam, & nativam virtutem conſtituitur in eſſe naturali, & operativo in ordine naturali, ità per lumen gloriæ conſtituitur in eſſe ſupernaturali, & operativo in tali ordine. Minor verò probatur. Tùm quia eſſentia divina non poteſt eſſe forma dans eſſe in ordine naturali, & principium *quo* agendi in tali ordine: quare uniri non poteſt per modum animæ, & facere, quod facit anima, dando eſſe naturale, & per modum principii *quo* radicando operationes; ergo neque poterit id præſtare in ordine ſupernaturali; unde in Chriſti anima ponitur gratia habitualis creata, ut ſit illi principium *quo* operandi in ordine ſupernaturali. Tùm etiam, & à priori. Nam forma, quæ unitur per modum dantis eſſe, & operari, non poteſt uniri, niſi vel per identitatem, vel per informationem: unitur enim per modum conſtituentis unum principium *quod*. Inſuper principium *quo* agendi debet recipi in principio *quod*, eique ſubordinari, ut patet diſcurrenti per ſingula; ſed eſſentia divina non uniretur intellectui creato per identitatem, quia ſic ſoli intellectui divino uniri poteſt; ergo uniretur ei per informationem &c. Quæ omnia eſſentiæ divinæ completiſſimæ repugnant.

§. II.

Solutio Objectionum.

VII. OBjiciunt primò. Poſito intellectu creato, & adſiſtentiâ Dei cum eo concurrentis, habetur principium adæquatum viſionis: habetur enim principium vitale, nempe intellectus, & principium ſupernaturale, nempe Deus; ergo &c.

VIII. Confir. Licèt Deus ſe ſolo non poſſit producere viſionem, neque intellectus ſe ſolo, tamen conjunctum hoc ex Deo, & intellectu creato poteſt viſionem Dei producere; ergo &c. Antecedens probatur. Licèt ex duobus trahentibus navem quilibet ſeorſim ſumtus ſit impotens, conjunctum tamen ex utroque eſt potens trahere navem; ergo &c.

IX. Reſpondetur, diſt. antecedens, habetur conjunctum modo debito, & ſufficienti ad eliciendam viſionem, nego antecedens, modo indebito, & inſufficienti, concedo antecedens. Itaque, ſi ponatur conjunctum ex intellectu, & Deo ſolùm extrinſecè adjuvante, & adſiſtente, habebitur quidem principium ſupernaturale, & principium vitale remotum, & improportionatum, non autem ſufficiens ad viſionem, niſi ei addantur vires tales, quibus proximè viſionem elicere

re

Digitized by Google

re poſſit. Cùm enim intellectus creatus ſuâpte naturâ non habeat vires ſufficientes, neque partiales, ut dicemus, ad producendam viſionem (quia licèt ſit principium vitale, eſt tamen vitale vitalitate inferioris ordinis, nempe naturalis) niſi ad altiorem ordinem, & virtutem intrinſecè elevetur, non poterit actionem vitalem, ſupernaturali vitalitate, qualis eſt viſio Dei per eſſentiam, elicere. Et cùm ex alia parte adſiſtentia Dei, utpote extrinſeca, non det intellectui vires, quibus fiat potens videre Deum; ideò quamvis Deus illi adſiſtat, & coadiuvet, nunquam faciet, ut videat Deum. Sicut quia aqua ex natura ſua non habet vires ad calefaciendum, ſi illi non det calorem, quo fiat potens calefacere, quamvis illi extrinſece adſiſtat Deus, nunquam verificabitur, quòd aqua calefaciat, ſeu calorem producat, ſed potiùs Deus ad præſentiam aquæ. Ità in caſu.

X. Ad confirmat. nego pariter antecedens: ad cujus probat., conceſ. antecedenti, nego conſequentiam. Et diſparitas eſt. Primò, quia quilibet trahens navem, virtutem habet partialem ad tractionem navis, ideòque, ſi invicem conjungantur, trahent navem. At intellectus ex propriis nullam habet virtutem proximam ad Dei viſionem, & ideò quamvis illi conjungatur Deus, niſi ei det virtutem, ut poſſit illam producere, nunquam producet. Imò exemplum retorqueo pro me. Licèt enim ex duobus habentibus partialem virtutem ad trahendam navem, ſi uniantur, poſſit navis trahi: ſi tamen unus habens virtutem partialem trahendi, conjungatur cum altero nullam habente virtutem ad trahendam navem, navis nunquam trahetur; ſed intellectus, ut dicemus, nullam ex propriis virtutem habet proximam ad videndum Deum; ergo quamvis illi extrinſecè jungatur Deus, nunquam producet viſionem.

Addo aliam diſparitatem, quia tractio illa navis diviſibilis eſt, & ideò partìm uni, partìm alteri reſpondet: non enim verificatur de uno illorum, quòd trahit navem, ſed quòd ambo ſimul trahunt navem. At tota viſio correſpondet intellectui, non enim verificatur, quòd intellectus, & Deus vident, ſed quòd intellectus videt Deum: quomodo autem viſio poſſet abſolutè tribui intellectui, ſi non haberet vires ad videndum Deum?

XI. Et hìc placet tollere æquivocationem, quâ fortè laborat contraria ſententia. Putat enim, quòd intellectus, & lumen ſint duo concurrentes, ſicut duo trahentes navem; quod falſum eſt: non enim intellectus videt una cum lumine gloriæ, ſed mediante lumine gloriæ, & per lumen gloriæ; ſicut diaphanum non illuminat una cum luce, ſed mediante luce, & per lucem. Unde concurſus luminis, & intellectus ad viſionem non ſunt duo concurſus duarum cauſarum partialium, ſed unus, nempe intellectus videntis ut *quod*, & luminis tanquam *rationis videndi*; Principii autem *quo*, & *quod* unus eſt concurſus, ſicut unus eſt concurſus Solis, & lucis ad illuminandum, quia Sol illuminat per lucem. Et hoc eſt benè notandum.

XII. Objicies ſecundò. Deus poteſt ſe ſolo facere id, quod facit cum cauſa creata; ſed medio lumine creato poteſt producere viſionem; ergo ſe ſolo eam producere poteſt.

XIII. Reſpondeo, diſt. maj. cum cauſa creata efficiente, conc. maj. cum cauſa creata, quæ ſit cauſa formalis, nego maj. Deus certè poteſt ſe ſolo facere quidquid agit cauſa creata efficiendo, ſed non poteſt facere, ut effectus aliquis producatur ab aliqua cauſa, niſi habeat, vel det illi virtutem ad illum producendum: v. g. poteſt Deus producere lucem, & mundum illuminare ſine Sole, non tamen poteſt facere, ut Sol illuminet ſine luce, aut ſine virtute ad illuminandum. Sic dato, quòd Deus poſſet ſe ſolo viſionem producere, non tamen

poteſt facere, ut intellectus creatus viſionem producat, niſi habeat, vel illi det virtutem ad eam producendam.

XIV. Objicies tertiò. Poteſt divina eſſentia uniri intellectui beato per modum ſpeciei impreſſæ, ut diximus; ergo poterit etiam cum illo uniri per modum luminis, illum elevando, & confortando.

XV. Reſpondetur, negando conſequentiam. Et diſparitas eſt. Species enim intelligibilis non eſt virtus potentiæ, ſed eſt virtus objecti, nec eſt id, quo intellectus videt, ſed quo objectum conjungitur potentiæ, eamque ad ſui cognitionem fœcundat, quia ex objecto, & potentia paritur notitia; quapropter ex hoc, quòd eſſentia divina in ratione ſpeciei conjungatur cum intellectu creato, ſequitur, quòd conjungatur, tanquam conprincipium viſionis, non informans, nec dependens ab intellectu, ſed potiùs intellectum ſpecificans, & trahens ad eſſe intelligibile divinum. At ſi divina eſſentia eſſet id, quo intellectus videt, deberet neceſſariò ei conjungi, tanquam forma informans, & ei ſubordinari. Et ſicut propter hoc nequit Deus gerere munus animæ in homine, munus lucis in Sole, ità nec munus luminis in intellectu.

§. III.

Mens Divi Thomæ.

XVI. Non abs re mentem S. Thomæ ſtatuimus pro hac noſtra aſſertione declarare, quia non deſunt unus, vel alter ex ejus Diſcipulis, qui à cæterorum choro reſiliant dicentes, Angelicum Præceptorem ſolùm velle, quòd lumen gloriæ creatum requiratur in intellectu connaturaliter, non verò eſſentialiter, inter quos Sylvius in 1. *par. qu.* 12. *art.* 5., etſi videatur ſolum velle, non requiri eſſentialiter lumen habitualiter communicatum: quod & nos concedimus, dummodo omne intrinſecum, per modum etiam auxilii, & tranſeuntis, non excludatur.

XVII. Suam opinionem conatur probare Sylvius ex D. Thoma in 4. *diſt.* 49. *qu.* 2. *art.* 7. *ad* 4., ubi loquens S. Doctor de Moyſe, qui vidit ante mortem Deum per eſſentiam, ait, quòd *illa viſio non erat ex diſpoſitione in intellectu exiſtente, ſed ex ſola divina virtute*. Et in corpore ibi dixerat: *poteſt miraculosè fieri, quòd divinâ virtute aliquis intellectus creatus non habens niſi diſpoſitionem viæ, elevetur ad videndum Deum per eſſentiam*. Et qu. 10. de veritate art. 11. *Sicut autem* (inquit) *divinæ omnipotentiæ ſubjecta ſunt corpora, ità & mentes. Unde ſicut poteſt aliqua corpora perducere ad effectus, quorum diſpoſitio in prædictis corporibus non invenitur; ſicut Petrum fecit ſuper aquas ambulare ſine hoc, quòd ei dotem agilitatis tribuerit: ità poteſt mentem ad hoc perducere, ut divinæ eſſentiæ uniatur in ſtatu viæ modo illo, quo unitur ſibi in Patria ſine hoc, quòd à lumine gloriæ perfundatur.*

Et horum ratio eſſe poteſt, quia lumen gloriæ requiritur tanquam diſpoſitio ad unionem cum eſſentia divina; ſed diſpoſitio connaturaliter quidem requiritur, ut ſubjectum uniatur cum forma, non tamen eſſentialiter: unde poteſt Deus in ſubjecto indiſpoſito virtute ſuâ formam introducere; ergo &c.

Sic etiam actus Fidei, & Caritatis connaturaliter quidem petunt fieri per habitus, abſolutè tamen elici poſſunt à nondum habentibus tales habitus, ut patet in Cathecumenis, & pœnitentibus, nondum juſtificatis; ergo &c.

XVIII. Hæc tamen non obſunt. Nam quoad mentem S. Thomæ dubitandum non eſſe, colligo ex diſcurſu ejuſdem S. Doctoris 3. *contragentes cap.* 53., ubi ſic loquitur: *Nihil poteſt ad altiorem operationem elevari, niſi per hoc, quòd ejus virtus fortificetur. Contingit autem dupliciter alicujus virtutem fortificari. Uno modo per ſimplicem ejus virtutis intenſionem, ſicut virtus activa*

cali-

Digitized by Google

calidi augetur per intenſionem caloris, ut poſſit efficere vehementiorem actionem in eadem ſpecie. Alio modo per novæ formæ appoſitionem, ſicut diaphani virtus augetur ad hoc, ut poſſit illuminare, per hoc, quòd fit lucidum actu per formam lucis receptam in ipſo de novo: & hoc quidem virtutis augmentum requiritur ad alterius ſpeciei operationem conſequendam. Virtus autem intellectus creati naturalis non ſufficit ad divinam ſubſtantiam videndam. Ergo oportet, quòd augeatur ei virtus ad hoc, quòd ad talem viſionem perveniat. Non ſufficit autem augmentum per intenſionem naturalem virtutis, quia talis viſio non eſt ejuſdem rationis cum viſione naturali intellectus creati; quod ex diſtantia viſorum patet. Oportet igitur, quòd fiat augmentum virtutis intellectivæ per alicujus novæ diſpoſitionis adeptionem. Quibus verbis clariùs non poterat Sanctus Doctor noſtram ſententiam firmare, rationem pro ea tuenda, & pro Adverſariorum evertendis fundamentis exhibere.

XIX. Neque obſtant ea, quæ ex eodem S. Doctore in contrarium adducta ſunt. Quod enim in 4. *ſent.* de Moyſe, ait, *quod illa viſio non erat ex diſpoſitione in intellectu exiſtente, ſed ex virtute divinæ*, non excludit omne intrinſecum, etiam per modum tranſeuntis auxilii, Moyſi collatum; ſed ſolum diſpoſitionem permanentem, & extrahentem Moyſen à ſtatu viæ. Mens enim S. Doctoris erat, ibi oſtendere, quòd aliquis adhuc manens in ſtatu viæ poſſit tranſeunter videre Deum. Quod indicant, quæ ait ibi in corpore: *poteſt miraculosè fieri, quòd divinâ virtute aliquis intellectus creatus non habens niſi diſpoſitionem viæ elevetur &c.*

Idem ſentit S. Doctor in loco citato ex *qu. 10. de veritate*. Quod indicat exemplum D. Petri ambulantis ſuper aquas: quia ſicut Deus fecit illum ambulare ſuper aquas abſque eo, quòd illi conferret dotem agilitatis, quæ eſt dos permanens corporis glorioſi; ità poteſt aliquem in ſtatu viæ, & dote luminis gloriæ (ut habet Beatus) per modum habitus nondum donatum elevare ad actum viſionis ſui, non excludens tamen quodcumque donum etiam tranſeunter, & per modum auxilii ad actum viſionis eliciendum illi collatum.

XX. Porrò quòd hæc ſit genuina S. Thomæ mens, ipſe teſtatur: tùm 2. 2. *qu.* 175. *art.* 3. *ad* 2., cujus verba ſupra retulimus *qu.* 2. *dub.* 1. §. 3.: tùm ex 2. *ad Corinth. cap.* 12. *lect.* 1., ubi hæc habet: *Sciendum eſt autem, quòd viſio Dei per eſſentiam fit per lumen aliquod, ſcilicet per lumen gloriæ, de quo dicitur in Pſalm.* In lumine tuo videbimus lumen. *Sed aliquod lumen communicatur alicui per modum paſſionis, alicui verò per modum formæ inhærentis, ſicut lumen Solis invenitur in carbunculo, & in ſtellis, ut forma inhærens, ideſt connaturalis effectus; ſed in aere invenitur, ut forma tranſiens, & non permanens, quia tranſit, abeunte Sole. Similiter & lumen gloriæ dupliciter menti infunditur. Uno modo per modum formæ connaturalis factæ, & permanentis: & ſic facit mentem ſimpliciter beatam; & hoc modo infunditur Beatis in Patria, & ideò dicuntur Comprehenſores, &, ut ità dicam, Viſores. Alio modo contingit lumen gloriæ mentem humanam, ſicut quædam paſſio tranſiens, & ſic mens Pauli fuit in raptu lumine gloriæ illuſtrata; unde etiam ipſum nomen* raptus *oſtendit, tranſeundo hoc eſſe factum; & ideò non fuit ſimpliciter glorificatus, nec habuit dotem gloriæ, cùm illa claritas non fuerit effecta propriètas &c.* Quibus mens Sancti Doctoris adeò apparet, ut nullus de ea ſcrupulus ſupereſſe poſſit.

XXI. Ad id, quod additur, lumen gloriæ eſſe diſpoſitionem, & ideò ſolùm connaturaliter requiri; ſciendum, quòd diſpoſitio eſt duplicis generis. Alia eſt, quæ datur ſolùm ad tollendas qualitates contrarias impedientes receptionem formæ, quæ aliàs non excedit proportionem ſubjecti, ſicut frigidum, & humidum impediunt, ne li-

lignum ſtatim ſuſcipiat formam ignis. Et iſta ſolùm connaturaliter requiritur: poteſt enim Deus miraculosè illas diſpoſitiones contrarias efficienter tollere, & reddere ſubjectum, ablato obice, immediatè capax formæ. At alia eſt diſpoſitio, quæ ſe habet tanquam medium neceſſariò prærequiſitum, ut ſubjectum fiat proximè capax formæ, ad quam utpote excedentem ſuam naturam eget proportionari. Cujus generis in ſententia S. Thomæ eſt forma ſubſtantialis, quæ requiritur, ut medium ad hoc, quòd materia fiat immediatè capax exiſtentiæ: & generaliter actus primus in quacumque potentia ſive activa, ſive paſſiva, ad actum ſecundum illi correſpondentem. Et hujuſmodi diſpoſitio eſſentialiter requiritur, nec ſuppleri poteſt, quia eſſentialiter repugnat in ſubjecto improportionato, dùm manet tale, formam recipi. Talis autem generis eſt lumen gloriæ: Cùm enim intellectus creatus ſecundùm ſua naturalia ſit impotens ad viſionem, niſi tollatur hæc impotentia (quæ, ut probatum eſt, non poteſt tolli, niſi per lumen, ſive per modum permanentis, ſive tranſeuntis communicatum) nunquam ad viſionem Dei eliciendam perveniet.

Eodem modo reſpondeo ad id, quod dicitur de actibus Spei, & Caritatis, niſi enim Voluntas à Spiritu Sancto movente cor per intrinſecum auxilium roboretur, nunquam præfatos actus, ut oportet, eliciet, aut elicere poterit; & hoc Cathecumenis, vel peccatoribus adeſſe ſuſtinemus, dùm per hos actus ad juſtificationem diſponuntur. Quæ eſt doctrina Tridentini *ſeſſ. 6. cap. 5. & 6.*

DUBIUM III.

An intellectus creatus propriâ, & nativâ virtute ſaltem partialiter proximè influat in Viſionem Dei; an verò tota virtus proxima habeatur à Lumine Gloriæ.

§. I.

Quibuſdam prænotatis referuntur ſententiæ.

I. NOn dubitamus hìc, an intellectus ſit, qui videt Deum, & qui influit in viſionem: hoc enim ſupponimus. Sed cùm in intellectu creato vidente Deum ſit ejus virtus naturalis, & ingenita, & ſit etiam lumen gloriæ, quo elevatur ad viſionem eliciendam; quærimus, an quando intellectus elicit viſionem, operetur aliquid erga illam immediatè propriâ virtute, an verò unica virtus, quâ in viſionem proximè agit, & unica ratio totalis proxima videndi Deum, ſit lumen gloriæ.

II. Suppono etiam, intellectum creatum, ſaltem mediatè, & remotè ſecundùm ſua naturalia concurrere ad viſionem: eſt enim ſuâptè naturâ elevabilis ad videndum Deum, tanquam quid contentum intra ſphæram eſſentialem ſui objecti; unde difficultas reducitur ad indagandum, an etiam ſuâ nativâ virtute influat proximè, & immediatè, taliter, ut intellectus ſuâ virtute, & lumen gloriæ, ſint veluti duæ cauſæ immediatè partialiter concurrentes ad viſionem.

III. Scotus cum exteris affirmat, volens, Intellectum creatum concurrere ad viſionem Dei ſaltem partialiter, & conſequenter lumen gloriæ non eſſe totam, ſed partialem virtutem videndi Deum. Pro quo notat, dupliciter aliquas cauſas dici poſſe partiales. Uno modo partialitate cauſæ, & etiam partialitate effectus, ità, ut pars effectus

cor-

Digitized by Google

correſpondeat uni, & pars alteri, ſicut duo portantes lapidem, quorum neuter ſe ſolo ſufficiat portare totum pondus, ſunt cauſæ partiales, partialitate tùm cauſæ, tùm effectus, quia unuſquiſque portat tantum de pondere, quantum poteſt, & non ampliùs. Alio modo partialitate cauſæ, non verò partialitate effectus, quià totus quidem effectus ab utraque eſt, attamen una influit in illum ſub una ratione, & altera ſub alia. Ità dicunt, intellectum creatum, & lumen gloriæ eſſe cauſas partiales: quia licèt tota viſio correſpondeat immediatè intellectui, & tota lumini; Intellectus tamen concurrit ad illam ſub ratione vitalis, & lumen ſub ratione ſupernaturalis. Ex quo inferunt, lumen gloriæ addere intellectui virtutem ſolùm partialem, ut ſcilicet cum illo intellectus influat in viſionem, ut ſupernaturalem.

Thomiſtæ autem uno ore dicunt, in intellectu, ſecluſo lumine gloriæ, nullam eſſe vim ad viſionem Dei, niſi tantùm radicalem, & remotam, & totam vim proximam accipere à lumine gloriæ. Cum his ergo.

§. II.

Statuitur aſſertio.

IV. Dico. Eſto Intellectus ſit, qui proximè, & immediatè videt Deum, tota tamen ratio, & virtus proxima videndi eſt lumen gloriæ: ità, ut intellectus propriâ, & nativâ virtute proximè non concurat, adhuc partialiter.

Probatur primò ſic. Intellectus creatus propriâ virtute nequit immediatè concurrere ad viſionem, quatenus ſupernaturalis eſt, ut ajunt Scotiſtæ; ergo neque poteſt propriâ virtute concurrere ad illam, quatenus actio vitalis eſt. Conſequentia probatur. Vitalitas, quæ eſt in viſione, ſupernaturalis eſt; ergo ſi &c. Antecedens probatur. Quotieſcumque conceptus ſpecificus alicujus rei eſt ſupernaturalis, gradus genericus, & alii in eo incluſi, ſupernaturales ſunt, ſeu in ordine ſupernaturali collocantur: ſicut quotieſcumque conceptus ſpecificus alicujus rei ſpiritualis eſt, omnes gradus in illo incluſi ſpirituales ſunt: & ità virtus, quæ non poteſt producere effectum, quatenus ſpiritualis eſt, neque poteſt producere illum, quatenus intellectivus, ſeu quatenus ſubſtantia eſt; ſed gradus ſpecificus viſionis Dei eſt ſupernaturalis; ergo & ſupernaturalis erit vitalitas; ergo qui non poteſt concurrere ad viſionem, ut ſupernaturalis eſt, nec poterit ad illam concurrere, ut vitalis eſt.

V. His prævenitur evaſio Scotiſtarum dicentium, viſionem totam eſſe ab intellectu, totam à lumine: ſed dici vitalem præciſè, quia eſt à principio vitali, quod eſt intellectus, & dici ſupernaturalem, quia eſt à principio ſupernaturali, quod eſt lumen. Nam contra eſt. Vel enim viſio dicitur vitalis, quia procedit ab intellectu, agente ſecundùm nativam virtutem, vel quia procedit ab intellectu, agente ſecundùm virtutem acceptam à lumine, ſeu ut elevato per lumen. Si dicatur primum; redit argumentum factum, quia, cùm vitalitas viſionis ſit ſupernaturalis, nequit, etiam ut vitalis, reſolvi in principium naturale, agens virtute naturali. Si vero dicatur ſecundum; ergo viſio ut vitalis non reſolvetur immediatè in virtutem nativam intellectus, ſed mediante lumine ipſum elevante; & ſic tota ratio proxima, quare intellectus influat in viſionem, etiam ut vitalem, erit intellectus ratione luminis.

VI. Probatur ſecundò, excludendo concurſus partiales. In tantum tractio navis partialiter eſt à duobus trahentibus, quia tractio non tota uni correſpondet, ſed partialiter uni, & partialiter alteri; ſed viſio tota correſpondet intellectui lumine perfuſo: intellectus enim lumine perfuſus eſt, qui videt Deum, non autem intellectus, & lumen, ſeu cum lumine, vident Deum; ergo

Digitized by Google

ergo ex intellectu, & lumine unicus indiviſibilis concurſus fit, ſicut ex principio *quod*, & principio *quo:* & tota viſio erit ab intellectu, ut principio *quod*, & tota à lumine, ut principio *quo:* ſicut tota illuminatio eſt à Sole, ut ab eo, quod illuminat, & tota à luce, ut ab eo, quo Sol illuminat.

VII. Confirmatur. Ex cauſis partialibus una non perficit aliam, nec una accipit virtutem ab alia, ſed ambæ ſuas virtutes jungendo ex æquo ad eundem effectum concurrunt, ut patet in duobus portantibus partialiter pondus; ſed intellectus non concurrit ex æquo cum lumine ad viſionem, ſed perficitur, & accipit virtutem à lumine; ergo intellectus, & lumen non ſunt duæ cauſæ partiales, ſed potiùs dicendæ eſſent duæ cauſæ ſubordinatæ, quarum una completur, nempe intellectus, & accipit virtutem à lumine, & non è converſo.

VIII. Quamobrem D. Thomas *opuſc.* 1. *cap.* 23., ubi quærit, an, & quomodo creatura cooperetur Creatori, an eo modo, *quo dicitur de duobus portantibus aliquod pondus, vel de pluribus trahentibus navem?* Reſpondet, quòd hoc modo *creatura Creatori non cooperatur*. Et hàc 1. *p. qu.* 23. *art.* 5. non approbat opinionem illorum, qui *videntur diſtinxiſſe inter id, quod eſt ex gratia, & id, quod eſt ex libero arbitrio*, aſſerens, *non eſt autem diſtinctum, quod eſt ex libero arbitrio, & prædeſtinatione;* atqui ſententia oppoſita diſtinguit in viſione beata intèr id, quod eſt ex libero arbitrio, nempe vitalitatem, & id, quod eſt ex gratia, & prædeſtinatione, nempe ſupernaturalitatem; ergo hanc opinionem D. Thomas non probat.

Nec eam probat S. Auguſtinus, tùm ſuper illa verba Pſalmi 32. *Verbo Domini Cœli firmati ſunt* (Cœlorum nomine intelligens Apoſtolos) *& ſpiritu oris ejus omnis virtus eorum:* ubi ait: *Non habuerunt aliquid ex ſe, & tanquam ſupplementum à Domino perceperunt*. Spiritu *enim* oris ejus, *non pars*, ſed omnis virtus eorum. Tùm *tract.* 81. *in Joan.* ad illa verba *ſine me nihil poteſtis facere. Ne quiſquam* (inquit) *putaret ſaltem parvum aliquem fructum poſſe à ſe ipſo palmitem ferre, cùm dixiſſet:* hic fert fructum multum: *non ait, quia ſine me parvum poteſtis facere: ſed* nihil poteſtis facere. Et *enarrat.* 2. in Pſalm. 30. *Sine me, inquit, nihil poteſtis facere. Domine, ſi ſine te nihil, totum in te. Etenim quidquid ille operatur per nos, nos videmur operari. Poteſt ille multum, & totum ſine nobis: nos nihil ſine ipſo*. In qua doctrina perpetuus eſt S. Doctor *lib. de Prædeſt. Sanctor.*, & *de dono Perſever.*, aliiſque ſuis contra Pelagianos, & Semipelagianos ſcriptis.

IX. Accedunt Chryſoſtomus *homil.* 6. *in cap.* 3. 2. *ad Corinth.*, qui ad illa verba: *Non quòd idonei ſimus à nobis ipſis quidquam cogitare, quaſi ex nobis ipſis:* dicit in perſona Pauli: *hoc eſt, non ità dicebam, fiduciam habemus, ut id partìm ſit noſtrum, partìm ſit Dei, ſed totum illi attribuo, acceptumque fero*. Et S. Bernardus, qui *Tract. de gratia & liber. arbitr.* c. 14. *Non partìm* (inquit) *gratia, partìm liberum arbitrium, ſed totum ſingula opere individuo peragunt. Totum quidem hoc, & totum illa; ſed ut totum in illo, ſic totum ex illa*. Hoc volui, ut ſcires, quò inferres, quàm immeritò contrariæ ſententiæ Propugnatores conentur ſpargere, nos adverſari Scripturæ, & Patribus. At audiamus, quid opponunt.

§. III.

Adverſariorum rationes.

X. Opponunt primò illud Apoſtoli 1. *Corinth.* 15. *v.* 10. dicentis, *abundantiùs illis omnibus laboravi; non ego autem, ſed gratia Dei mecum;* ergo liberum arbitrium, & gratia ſunt duæ cauſæ ſimul partialiter concurrentes ad laborem.

XI. Reſpondeo, explicando D. Paulum,

lum, ſed gratia Dei mecum operante viribus gratiæ, concedo, operante viribus propriis, nego, quòd hæc ſit mens D. Pauli. Solùm ergo vult Divus Paulus, gratiam Dei cooperari noſtro libero arbitrio, agenti per vires ipſius gratiæ, non verò per vires naturæ. Unde benè ait *non ego*, quaſi diceret, non meis viribus. Pro quo noto, duplicem eſſe gratiam: aliam prævenientem, erga quam nec agit, nec cooperatur liberum arbitrium: aliam, quæ cum libero arbitrio jam per gratiam prævenientem moto, & per eam agente, cooperatur ad effectum. De priore locutus fuerat paulò ante, dùm dixerat v. 10. *Gratiâ Dei ſum id, quod ſum*. Dùm verò ſubdit, *Gratia ejus in me vacua non fuit, ſed abundantiùs &c., non ego, ſed gratia Dei mecum:* indicat, ſe, viribus acceptis à gratia præveniente, libero arbitrio cum gratia cooperante laboraſſe. Ut enim ait S. Auguſtinus lib. de gratia, & libero arbitrio cap. 17. *Ut velimus, ſine nobis operatur; cùm autem volumus, & ſic volumus, ut faciamus, nobiſcum cooperatur: tamen ſine illo, vel operante, ut velimus, vel cooperante, cùm volumus, ad bona pietatis opera nihil valemus*. Et *lib. 1. oper. imperfecti* contra Julian cap. 95. *Si non prævenit* (inquit) *ut operetur eam, ſed priùs exiſtenti voluntati gratia cooperatur: quomodo verum eſt: Deus in nobis operatur & velle? Quomodo præparatur voluntas à Domino? Quomodo caritas ex Deo eſt, qua ſola vult beatificum bonum?* & ut deſtruat concurſum partialem liberi arbitrii cum gratia *lib. de dono Perſever.* cap. 6. *Tutiores* (inquit) *vivimus, ſi totum Deo damus, non autem nos illi ex parte, & nobis ex parte committimus*. Videatur etiam D. Bernardus *de gratia, & libero arbitrio cap.* 13., explicans eodem modo præfatum D. Pauli textum.

XII. Hinc diſſipatæ manent inſtantiæ, ſeu veriùs calumniæ, quibus aliqui nos obruere tentant, falsò exiſtimantes, nos ponere, intellectum nihil agere in viſionem, ſed merè paſſivè ſe habere: & rurſùs liberum arbitrium à Deo motum nihil cooperari Deo excitanti, ſed veluti inanime quoddam nihil agere, merèque paſſivè ſe habere; quod in Luthero damnavit Tridentinum *ſeſſ. 6. Can.* 4.

Fatemur enim & nos, non minùs ac adverſarii, intellectum agere in viſionem, & liberum arbitrium agere cooperando Deo vocanti. Sed in hoc diſcriminamur ab adverſariis, quòd illi volunt, intellectum partialiter viribus propriis agere in viſionem, nos verò virtute luminis ipſum elevantis, & cum eo ſic elevato concurrentis ad viſionem. Ipſi volunt, liberum arbitrium viribus propriis cooperari gratiæ, nos viribus gratiæ, quibus præparatur. Laborabat Paulus abundantiùs omnibus, gratiam Dei vacuam non reddebat: ſed quibus viribus laborabat, cooperabatur? fortè propriis, & naturalibus? nequaquam. Viribus gratiæ. *Certum eſt, nos velle, cùm volumus; ſed ille facit, ut velimus bonum, de quo dictum eſt:* Præparatur Voluntas *à* Domino... *Certum eſt, nos facere, cùm facimus; ſed ille facit, ut faciamus, præbendo vires efficaciſſimas Voluntati, qui dixit*, faciam, ut in juſtificationibus meis ambuletis. Ità Sanctus Auguſtinus *lib. de gratia & lib. arbitr. cap.* 16.

XIII. Neque intellectus lumine gloriæ perfuſus, ſi nihil influat propriâ virtute ad viſionem, ſe habebit, ut purum ſubjectum, quod denominatur videns, eo modo, quo aer illuminatus nihil agit ad illuminationem, ſed eſt purum ſubjectum lucis, quod denominatur illuminans.

XIV. Non inquam: eſt enim latiſſimum diſcrimen inter aerem ad illuminationem, & intellectum creatum ad viſionem. Nam aer ſuâptè naturâ nec radicaliter, nec proximè eſt illuminativus, unde illuminatio eſt prorsùs extra ſphæram eſſentialem aeris, omniumque potentiarum aeris, qui eſt quidem capax ſuſcipiendi lucem, non

verò producendi illuminationem. At intellectus creatus, eſto careat ex ſe virtute proximâ videndi Deum, habet tamen virtutem radicalem, cùm ex ſua natura ſit cognoſcitivus, & Deus ut viſibilis contineatur intra ſphæram eſſentialem illius objecti ſpecificativi: ideòque, cùm non egeat niſi virtute elevante ad viſionem, ſi hæc accedat per lumen, ſtatim ſit potens viſionem per illud, & cum illo producere. Quare intellectus (& idem dico de voluntate) dupliciter comparatur ad habitum eum elevantem. Primò quatenus illum recipit, ut à Deo infuſum: & hoc modo certum eſt, quòd non agit, ſed agitur, ſeu ſe habet per modum receptivi, ſicut aer ſe habet ad lucem. Secundò quatenus per habitum elevatus jam reſpicit viſionem: & tunc etiam ipſe intellectus agit cum lumine in Viſionem, non ratione ſui, ſed ratione habitus ſupernaturalis, ſecundùm dictum Sancti Bernardi ſupra laudatum: *Totum quidem hoc, & totum illa, ſed ut totum in illo, & totum ex illa.*

XV. Opponunt ſecundò. Cauſæ, quarum una cooperatur alteri, & quarum unâ deficiente, non ſubſiſtit effectus, ſunt cauſæ partiales; ſed intellectus cooperatur lumini, & lumen intellectui, & deficiente alterutro, non ſubſiſtit viſio Dei; ergo ſunt &c.

XVI. Reſpondeo, diſt. maj., ſi ſupponat in alia virtutem ſaltem partialem ad agendum, conc. maj., ſi non ſupponat virtutem partialem proximam, ſed ſolum remotam, & elevabilem per ipſam, nego maj. Lumen ergo gloriæ coadjuvat intellectum ad videndum, non tanquam ſupponens in eo compartialem virtutem ad agendum, ſicut unus coadjuvat alterum ad portandum pondus: ſed ipſum totaliter elevans, eique totam virtutem communicans. Inſuper deficiente intellectu deficeret viſio, non ex defectu virtutis partialis requiſitæ ad viſionem, ſed ex defectu potentiæ elevabilis per lumen: & ideò lumen non eſt cauſa partialis, ſed totalis ad viſionem, & eo deficiente, deficeret viſio, quia deficeret tota virtus ad eam eliciendam. Hoc urgeo eodem exemplo. Si enim duo conjungerentur ad portandum pondus, quorum unum totam virtutem ad portandum ab alio acciperet, non eſſent cauſæ partiales illius portationis, quia cauſæ partiales debent habere ſingulæ ſuam partialem virtutem diſtinctam.

XVII. Opponunt tertiò. Vitalitas viſionis Dei non poteſt procedere à lumine gloriæ; ergo debet eſſe à virtute naturali intellectus. Ant. probatur. Vitalitas actus debet eſſe à principio intrinſecè vitali; ſed lumen gloriæ non eſt principium intrinſecè vitale, cùm ab extrinſeco ſit; ergo &c.

XVIII. Reſpondetur, diſt. ant., à lumine gloriæ tanquam à principio *quod*, & vivente per illam, conc. ant., tanquam à principio *quo*, & dante vitam, nego ant. Ad probat. ant. diſtinguo maj., à principio, quod ſit intrinſecum, vel egreſſivè, & originativè, vel affectivè, & inhæſivè, conc. maj., ſemper originativè, nego maj. Actio ergo vitalis procedit, & à principio vitali *quod* ſe movente, & vivente per illam, & hoc eſt potentia, & procedit à principio *quo*, & hoc eſt virtus, quâ potentia agit. Sicut viſio ocularis, & procedit à potentia viſiva, quæ videt, & vivit per illam; & quia potentia viſiva non videt, niſi mediâ virtute reſidente in oculo ad videndum, ideò viſio ocularis procedit à potentia viſiva, mediâ virtute viſivâ, quæ eſt in oculo. Sic viſio Dei & procedit ab intellectu, ut principio, quod videt, & vivit per illam; quia verò intellectus non videt Deum, niſi medio lumine gloriæ, ideò viſio Dei debet procedere etiam à lumine, ſed ut à principio *quo* videndi. Eſto autem principium vitale *quod* debeat eſſe vitale originativè, & oriri ab intrinſecis ipſius viventis, & etiam principium vitale *quo* ad connaturalem actionem; principium tamen vitale *quo* eliciendi

actio-

Digitized by Google

actionem vitalem ſuperioris ordinis, & excedentis vires nativas, non poteſt oriri à principiis intrinſecis, ſed ſat eſt, ut ſit intrinſecum affectivè, & inhæſivè, ideſt, quòd licèt ab extrinſeco adveniat ſubjecto, in eo tamen intrinſecè recipiatur, illudque reddat intrinſecè potens elicere actionem vitalem. Sic anima rationalis ab extrinſeco venit per infuſionem, & tamen eſt principium radicale *quo* omnium actionum vitalium, quæ ſunt in homine. Sic gratia eſt radix operationum ſupernaturalium, & habitus ſupernaturales ſunt earundem principia proxima, & tamen hæc omnia ab extrinſeco veniunt, nempe à Deo.

Quod dixi de vitalitate, dico etiam de libertate. Nam voluntas creata verè influit in actus vitales liberos ſupernaturales, tanquam principium *quod* liberum. Sed principium, *quo* conſtituitur potens liberè, puta amare Deum, radicaliter eſt gratia habitualis, proximè habitus caritatis. Quapropter aliud eſt, quòd voluntas liberè velit, & influat in libertatem, & vitalitatem amoris Dei, ſicut & intellectus in vitalitatem viſionis: aliud, quòd propriâ virtute influant. Primum concedo: ſed quâ virtute? propria? non: ſed habitus caritatis, & luminis gloriæ. Quæ in hac materia notanda ſunt.

XIX. Opponunt quartò. Si intellectus creatus propriâ virtute nihil ageret in viſionem, ſed totaliter virtute luminis, jam non eſſet cauſa principalis viſionis, ſed purum inſtrumentum luminis, quod ſolùm eſſet cauſa principalis; ſed hoc eſt abſurdum dicere; ergo &c.

XX. Reſpondeo, neg. maj. intellectam de inſtrumento propriè tali. Hoc enim propriè dicitur illud, quod inſervit cauſæ principali ad effectum ſuum, nec ſibi, ſed illi aſſimilat effectum, utpote excedentem eſſentialem ſphæram ejus capacitatis. Intellectus autem creatus, videndo Deum, non inſervit lumini, ſed potiùs lumen inſervit ipſi: non enim intellectus datur, ut lumen videat, ſed potius datur lumen, ut intellectus videat. Rurſùs viſio non aſſimilatur lumini, ſed intellectui perſuſo lumine: viſio enim facit intellectum videntem, & cùm ſit vitalis, evadit ſimilis agenti ſe moventi vitaliter, non principio ab extrinſeco moventi ad actum vitalem. Viſio etiam Dei, cùm ſit perceptio objecti contenti intra ſphæram eſſentialem intellectus creati, non excedit eſſentialiter, ſed ſolùm accidentaliter, ejus capacitatem.

XXI. Nec requiritur ad rationem cauſæ principalis (ut aliqui autumant) quòd taliter operetur per virtutem ſibi propriam, ut hæc virtus oriatur ex principiis ejus, & ex intrinſecis ſuæ naturæ; ſed ſufficit, ut, etiamſi ab extrinſeco proveniat, illi tamen fiat intrinſeca inhæſivè, eamque intrinſecè compleat, ac potentem reddat ad operationem. Taliter autem ex dictis ſe habet lumen gloriæ.

XXII. Dixi, intellectum lumine gloriæ elevatum non eſſe cauſam inſtrumentalem ſtrictè talem. Cæterùm ſi ſumatur inſtrumentum latè pro omni cauſa, quæ agit, ut ab alio mota, ſic non negarim, intellectum dici poſſe impropriè cauſam inſtrumentalem. Ut enim docet D. Thom. qu. 24. de verit. art. 1. ad 5. *Inſtrumentum dupliciter dicitur. Uno modo propriè, quando ſcilicet aliquid ità ab altero movetur, quòd non confertur ei à movente aliquod principium talis motus, ſicut ſerra movetur à carpentario, & tale inſtrumentum eſt expers libertatis. Alio modo dicitur inſtrumentum magis communiter quidquid eſt movens ab alio motum, ſive ſit in ipſo principium ſui motus, ſive non. Et ſic ab inſtrumento non oportet, quòd omnino excludatur ratio libertatis, quia aliquid poteſt eſſe ab alio motum, quod tamen ſeipſum movet: & ità eſt de mente humana.* Igitur intellectus dici poteſt inſtrumentum latè reſpectu Viſionis Dei, & ſimul cauſa principalis, eo modo, quo,

ex eodem S. Doctore 3. Contragentes cap. 100., *cùm Deus ſit primum agens , omnia , quæ ſunt poſt ipſum , ſunt quaſi quædam inſtrumenta ipſius .*

DUBIUM IV.

An videntium Divinam Eſſentiam unus alio perfectiùs videat.

§. I.

Refertur error.

I. JOvinianus ſeculi quarti Hæreticus , inter alios errores , quos duobus libris contra ipſum conſcriptis refellit S. Hieronymus , (quorum palmaris erat : *Virginitatem non eſſe Matrimonio præferendam*) hunc etiam ſpargebat : *omnes homines æqualiter fore beatos , ſeu æquali viſione Dei fruituros* . Hunc errorem Lutherus , aliique hujus temporis hæretici adoptarunt : diverſo tamen fundamento nixi . Nam Jovinianus in eum abiit errorem , quòd Stoicorum more conſeret , æqualia eſſe peccata , æquales virtutes , æqualia merita , & demerita ; ex quo inferebat , præmium quoque , nempe viſionem beatam fore æqualem . Hæretici vero moderni hoc idem aſſerunt : quia imaginantur , nos non aliunde eſſe juſtos , niſi ex ſola imputatione juſtitiæ Chriſti , cujus intuitu , nullo noſtro merito , danda nobis ſit gloria ; & cùm Chriſti Juſtitia omnibus æqualiter imputetur , æqualis proinde gloria omnibus dabitur . Contra hos igitur .

§. II.

Catholica veritas.

II. DIco . Videntium Divinam Eſſentiam unus videt perfectiùs alio , neque omnes eam vident æqualiter . Probatur primò duobus Scripturæ textibus , quos S. Hieronymus *lib.* 2. urget contra Jovinianum . Primus eſt illud Joannis 14. v. 2. *In domo Patris mei manſiones multæ ſunt* . Verùm cùm Jovinianus hæc verba non de Regno Cœlorum , ſed de præſenti Eccleſia , in qua multi gradus ſunt , diceret , eſſe intelligenda , sic eum S. Hieronymus arguit . *Quis autem riſum tenere queat in eo , quòd multas manſiones apud Patrem , Eccleſias arbitretur in toto orbe diffuſas , quùm maniſeſtiſſimè Scriptura doceat , ſecundùm Evangelium Joannis , non de Eccleſiarum numero , ſed de Cœlorum manſionibus , & æternis tabernaculis , quæ Propheta deſiderat , Domino fuiſſe ſermonem ?* In Domo , *inquit* , Patris mei manſiones multæ ſunt . Si quominùs dixiſſem vobis , quia vado parare vobis locum ..... *Locus , & manſiones , quas præparare ſe dicit Chriſtus Apoſtolis , in domo utique ſunt Patris , ideſt in Regno Cœlorum , non in terra , in qua ad præſens Apoſtolos relinquebat* . Deinde obſervat , manſiones parari nobis à Deo , diverſitatem verò manſionum parari ſecundum diverſitatem operum , ideòque filios Zebedæi petentes dexteram , & ſiniſtram in Regno ſuo rejecit , quia *parata* (inquit) *ſunt in Cœlo diverſa , & plurimæ manſiones , plurimis , diverſiſque virtutibus , quas non perſona accipiunt , ſed opera* . Præterea ad hominem ſic redarguit Jovinianum . Si in præſenti Eccleſia , quæ futuræ figura eſt , manſiones multæ ſunt , gradus multi inferiores , ac ſuperiores : cur non erunt in futura ? cur in Cœlo diverſitas nominum Angelorum , ſi non eſt diverſitas ordinum ? *Sine cauſa diverſitas nominum eſt , ubi non eſt diverſitas meritorum* .

III. Secundus textus , quem S. Hieronymus urget , eſt Pauli dictum 1. Cor 15. v. 41. *Alia claritas Solis , alia claritas Lunæ , & alia claritas ſtellarum . Stella enim à ſtella differt in claritate : Sic & reſurrectio mortuorum* . Quia verò Jovinianus aſſerebat , hic aſſignari differentiam , non inter Beatos , qui ſunt in Cœlo , ſed inter homines ſpirituales , & carnales . Ergo

(ur-

Digitized by Google

(urget S. Hieronymus) *ſpirituales , & carnales in Cæleſtibus erunt : & jam non ſolùm oves ; ſed etiam hirci tui conſcendent Regna Cælorum . Stella , inquit , à ſtella differt in claritate , non oves , & hirci ; ſed oves , & oves , ideſt , ſtella , & ſtella* . Et concludit . Sic, *inquit*, erit & reſurrectio mortuorum , *ut Juſti in claritate Solis luceant , & qui in ſequenti gradu ſunt , Luna ſplendore rutilent ; ut alius Lucifer ſit , alius Arcturus , alius Orion &c.* Quæ Pauli verba exponens etiam S. Chryſoſtomus homil. 41. *Alia , inquit , Solis eſt , alia Luna gloria . Ut in terreſtribus enim , ſic in Cæleſtibus quoque diverſitas quadam eſt non parva , prorſùs ad extrema uſque pervadens . Non enim Soli Luna , aut Luna ſtellis differt modò , ſed ſtella ſtellis , omnia ſint in Cælo licèt , tamen gloriâ viſuntur altâ aliis majore . Quid igitur hinc proficiemus ? Quòd in Regno qui ſint omnes , non eâdem omnes regni gloriâ fruuntur : in igne qui ſunt omnes , non eâdem omnes ſupplicii crudelitate torquentur* . Hæc Chryſoſtomus. Ex quibus ſic arguitur . Viſio beatifica idem eſt ac manſio , idem eſt cum ſtellarum claritate ; atqui ex prædictis Patribus æqualis non eſt Beatorum manſio , aut claritas ; ergo non eſt æqualis eorum viſio .

IV. Urget inſuper Jovinianum Hieronymus ex illo 2. Corinth. 5. v. 10. *Omnes enim nos manifeſtari oportet ante tribunal Chriſti , ut referat unuſquiſque propria corporis , pro ut geſſit , ſive bonum , ſive malum* . Ne autem dicatur , nos manifeſtari tantùm , ut boni bona , mali autem recipiant mala , in eadem *Epiſt. cap. 9. v. 6.* adjicit . *Qui parcè ſeminat , parcè & metet , & qui ſeminat in benedictionibus , de benedictionibus & metet* . Super quæ D. Hieronymus : *Certè & qui plùs , & qui minùs ſeminat , de parte ſunt dextera . Et quùm unum ſeminis genus ſit , tamen menſurâ , & numero differunt* . Et infra . *Non quòd menſura Chriſti diverſa ſit : ſed tantum gratia ejus infunditur , quantum valemus haurire* . Unuſquiſque autem propriam mercedem accipiet , ſecundùm ſuum laborem 1. *Cor.* 3. *v.* 8.

V. Meritò igitur Joviniani , & ſequacium error primò expreſsè proſcriptus fuit cum cæteris in Concilio Romano ſub Siricio Papa . Deinde in Florentino *Decreto unionis* : ubi ſtatuitur , Beatos intueri Deum trinum , & unum , ſicuti eſt , *pro meritorum tamen diverſitate alium alio perfectiùs* . Et poſtremò Tridentinum *ſeſs. 6. Can.* 32. ſtatuit contra Lutherum , & alios , Juſtos mereri vitæ æternæ conſecutionem , *atque etiam gloriæ augmentum* .

VI. Ratio etiam hoc evincit . Tum quia vita æterna , & viſio beans conceditur adultis , ut corona , & præmium , juxta illud Pauli 2. ad Timoth. 4. v. 8. *in reliquo repoſita eſt mihi corona juſtitiæ , quam reddet mihi dominus in illa die juſtus Judex ;* & conſequenter debet eſſe tanta gloria , quanta fuerunt merita ſecundùm proportionem Juſtitiæ ; ſed merita hujus vitæ inæqualia ſunt , ut clarè indicat parabola Chriſti *Matth.* 13. de tritico præbente , alio fructum centeſimum , alio ſexageſimum , alio trigeſimum ; ergo &c. Sed hoc argumentum fuſiùs tractabitur de *Juſtificatione , & merito* , ubi contra Jovinianum oſtendetur , merita eſſe inæqualia , & contra Lutherum , ineſſe nobis gratiam juſtificantem , quâ verè poſſumus mereri .

§. III.

Joviniani fundamenta .

VII. PRæcipuum Joviniani fundamentum erat Parabola Chriſti *Matth.* 20. de Operariis , qui vocati diverſis horis , laboraverunt alii plùs , alii minùs in Vinea , eundem tamen denarium pro mercede omnes receperunt . Ibi enim primò Pater familias plures operarios diverſis horis diei, primâ nimirùm , tertiâ , ſextâ , nonâ , undecimâ conducit , ac mittit ad excolendam vineam . Secundò illis operariis

riis labore perfunctis eandem omnino mercedem rependit, nec plus tribuit iis, qui totâ die, & plùs laboraverunt, quàm iis, qui minus,& unam tantùm horam impenderunt in labore. Tertiò, hoc videntes, qui plùs laboraverant, conquesti ſunt dicentes, *Hi noviſſimi unâ horâ fecerunt, & pares illos nobis feciſti, qui portavimus pondus diei, & æſtus.*

Ex his argui poteſt ſic. Pater familias, cujus parabola meminit, non alius eſt, quàm Deus: Vinea Eccleſia: Operarii ſunt homines, qui ad illam, hoc eſt, ad laborandum per fidem, & bona opera vocati ſunt: Horæ, de quibus parabola loquitur, ſunt variæ hominum ætates, juventus, adoleſcentia, virilis ætas, & ſenectus: Denarius, qui ſingulis rependitur in mercedem, eſt beatitudo, ſeu viſio Dei; Atqui omnibus operariis datur ille denarius, & omnes æquali mercede donantur; ergo omnibus Beatis, ſive plùs, ſivè minùs in hac vita laboraverint, erit æqualis cæleſtis beatitudo.

VIII. Reſpondetur cum D. Thom. *1. 2. qu. 5. art. 2. ad 1.*, diſt. ultimam partem maj., denarius, qui ſingulis rependitur, eſt beatitudo objectiva, ſeu vita æterna, conc. maj., beatitudo formalis, ſeu intuitiva Dei viſio, nego maj. *Unitas denarii* (ait D. Thom.) *ſignificat unitatem beatitudinis ex parte objecti* (& in hoc omnes beati erunt pares, quia omnes vitam æternam, & ſummum bonum, quod eſt beatitudinis objectum, & cauſa, poſſidebunt æqualiter) *ſed diverſitas manſionum ſignificat diverſitatem beatitudinis ſecundùm diverſum gradum fruitionis.* Quæ confirmat S. Auguſtinus ſermone 19. *de Verb. Dom.* nunc *ſerm.* 87. *cap.* 4. dicens: *erimus ergo in illa mercede omnes æquales, tanquam primi noviſſimi, & noviſſimi primi, quia denarius ille vita æterna eſt, & in vita æterna omnes æquales erunt. Quamvis enim meritorum diverſitate fulgebunt, alius magis, alius minùs: quod tamen ad vitam æternam pertinet, æqualis erit omnibus: non enim alteri erit longiùs, alteri breviùs &c.*

Porrò quia vita æterna datur, non iis ſolùm, qui totâ vitâ laboraverunt, ſed aliquando iis etiam, qui in extremo vitæ vocati converſi ſunt, ut contigit Latroni in Cruce pendenti, ideò inducitur præcitata querela aliorum, qui totâ die laboraverant. Vel dicatur, querelam nomine antiquorum Patrum exponi, qui cùm ab initio mundi laboraverint, denarium tamen beatæ viſionis non ſunt conſecuti, niſi poſt mortem Chriſti, quo tempore eundem conſecuti fuere etiam ii, qui noviſſimè à Chriſto electi fuerant. Ità *S. Gregorius homil.* 19. *in Evangelia.*

IX. Reſpondeo ſecundò, diſt. min., omnibus operariis æqualibus in merito, licèt non in tempore laboris, conc. min., inæqualibus, & in tempore laboris, & in merito, nego min.: & eodem modo diſt. conſeq. Ideò qui noviſſimi fuerunt in labore æquale præmium acceperunt, quia brevi temporis ſpatio meritum eorum, qui totâ die laboraverant, aſſecuti ſint. Ità S. Gregorius Nazianzenus *orat.* 40. *n.* 20. *Tametſi* (inquit) *quantùm ad laboris modum plus contulerint, qui priores ingreſſi ſunt, non tamen quantùm ad inductionis animi menſuram; eâque etiam ratione poſtremis fortaſſe amplior merces debebatur.* Cujus rationem aſſignans ſubdit. *Illi enim non priùs crediderunt, nec ingreſſi ſunt, quàm ipſis ex conventu merces conſtituta fuiſſet. Hi nulla conditâ mercede ad laborem acceſſerunt: quod quidem majoris fidei argumentum eſt. Ad hæc, illi invidiæ, & ad murmurandum proclivis naturæ eſſe inventi ſunt: his nihil tale objicitur. Tùm etiam illis merces erat; quod dabatur, etiamſi improbis, & malignis: his gratia. Quare ſtoliditatis etiam, & amentiæ damnati, ampliori mercede meritò privati ſunt &c.*

X. Objicies ſecundò. Carentia viſionis beatæ erit æqualis in Damnatis; ergo ipſa viſio Dei erit æqualis in Beatis.

Reſ-

Digitized by Google

Reſpondeo, nego conſeq. Et diſparitas eſt, quia carentia viſionis eſt privatio, viſio autem eſt poſitivum; privationes autem ſunt indiviſibiles, unus enim cæcus non eſt magis cæcus altero, quia privatio totum tollit; poſitiva autem poſſunt ſuſcipere magis, & minùs, unus enim poteſt magis, & meliùs videre, quàm alter.

XI. Dices. Etiam viſio Dei eſt indiviſibilis, cùm ſit viſio ſummi boni, quod, ſi ſummum eſt, non poteſt augeri, aut minui. = Rursùs videtur Deus *ſicuti eſt*; ſed Deus uno modo, ac indiviſibili eſt; ergo uno, ac indiviſibili modo videtur ab omnibus. = Ulteriùs ſpecies, quâ omnes Beati vident, nempè eſſentia divina, eſt indiviſibilis; ergo indiviſibilem petit viſionem.

XII. Reſpondeo ad primum, ſummum bonum in ſe, & ex parte rei viſæ eſſe indiviſibile, modum tamen videndi ipſum eſſe diviſibilem: cùm enim ratione ſuæ eminentiæ videri non poſſit totus, & totaliter, ab uno magis penetrari poteſt, quàm ab altero.

Ad ſecundum reſpondeo cum Divo Thoma hàc q. 12. art. 6. ad 1., *quòd, cùm dicitur*, videbimus eum ſicuti eſt, *hoc adverbium* ſicuti *determinat modum viſionis ex parte rei viſæ, ut ſit ſenſus: videbimus, eum ità eſſe, ſicuti eſt: quia ipſum eſſe ejus videbimus, quod eſt ejus eſſentia. Non autem determinat modum viſionis ex parte videntis, ut ſit ſenſus: quòd ità erit perfectus modus videndi, ſicut eſt in Deo perfectus modus eſſendi*. Et in 4. *diſt.* 49. *qu.* 2. *art.* 4. *ad* 4. ait: *ly* ſicut *importat modum, qui eſt ex parte viſi, non qui ſit ex parte videntis. Quilibet enim videbit, Deum eſſe eo modo, quo eſt: ſed tamen modus videntis non eſt æqualis modo rei viſæ, ſed in infinitum diſtans; & ità modus unius videntis poteſt eſſe minùs diſtans, quàm modus alterius*.

Ad tertium reſpondeo cum eodem S. Doct. in quarto loco citato *ad* 2., *quod quamvis in intellectu unius Sancti non ſit expreſſior ſimilitudo Dei, quà ipſum cognoſcit, quàm in alio; quia quilibet per eſſentiam ſuam Deum videt; tamen intellectus unius perfectiùs ſubſtat formæ, quâ intelligit, quàm intellectus alterius; & ità unus alio perfectiùs intelligit*.

XIII. Objicies tertiò. Beati omnes ſatiabuntur; ſed ſi non eſſent æquales in Viſione Dei, qui minùs viderent, & eſſent minùs beati, non ſatiarentur, nam appeterent majorem viſionem, & beatitudinem; ergo &c.

XIV. Reſpondetur, negando min., qui enim minùs videbit, cognoſcet ſua merita, & quòd ratione illorum non eſt naturaliter capax majoris viſionis, ſicque ſuâ ſorte plenè erit contentus, nec majorem deſiderabit. Sicuti ſi dentur duo vaſa, quorum unum poſſit continere decem menſuras aquæ, & aliud tantùm unam; iſtud vas erit ità plenum, & ſatiatum in menſura ſua, ſicut aliud ſatiatur per decem; & ſicut ſi Pater eodem panno veſtiat filium adultum, & minorem natu, iſte ſuâ veſte erit contentus, quamvis minore panni quantitate veſtiatur, quàm alter, quia ſcit, tantum panni habere, quanti eſt capax, ut veſtiatur. Hinc D. Thom. 1. 2. qu. 5. art. 2. ad 3. *Nulli beato* (inquit) *deeſt aliquod bonum deſiderandum, cùm habeat ipſum bonum infinitum, quod eſt* bonum omnis boni, *ut Auguſtinus dicit* (*Epiſt.* 56., & 13. *de Trinit. cap.* 7.) *ſed dicitur aliquis alio beatior ex diverſa ejuſdem boni participatione. Additio autem aliorum bonorum non auget beatitudinem; unde Auguſt. dicit* 5. *Conf. cap.* 4. Qui te, & illa novit, non propter illa beatior, ſed propter te ſolum Beatus. Hoc idem S. Auguſtinus dilucidè expreſſit *lib.* 22. *de Civit. Dei cap.* 30., ubi poſtquam dixit, futuros eſſe, qui *pro meritis, præmiorum* etiam gradus, honorum, atque gloriarum conſequantur: ſubdit: *Atque id etiam Beata Civitas illa magnum in ſe bonum videbit, quod nulli ſuperiori ullus inferior invidebit, ſicut nunc non invident Archangelis Angeli cæteri: tamque nolet eſſe*

unuſ-

unuſquiſque, quod non accepit, quamvis ſit pacatiſſimo concordiæ vinculo ei, qui accepit, obſtrictus, quàm nec in corpore vult oculus eſſe, qui eſt digitus, cùm membrorum utrumque contineat totius carnis pacata compago. Sic itaque habebit donum alius alio minùs, ut hoc quoque donum habeat, ne velit ampliùs.

DUBIUM V.

Unde ſumatur inæqualitas in videndo Deum.

§. I.

Referuntur opiniones.

I. SEnſus quæſiti eſt, an quòd unus Beatus videat Deum perfectiùs, quàm alter, proveniat unicè, quia habet perfectius Lumen Gloriæ, an verò etiam provenire poſſit ex eo, quòd acutiori vi naturali intellectivâ præditus ſit.

Scotus enim inæqualitatem viſionis refundit, non ſolùm in inæqualitatem luminis gloriæ, ſed etiam in inæqualitatem vis intellectivæ, ità, ut ſi Angelus, & homo æquali lumine perfundantur, clariùs videbit Deum Angelus, quàm Homo, propter majorem perſpicacitatem intellectus Angelici.

II. Thomiſtæ verò communiter, & alii, inæqualitatem viſionis unicè refundunt in ſolius luminis gloriæ inæqualitatem, ità, ut ſolus ille clariùs videat Deum, qui majori lumine donatur, ſive Homo ſit, ſive Angelus. Solus Cajetanus è Thomiſtarum choro reſiliit, qui comment. 3. *par. qu.* 10. *art.* 4. *ad* 2. dicit: *Si ad æquale lumen gloriæ Angelus aſſumeretur à Verbo Dei in unitatem Perſonæ, Angelus ille perfectiùs videret Deum, quàm anima Chriſti, & eſſet ſublimior viſionis gradus. non ex ſublimiori lumine, aut gradu luminis, ſed ex ſublimiore intellectu illuminato æqualiter.* Et contendit, hanc eſſe mentem D. Thomæ. Quare hoc etiam examinandum eſt.

§. II.

Sententia D. Thomæ.

III. DIco primò. Sententia D. Thomæ eſt, inæqualitatem viſionis Dei unicè, & totaliter deſumi à lumine gloriæ. Hanc defendit, & docet, tum in 4. *ſent. diſt.* 49. *qu.* 2. *art.* 4. *in corp.* his verbis: *Sicut autem intellectus poſſibilis per lumen naturale intellectus agentis fit cognoſcitivus naturalium cognoſcibilium: ità per lumen gloriæ ſuperadditum fit viſivus divinæ eſſentiæ: Unde* ſecundùm quantitatem recepti luminis *accipitur modus, quo ſubſtat intellectus noſter eſſentiæ divinæ, ut formæ intelligibili; & per conſequens modus perfectionis in operatione, cujus talis forma eſt principium, ſcilicèt in viſione Dei per eſſentiam. Et ideò cùm quidam Sancti aliis majori lumine gloriæ repleantur, quidam aliis clariùs videbunt.*

Tùm *lib.* 3. *contra gentes cap.* 58. eadem repetens: *Quia verò* (inquit) *modus operationis conſequitur formam, quæ eſt operationis principium; viſionis autem, quâ intellectus creatus ſubſtantiam divinam videt, principium quoddam eſt lumen prædictum, ut ex dictis patet, neceſſe eſt, quòd ſecundùm modum hujus luminis ſit modus divinæ viſionis.* Ex quo infert, quòd cùm ſint poſſibiles *hujus luminis diverſi participationis gradus,* poſſibile ſit, quòd *unus Deum videntium perfectiùs alio videat, quamvis uterque videat divinam ſubſtantiam.*

Idem tandem confirmat in ſua Summa 1. *part. qu.* 12. *art.* 6., ubi reſolvit, quòd *videntium Deum per eſſentiam unus alio perfectiùs eum videbit... ſed hoc erit per hoc, quòd intellectus unius habebit majorem virtutem, ſeu facultatem ad videndum Deum, quàm alterius; Facultas autem videndi Deum non competit intellectui creato ſecundùm ſuam naturam, ſed per lumen gloriæ... Unde intellectus plus participans de lumine*

mine gloriæ perfectiùs Deum videbit. Quod repetit ibidem *ad* 3., & ſequenti *art.* 7. *in corp.*, ubi ait: *Intantum enim intellectus creatus divinam eſſentiam perfectiùs, vel minùs perfectè cognoſcit, in quantum majori, vel minori lumine gloriæ perfunditur*. Unde infert, quòd, cùm in nullo intellectu creato poſſit eſſe lumen gloriæ infinitum, nullus intellectus creatus poſſit infinitè, & comprehenſivè cognoſcere Deum. Et, quod majus eſt, idem aſſerit 3. *part. qu.* 10. *art.* 4., ubi probat, quòd, quia Anima Chriſti ex unione cum Verbo pleniùs recipit influentiam luminis, quàm quælibet alia creatura, ideò præ cæteris creaturis perfectiùs videt divinam eſſentiam.

IV. Dicit tamen Cajetanus, S. Doctorem ibi *ad ſecundum* docere, quòd *gradus viſionis in ipſa attenduntur magis ſecundùm ordinem gratiæ, quàm ſecundùm ordinem naturæ*. Sentit ergo, utrumque ordinem attendi, licèt magis ille, quàm iſte: ideòque, pari exiſtente lumine gloriæ, in perfectiori intellectu poterit haberi perfectior viſio.

V. Sed fallitur Eminentiſſimus Cajetanus. Nonne enim videt, *ly magis* ſumi à D. Thoma non *comparativè*, ſed *adverſativè*, ſeu *contrariè*, prout idem eſt ac *potiùs?* Hoc colligere debebat, tùm ex doctrina illius articuli, nuper relata, tùm ex iis, quæ immediatè poſt verba à Cajetano laudata ſubdit S. Doct., nempe, *quàm ſecundùm ordinem naturæ, ſecundùm quem natura Angelica præfertur humanæ*. Certè S. Doctor hoc non dixiſſet, ſi exiſtimaſſet, vim naturalem Angeli ſuam partem habere in viſione beata. Porrò, quòd S. Doctor aliquando ſumat ly *magis*, non in ſenſu comparativo, ſed adverſativo, præter alia, oſtenditur ex 3. *Contragentes cap.* 26., ubi docet, quòd beatitudo eſſentialiter *magis* in intellectu conſiſtit, quàm in actu voluntatis. At Cajetanus non negabit, beatitudinem ſecundùm mentem S. Thomæ ità in actu intellectus conſiſtere eſſentialiter, ut nullo modo eſſentialiter conſiſtat in actu voluntatis, ideòque ſumere ly *magis*, non *comparativè*, ſed *adverſativè*.

§. III.

Sententia Divi Thomæ roboratur ratione.

VI. Probatur ergo, inæqualitatem viſionis Dei unicè refundendam eſſe in inæqualitatem luminis gloriæ. Primò ſic. Inæqualitas, quæ in aliquo actu invenitur, tota reduci debet in virtutem proximam, & immediatam, non autem in radicalem, & remotam, quæ non agit, niſi ut elevata, & proportionata per virtutem proximam; ſed, ut vidimus ſupra, lumen gloriæ eſt totalis virtus, quâ intellectus proximè influit in Viſionem Dei, perſpicuitas autem naturalis intellectus ſolùm mediatè, & remotè, nempè ut elevata per lumen, & ratione luminis concurrit, ut ex D. Thoma nuper oſtendi; ergo inæqualitas &c.

Ut tamen hujus rationis vis in aperto ponatur, & ſimul inſtantia præoccupetur, quæ fieri poteſt. Noto, cauſam radicalem, remotam, ſeu mediatam duplicem eſſe. Unam, quæ nullam de ſe proportionem habet cum effectu excedente ejus virtutem, ſed eam accipit à virtute proxima, non ex ſe orta, ſed ſibi ab altero communicata: ſicut ſe habet natura intellectus, & vis nativa illius, quæ ex ſe improportionata ad viſionem Dei, totam virtutem, & proportionem accipit à lumine: & in iſto caſu effectus non debet commenſurari cum cauſa remota, & radicali, quæ nihil ex ſe influit, ſed unicè cum cauſa proxima, & immediata, quæ eſt tota ratio agendi. Alteram verò eſſe cauſam radicalem, & remotam, quæ non recipit, ſed potiùs communicat cauſæ proximæ vim ad agendum, quam non haberet, niſi radicaretur in ea, ut eſt ſubſtantia reſ-

pectu ſuarum potentiarum, quæ, cùm ſint virtutes ſubſtantiæ, accipiunt totam vim ex eo, quòd emanent ab ipſa: & in hoc caſu effectus non commenſuratur cauſæ proximæ, ſed radicali: unde ignis genitus non commenſuratur calori, ſed ſubſtantiæ ignis generantis.

VII. Hinc confirmatur ratio ſupraposita. Licèt in intellectu Angelico, & humano inveniatur inæqualitas quoad naturalem perſpicaciam, iſta tamen per accidens omnino, & materialiter ſe habet ad viſionem beatam, quia intellectus creatus non influit immediatè in illam ratione naturalis perſpicacitatis, ſed tantùm ratione luminis, quod non emanat à natura intellectus, ſed à Deo venit, tanquam participatio luminis divini; ergo &c.

VIII. Aliter exponitur præfata ratio. Facultas proxima videndi Deum non convenit intellectui creato ſecundùm ſuam naturam, ſed unicè ex lumine gloriæ, quo perfunditur; ergo perfectior viſio ſolùm ex perfectiori lumine procedet. Conſ. prob. Quia ratio proxima occupandi locum eſt quantitas, major occupatio loci in majorem quantitatem refunditur. Et quia tota ratio, cur diaphanum illuminet, eſt lux, major diaphani illuminatio in majorem lucem reducitur. Antec. verò probatur. Si enim facultas proxima videndi Deum non refunderetur totaliter in lumen gloriæ, ſed etiam aliquid reſponderet naturali perſpicacitati intellectus, jam daretur aliquis gradus beatitudinis, qui non reſponderet gratiæ, & meritis, ſed naturæ: unde Beatus in gradu beatitudinis ſe diſcerneret ab alio; hoc autem pluſquam Pelagianum eſt: cùm pejus ſit dicere, gloriam, vel gradum gloriæ dari per, & juxta vires naturæ, quàm dicere, gratiam, vel gradum gratiæ conferri ex puris viribus liberi arbitrii.

§. IV.

Reſpondetur oppoſitis.

IX. Objicies primo. Agens perfectius cum æquali inſtrumento perfectiùs agit; ſed duo intellectus beati ſunt duo agentia utentia lumine tanquam inſtrumento eos elevante; ergo intellectus perfectior, puta Angeli, cum æquali lumine perfectiorem eliciet viſionem, quàm intellectus hominis. Major explicatur exemplo. Si dentur duo homines inæquali robore pollentes, duabus ſecuribus æqualiter acutis inſtructi, qui fortius brachium, & robur habebit, fortiùs ſecabit lignum.

X. Reſpondetur, diſt. maj., agens perfectius, ſi ejus perfectior virtus per ſe, & proximè concurrat, perfectiorem &c., conc. maj., quando ſolùm per accidens, & remotè ſe habet, nego maj.: & diſt. min., duo agentia proximè per vim naturalem ſuam, nego min., unicè vi luminis, conc. min., & nego conſeq. Itaque verum eſt, quòd agens perfectius utens æquali inſtrumento perfectiùs agit, quando inſtrumentum illud ſe habet ut purè coadjuvans virtutem agentis, ità, ut agens illud propriâ perfectiori virtute per ſe, & immediatè concurrat, ut evenit in exemplo adducto. Secùs verò, quando inſtrumentum illud taliter eſt tota ratio agendi, ut illa major virtus cauſæ non concurrat proximè, ſed materialiter ſe habeat, ſicut in caſu. Illa enim major perfectio, quæ eſt in intellectu Angelico, ſolùm ſe habet remotè, & per accidens ad viſionem Dei, & unica virtus proxima, cui viſio correſpondet, eſt lumen gloriæ. Quare etſi nativa vis perfectior ſit, ſi lumen gloriæ ſit æquale, æqualis habebitur viſio.

XI. Sed dices primò. Intellectus, qui magis conatur ad viſionem, melius videt; ſed conatus tribuitur, non habitui, non lumini, ſed intellectui; ergo &c. Min. probatur. Habitus quoad uſum,

uſum, & conatum ſubditur potentiæ; ergo conatus reſpondet potentiæ, non habitui; ſed potentia perfectior magis conatur ad viſionem; ergo &c.

XII. Dices ſecundò. Si tota virtus proxima videndi eſt lumen gloriæ, ità, ut viſio unicè reſpondeat lumini, & virtus intellectus propria non concurrit, niſi ut elevata, & ſolùm remotè, jam intellectus erit purum inſtrumentum in Viſione beata: ſicut quia aqua baptiſmalis non agit in animam, niſi ut elevata, eſt purum inſtrumentum; ſed hoc ſuperiùs negavimus; ergo &c.

XIII. Reſpondeo ad primum, diſtingu. min., ſed intellectui, ut operanti ex propriis, nego min., ut elevato, & operanti per lumen, conc. min. Cùm enim potentia nequeat conari in actum, niſi ratione virtutis, quam habet ad illum: potentia enim carens virtute nequit conari; & cùm unica, & totalis vis agendi in viſionem ſit lumen gloriæ: ideò conatus correſpondet quidem intellectui, ſed ut elevato per lumen, & utenti lumine. Ad probat. min. nego abſolutè antecedens, quòd habitus ſupernaturales Cœleſtis Patriæ ſubdantur potentiæ, quin potiùs, cùm ſint in ſtatu perfectiſſimo, trahunt ad ſuum eſſe, & ſubdunt potentiam ſibi. Et ex hoc colligit D. Thomas, Gratiam conſummatam neque ratione ſubjecti eſſe variabilem, quia non ſequitur naturam ſubjecti, ſed ſubjectum trahit ad naturam ſuam. Quòd ſi adhuc velis, habitus Patriæ ſubdi potentiæ: dico, ſubdi potentiæ, ut elevatæ.

XIV. Ad ſecundum nego maj. Nam ad hoc, ut aliquid ſit merè inſtrumentum (ut ſuperiùs dictum eſt) non ſufficit, ut elevetur ad operandum, ſed ulteriùs requiritur, ut elevetur ad aliquid extra latitudinem ſui objecti adæquati, ut contingit in aqua Baptiſmi. Intellectus autem creatus, eſto non agat in viſionem, niſi ut elevatus per lumen, agit tamen intra ſphæram eſſentialem ſui objecti: Deus enim, ut clarè viſus, eſt intra ſphæram objecti adæquati, eſto non proportionati, intellectus creati.

XV. Obiicies ſecundò. Intellectus magis perfectus cum habitu fidei æqualiter intenſo eliciet actum fidei intenſiorem: & perfectior voluntas cum habitu Caritatis, & Spei æqualiter intenſo producet actus ferventiores, quàm voluntas minùs perfecta; ergo ſimiliter intellectus perſpicacior cum æquali lumine gloriæ perfectiùs Deum videbit.

XVI. Reſpondeo primò, negando abſolutè majorem. Actus enim Fidei, quatenus eſt aſſenſus, quo quis credit myſteriis revelatis (quidquid ſit, pro ut dicit puram apprehenſionem objecti credibilis) ſicut & actus Caritatis, & Spei non poterit eſſe perfectior, niſi perfectior ſit habitus ſupernaturalis, qui eſt tota ratio producendi tales actus.

XVII. Reſpondetur ſecundò, diſt. maj., cum habitu Fidei æqualiter intenſo, & æquali auxilio, eliciet &c., nego maj., & inæquali auxilio, conc. maj. Cùm enim Deus ſoleat conferre gratiam juxta proportionem, & capacitatem naturæ, & nativa conditio intellectus perſpicacioris, & voluntatis ferventioris, ut in Angelo, ſit intenſiùs, & ferventiùs operari, quàm intellectus, & voluntas humana, quibus plerumque contingit remiſsè agere, ideò ſi actus Caritatis Angeli, & Hominis ſub æquali habitu inæquales admittantur, non eſt adſcribendum diverſitati nativæ perfectionis voluntatis Angeli, & Hominis, ſed diverſo auxilio utrique collato: Angelo enim, utpote ferventiùs operanti, conferet Deus auxilium fortius, Homini verò remiſſiùs agere ſolito, auxilium remiſſius; & in hoc caſu actus ferventior Angeli formaliter, & immediatè correſpondebit ferventiori auxilio gratiæ, conditioni verò naturæ ſolùm materialiter, & remotè, quatenus modus naturalis operandi ferventius oc-

caſio eſt, ut Deus conferat majorem gratiam: ſicque Angelo, dùm eſſet in via, collata fuerunt fortiora auxilia, quibus majus meritum ſibi comparavit, unde beatificatus, donatus fuit majori lumine, quo intenſiùs Deum videret, quàm regulariter purus Homo, qui remiſſiori merito pervenit ad gloriam.

QUÆSTIO V.

De objecto Viſionis Beatificæ.

HOc ſupereſt, pro complemento præſentis Tractatus, ut objectum Viſionis Beatificæ examinemus. Et licèt hoc ſciamus, eſſe Deum, ut eſt in ſe, quia tamen in Deo multa ſunt, imò infinita, ut dubitari poſſit, an omnia à Beato videantur, ideò præſentem Quæſtionem inſtituimus.

DUBIUM I.

An Deus ab intellectu creato comprehendi poſſit.

§. I.

Quædam præmittuntur.

I. DEum de facto nedum à Beato, ſed à Viatore quoque comprehendi, blaſphemavit Eunomius, quem ſuperius *qu.* 1. *dub.* 1. §. 3., & alibi rejecimus. Modò quærimus, an tanto lumine poſſit intellectus creatus illuſtrari, ut ad comprehenſivè attingendum Deum perveniat.

II. Notat D. Thomas 1. *part. qu.* 12. *art.* 7. *ad* 1., quòd comprehenſio dupliciter ſumi poteſt. Uno modo, pro ut eſt idem ac rei *tentio*, ſeu *apprehenſio*. Et in hoc ſenſu omnes Beati dicuntur *Comprehenſores*, quia omnes apprehendunt, & tenent Deum, juxta illud 1. Cor. 9. v. 24. *Sic currite, ut comprehendatis:* Et Cantic. 3. v. 4.: *Tenui eum, nec dimittam*. Et hoc modo, ait D. Thomas, *Comprehenſio eſt una de tribus dotibus animæ, quæ correſpondet Spei, ſicut viſio Fidei, & fruitio Caritati. Non enim apud nos omne, quod videtur, jam tenetur, vel habetur, quia videntur interdum diſtantia, vel quæ non ſunt in poteſtate noſtra. Neque iterum omnibus, quæ habemus, fruimur; vel quia non delectamur in eis; vel quia non ſunt ultimus finis deſiderii noſtri, ut deſiderium noſtrum impleant, & quietent. Sed hæc tria habent Beati in Deo: quia & vident ipſum: & videndo tenent ſibi præſentem, in poteſtate habentes ſemper eum videre: & tenentes fruuntur, ſicut ultimo fine deſiderium implente.*

Alio modo ſumitur comprehenſio ſtrictè, & propriè, *ſecundùm quod aliquid includitur in comprehendente:* ſicut aqua dicitur comprehendi à vaſe, quia tota includitur in vaſe, & nihil ejus eſt extra vas. Et hoc modo cognitio comprehenſiva eſt cognitio adæquans, & circumſcribens objectum, ſeu cognoſcens illud, quantùm cognoſcibile eſt. Quare S. Auguſtinus Epiſt. 112. nunc 147. ad Paulinam cap. 9. *Aliud* (inquit) *eſt enim videre, aliud eſt totum videndo comprehendere. Quandoquidem id videtur, quod præſens utcumque ſentitur: totum autem comprehenditur videndo, quod ità videtur, ut nihil ejus lateat videntem, aut cujus fines circumſpici poſſunt; ſicut te nihil latet præſentis voluntatis tuæ, circumſpicere autem potes fines anuli tui.* Et hoc ſecundo modo procedit quæſitum.

§. II.

Statuitur aſſertio.

III. DIco. Deus à nullo intellectu creato, vel creabili comprehendi poteſt. Ità D. Thomas laudatus, & communiter Theologi. Et meritò quidem. Nam clarè colligitur primò ex Script. *Hierem.* 32. *v.* 19., ubi Deus dicitur *magnus conſilio, & incomprehenſibilis cogitatu*. Eccleſiaſtici 43. v. 44.

v. 44. *ne laboretis, non enim comprebendetis*. Job. 11. v. 7. *forſitan veſtigia ejus comprehendes?* Et Rom. 11. v. 33. *Quàm incomprehenſibilia ſunt judicia ejus!*

Hoc idem ſtatuit *Concil. Lateran. IV. ſub Innoc. III. cap.* 1., & 2., & refertur *cap. firmiter de Summa Trinitate*, ubi ſic dicitur: *firmiter credimus, & ſimpliciter confitemur, quòd unus ſolus eſt verus Deus, æternus, & immenſus, omnipotens, incommutabilis, incomprehenſibilis, & ineffabilis*.

IV. Nec valet dicere, Deum à Scriptura, & Concilio dici incomprehenſibilem eo modo, quo dicitur inviſibilis, nempe viribus naturæ, non viribus gratiæ, & rursùs de facto, non verò de potentia abſoluta.

V. Non inquam. Nam primò. Ideò dicimus, Deum eſſe viſibilem viribus gratiæ, eſto Scriptnra aliquando eum dixerit inviſibilem, quia in aliis locis expreſsè aſſerit, Deum videri, ut ſupra oſtenſum eſt: nullibi tamen Deum ab aliquo comprehendi poſſe legitur.

Secundò. Sancti Patres probant, Spiritum Sanctum eſſe Deum, quia comprehendit Deum: ex illo 1. Cor. 3. v. 10. *Spiritus enim omnia ſcrutatur, etiam profunda Dei*; ſed hoc argumentum eſſet infirmum, ſi creatura per gratiam, aut de potentia abſoluta poſſet Deum comprehendere; ergo &c.

Tertiò. D. Auguſtinus *ſermone* 38. *de verbis Domini* nunc *ſerm.* 117. *cap.* 3. ad illa, *& Deus erat Verbum*, ſic ait: *de Deo loquimur, quid mirum, ſi non comprehendis? ſi enim comprehendis, non eſt Deus .... attingere aliquantùm mente Deum, magna beatitudo eſt, comprehendere autem omnino impoſſibile*.

VI. Probatur autem ratione D. Thomæ hôc art. 7. ſub hac forma. Tunc aliquid comprehenditur, quando cognoſcibilitas objecti adæquatur à virtute cognoſcitiva, ſeu quando tanta eſt vis cognoſcitiva, quanta eſt cognoſcibilitas objecti; ſed vis cognoſcitiva intellectus creati, quantocumque lumine illuſtretur, non poteſt adæquare, nec eſſe tanta, quanta eſt cognoſcibilitas Dei; ergo &c. Major ex ſupra explicatis conſtat. Min. prob. Cognoſcibilitas Dei eſt ſumma, & infinita, virtus autem cognoſcitiva creaturæ, quantocumque lumine illuſtratæ, & elevatæ, non poteſt eſſe ſumma, & infinita, quia quodcumque lumen, utpote receptum, eſt finitæ, ac limitatæ virtutis; ergo &c.

VII. Confirmatur. Ut comprehendatur aliquod objectum, non ſufficit, ut cognoſcatur totum, ſed inſuper, quòd cognoſcatur totaliter, ità, ut cognoſcatur, quantùm cognoſcibile eſt, & omni modo, quo petit cognoſci; ſed intellectus creatus, eſto Deum totum, ut eſt in ſe, videre poſſit, non tamen totaliter, & omni modo, quo petit cognoſci: quia Deus petit infinito modo cognoſci: *Unumquodque enim* (ait D. Thom. hîc) *ſic cognoſcibile eſt, ſecundùm quòd eſt in actu:* Dei autem *eſſe eſt infinitum:* Vis è contra cognoſcitiva cujuſcumque intellectus creati finita eſt, & finito modo cognoſcitiva; ergo &c. Major explicatur exemplo S. Thomæ. Si quis propoſitionem demonſtrabilem ſolùm probabiliter cognoſcat, non eſt aliquid ejus, quod non cognoſcatur, nec ſubjectum, nec prædicatum, nec unio utriuſque: & tamen, quia non cognoſcitur demonſtrativè, quo modo petit cognoſci, illam comprehenſivè non cognoſcit; ergo &c.

VIII. Demùm. Illud propriè comprehenditur, *quod in comprehendente includitur*, ſicut aqua comprehenditur à vaſe, quia in vaſe includitur: rursùs *totum comprehenditur videndo, quod ità videtur, ut nihil ejus lateat videntem, aut cujus fines circumſpici, vel circumſcribi poſſunt. Tunc enim fines alicujus circumſpiciuntur, quando ad finem in modo cognoſcendi illam rem pervenitur;* ſed Deus, cùm ſit infinitus, nullo finito includi poteſt, ut aliquid finitum eum infinitè capiat, ejus fines circumſpiciat, & circumſcribat, & ad finem in modo cognoſcendi ipſum perveniat:

veniat:

Digitized by Google

veniat, ſicut ego circumſpicere poſſum fines anuli mei; ergo &c. Videatur D. Thom. *hic ad* 1. *&* 2., & Sanctus Auguſtinus ſupra §. *precedente* relatus.

IX. Deus igitur incomprehenſibilis eſt. Et quidem quatuor modis, *loco*, *tempore*, *intelligentiâ*, *&* *amore*. Loco, quia nullo loco, aut ſpatio creato, vel creabili comprehendi poteſt. Tempore, quia omnia excedit tempora. Intelligentiâ, quia, ut dicebamus, nullus creatus intellectus poteſt eum quantùm cognoſcibilis eſt, cognoſcere. Amore, quia omnem amorem creatum excedit, nulla enim creatura poteſt eum pro dignitate amare. Prima incomprehenſibilitas Deo convenit ratione immenſitatis. Secunda ratione æternitatis. Tertia ratione infinitatis. Quarta ratione ſummæ bonitatis.

§. III.

Solvuntur argumenta.

X. OBjici poteſt primò. Comprehendere Deum eſt videre ipſum totum, & totaliter; ſed ità Beati vident Deum; ergo eum comprehendunt. Minor probatur. Cùm dicitur, quòd comprehendere Deum ſit ipſum videre totum, & totaliter, vel ly *totaliter* dicit modum videntis, vel dicit modum rei viſæ. Si dicat modum rei viſæ; Deus totaliter videtur, quia videtur, ſicuti eſt. Si dicit modum videntis; totaliter quoque videtur, quia videns Deum, totâ virtute, & conatu illum videt.

XI. Confirmatur ex Auguſtino *Epiſt.* 112. ſeu 147. citatâ. Illud comprenditur, quod ità totum videtur, quòd nihil ejus lateat videntem; ſed nihil Dei latet Beatos, quia, cùm ſummè ſimplex ſit, non poteſt videri clarè, quin videatur totus, ſeu quin videantur omnia, quæ in illo ſunt; ergo &c.

XII. Reſpondeo cum D. Thoma hìc *ad* 3., quòd ly *totaliter* dicit *modum objecti: non quidem ità, quòd totus modus objecti non cadat ſub cognitione; ſed quia modus objecti non eſt modus cognoſcentis*: ideſt, quia modus, quo cognoſcitur, non eſt modus, quo objectum petit cognoſci: & modus, quo petit cognoſci, infinitè excedit modum, quo cognoſcitur. Fateor ergo, quòd *qui videt Deum per eſſentiam, videt in eo, quòd infinitè exiſtit*, & *quòd infinitè cognoſcibilis eſt*: & ſic videt omnem modum, qui eſt in Deo. Sed non videt eo modo, ſcilicet infinito, quo Deus petit cognoſci. *Sicut aliquis probabiliter ſcire poteſt, aliquam propoſitionem eſſe demonſtrabilem, licèt ipſe eam demonſtrativè non cognoſcat.*

XIII. Ad confirm. reſpondeo primò cum eodem ibi *ad* 2., *quòd non propter hoc Deus incomprehenſibilis dicitur, quaſi aliquid ejus ſit, quod non videatur, ſed quia non ità perfectè videtur, ſicut viſibilis eſt. Sicut, cùm aliqua propoſitio demonſtrabilis per aliquam probabilem rationem cognoſcitur, non eſt aliquid ejus, quod non cognoſcatur, nec ſubjectum, nec prædicatum, nec compoſitio; ſed tota non ità perfectè cognoſcitur, ſicut cognoſcibilis eſt*; quia ad finem in modo cognoſcendi illam non pervenitur.

XIV. Reſpondeo ſecundò ex eodem S. Doct. ibi *art.* 7., diſt. maj., ut nihil ejus lateat, nec quoad formalia, & intrinſeca, nec quoad virtualia, & connotata, conc. maj., nihil lateat quoad formalia, nego maj.: & diſt. min., nego conc. Ut ergo aliquid comprehendatur, non ſufficit, ut totum ſic videatur, ut nihil ejus lateat videntem quoad prædicata formaliter, & intrinſecè in eo exiſtentia: hoc enim pertinet ad cognitionem ſolùm quidditativam; ſed ulteriùs requiritur, ut penetret etiam omnia, quæ in eo latent, ſeu quæ virtualiter ſunt in illo, comprehendendo ejus virtutem, & in eo cognoſcat omnia, etiam quæ poteſt facere: hoc enim eſt fines objecti circumſpici, & circumſcribi, & ad finem in modo cognoſcendi pervenire, ut Auguſtinus requirit ad veram compre-

hen-

Digitized by Google

henſionem. Cùm autem nec Beati videant, nec ulla creatura videre poſſit omnia, quæ Deus facere poteſt, nec virtutem ejus totaliter penetrare, ut probat *D. Thom. 1. p. qu. 12. art.* 8., inde non poteſt creatura illum comprehendere.

XV. Secundò objici poteſt, & ſimul inſtari. Poteſt intellectus creatus videre omnia prædicata formalia, & intrinſeca Dei, & illa videre modo finito; ergo etiam poterit videre omnia prædicata virtualia Dei, & illa videre modo finito: quia non magis infinita iſta ſunt, quàm illa: imò minùs, cùm ea, quæ poteſt Deus facere, infinita ſint in numero quidem, ſed non in entitate: prædicata verò intrinſeca Dei in entitate infinita ſunt, cùm ſint ipſum eſſe per eſſentiam.

XVI. Reſpondetur, diſt. conſeq., videre modo infinito, ut viſa in ſe ipſis, omitto conſeq., ut viſa in Deo, & ex vi cognitionis divinæ virtutis, nego conſeq. Dato ergo, quòd videre prædicata extrinſeca Dei, nempe poſſibilia, non argueret infinitum modum in cognoſcente, illum argueret eadem videre in Deo, & ex vi penetrationis omnipotentiæ: quia, ut docet D. Thomas citato *art.* 8., hoc eſſet comprehendere ejus virtutem: nullus enim intellectus poteſt in cauſa cognoſcere omnes cauſæ effectus, niſi qui cauſam totaliter comprehendit. At dùm cognoſcit prædicata intrinſeca Dei, cognoſcit objectum infinitum: ſed quia non adæquatè illud penetrat, & totaliter, etiam quoad latentia, non cognoſcit illud modo infinito, ſed finito.

XVII. Tertiò objici poteſt. Falſum eſt, quòd, ut aliquid comprehendatur, debeat tantùm cognoſci, quantùm cognoſcibile eſt; ergo &c. Ant. prob. primò. Formica comprehenditur, tùm ab Angelo ſuperiori, tùm ab inferiori: & tamen Angelus ſuperior perfectiùs illam cognoſcit. Secundò. Angelus inferior in ſententia multorum comprehendit Angelum ſuperiorem: & tamen Angeli inferioris cognoſcitivitas non adæquat cognoſcibilitatem Angeli ſuperioris, & proinde eum non cognoſcit quantùm cognoſcibilis eſt. Ergo &c.

XVIII. Reſpondetur, negando ant. Ad primam prob., conc. ant., nego conſeq. Quando enim dicimus, ad notitiam comprehenſivam requiri, quòd tantùm cognoſcatur objectum, quantùm cognoſcibile eſt, non intendimus, quòd debeat cognoſci eâ perfectiſſimâ cognitione, quâ cognoſci poteſt, aliàs nil poſſet comprehendi, niſi à Deo: ſed ſolùm, quòd debeat cognoſci, quantùm ejus cognoſcibilitas petit, hoc eſt, cognitione adæquante, & tantâ, quantam petit ejus cognoſcibilitas, ut perfectè cognoſcatur. Eſto autem Angelus inferior non ità perfectè in modo cognoſcendi cognoſcat formicam, ut ſuperior; tamen cognitio inferioris Angeli, non ſolùm adæquat cognoſcibilitatem formicæ, ſed eam longè ſuperat.

Ad ſecundam, quæ poteſt eſſe replica, diſt. min., non adæquat ex parte rationis, *quæ* attingitur, nego min., non adæquat ex parte rationis *ſub qua*, ſubdiſt., non adæquat in ſpecie, conc. min., in gradu, nego min. Itaque ad comprehenſionem requiritur quidem, quòd cognitio ità adæquet rem, ut cognoſcat illam tantùm, quantùm petit cognoſci ex parte rei cognitæ, ità, ut nihil ſit in re, ſive formaliter, ſive virtualiter, quod per illam cognitionem non penetretur. Quòd autem res non attingatur ſub tanta ratione *ſub qua*, ſeu ſub tanta actualitate ſpecifica, quantam habet in ſe, hoc non requiritur. Hinc ergo fit, quòd cùm Angelus inferior cognoſcat ex parte rationis *quæ* quidquid eſt in Angelo ſuperiori, ità, ut nihil eorum, quæ in ſuperiori ſunt, lateat inferiorem, benè dicitur illum comprehendere. At nulla creatura quantovis lumine elevata poteſt, neque ex parte rationis *quæ*, divinam cognoſcibilitatem adæquare, ſecundum ea, quæ continet tàm formaliter, quàm virtualiter, quia ad hoc requireretur, quòd intellectus

lectus infinito perfunderetur lumine, Deumque infinito modo cognoſceret.

XIX. Quartò objici poteſt. Deus ut comprehenſibilis cadit ſub objecto adæquato intellectus creati; ergo hic poterit elevari ad comprehendendum ipſum. Antecedens probatur. Deum eſſe comprehenſibili modo cognoſcibilem eſt perfectio exiſtens in Deo; ſed Beatus videt omnem perfectionem exiſtentem in Deo; ergo videt Deum, ut comprehenſibilem.

XX. Reſpondetur, negando antecedens. Deus enim, ut cadit ſub objecto adæquato intellectus creati, eſt Deus finito modo attingibilis, & conſequenter Deus, ut quidditativè cognoſcibilis, non comprehenſivè: ſic enim eſt objectum ſolius Intellectus Divini. Ad probat. autem conc. totum. Aliud enim eſt cognoſcere, Deum eſſe comprehenſibilem, aliud Deum comprehendere. Nam Beatus videt, Deum eſſe infinitè cognoſcibilem, & tamen Deum infinitè non cognoſcit. Et poteſt aliquis cognoſcere, propoſitionem aliquam eſſe demonſtrabilem, quam tamen demonſtrativè non cognoſcit, ſed ſolùm probabiliter. Sic Beatus videt comprehenſibilitatem Dei, at eam videt quidditativè, non comprehenſivè, videt immenſitatem, ſed non immenſè, infinitatem, ſed non infinitè. Et ratio eſt, quia videre, aliquid eſſe comprehenſibile, dicit ſolùm videre objectum, quod poſſit comprehendi ab aliquo. At videre comprehenſivè eſt de facto illud comprehendere; ſicut videre objectum infinitè eſt de facto illud infinito modo videre.

XXI. Quintò argui poteſt. Anima Chriſti comprehendit ſcientia viſionis Dei; ergo comprehendit Deum, quia quidquid in Deo eſt, Deus eſt. Antecedens probatur. Anima Chriſti cognovit ea omnia, quæ Deus videt ſcientiâ viſionis; ergo comprehendit ſcientiam viſionis.

XXII. Reſpondetur, neg. antecedens, ad probat. diſtinguo antecedens, ſcientiâ viſionis inadæquatè ſumtâ, concedo antecedens, adæquatè ſumtâ, nego antecedens. Scientia viſionis Dei ſumi poteſt & inadæquatè, ut ſolùm dicit cognitionem eorum, quæ ſunt, erunt, & fuerunt: & hoc modo anima Chriſti videt omnia, quæ Deus videt ſcientiâ viſionis. Sumi etiam poteſt adæquatè, ut ſcientia viſionis Dei eadem eſt ac ſcientia ſimplicis intelligentiæ, & dicit ſcientiam omnium, quæ in Deo ſunt tàm formaliter, quàm virtualiter. Qui ergo cognoſceret omnia, quæ Deus cognoſcit ſcientiâ viſionis adæquatè acceptâ, cognoſceret omnia, quæ in Deo ſunt tàm formaliter, quàm virtualiter, & Deum comprehenderet. Sed hoc modo nec anima Chriſti, nec ulla creatura videre poteſt omnia, quæ Deus videt ſcientiâ viſionis.

DUBIUM II.

Quid Beati in Deo videant: an Deum ſimul unum, & trinum: & an aliter de poſſibili contingere queat?

§. I.

Reſolvitur prima pars.

I. NOto, ea, quæ in Deo ſunt; alia eſſe in eo formaliter, ut eſſentia, attributa, ſeu perfectiones ſimpliciter ſimplices, & relationes, ſeu Perſonas; alia verò eſſe in eo virtualiter ſolùm, ſeu eminenter, ut creaturæ omnes, quas produxit, & poteſt producere. Rursùs ea, quæ ſunt in Deo formaliter; alia ſunt in eo neceſſariò, ut attributa, & relationes; alia liberè, ut decreta divinæ voluntatis, quæ ità in eo ſunt, ut potuerint in eo non eſſe. Et rursùs neceſſaria; alia ſunt omnino abſoluta ab omni reſpectu ad creaturas, ut quædam attributa, quibus Deus in ſe denominatur; alia dicentia quendam reſpectum ad creaturas. In hoc dubio de neceſſariò in Deo exiſtentibus

bus ſermo erit. Et quidem in triplici ſenſu. Primò, an de facto beatus omnia, quæ formaliter in Deo neceſſariò ſunt, videat. Secundò, an videat etiam omnia, quæ neceſſariò virtualiter in eo ſunt. Tertiò, an ſaltem de potentia abſoluta poſſit fieri, ut ex iis, quæ formaliter neceſſariò in Deo ſunt, Beatus unum videat, alio non viſo.

II. Dico primò. Beati videntes Deum de facto vident omnia, quæ formaliter neceſſariò in eo ſunt, nimirùm Eſſentiam, Perſonarum Trinitatem, & Attributa omnia ſecundùm proprias eorum rationes formales. In hoc aſſerto conveniunt omnes Theologi, & meritò. Videtur enim declaratum tanquam de fide à Concilio Florentino in *Decreto unionis*, ubi ſtatuitur. *Animæ ſuis exutæ corporibus purgatæ in Cœlum mox recipiuntur, & intuentur clarè Deum unum, & trinum, ſicuti eſt.* Et probatur teſtimonio Chriſti, tùm Joann. 17. v. 3. *Hæc eſt autem vita æterna, ut cognoſcant te ſolum Deum verum, & quem miſiſti Jeſum Chriſtum.* Tùm Joann. 14. v. 9. *Qui videt me, videt & Patrem meum:* & rationem aſſignans v. 10. *Non creditis* (inquit) *quia ego in Patre, & Pater in me eſt?* Et 1. Joann. 3. v. 2. *Similes ei erimus, quia videbimus eum, ſicuti eſt.* Cùm ergo Deus ſit unus, & trinus in ſe, & formaliter bonus, ſapiens &c., omnia iſta videbit Beatus, aliàs non videret Deum, ſicuti eſt, ſed aliter ac eſt, ſi unum videret, non viſo alio.

Ratio etiam ſuadet. Viſio enim beata eſt quidditativa, & intuitiva; ergo omnia attingit, quæ ad Dei quidditatem ſpectant. Et eo maximè, cùm quidditas Dei ſit ſummè ſimplex, imò una ſimpliciſſima res, non poteſt intellectui beato præſentare ſeipſam clarè, ut eſt, quin omnia ſecum ei præſentet. Sed de hoc fuſiùs infra §. 3.

III. Quæres, an omnia hæc per unicum actum videantur, an per plures?

IV. Reſpondeo cum D. Thoma *hac 1. part. qu. 12. art. 10.*, quòd ea, quæ Beati vident in Verbo, non ſucceſſivè vident, ſed ſimul, & eodem actu. Intantum enim nos eodem actu, & ſimul non poſſumus multa intelligere, quia multa per diverſas ſpecies intelligimus; diverſis autem ſpeciebus non poteſt intellectus unius ſimul actu informari, ſicut nec unum corpus poteſt ſimul diverſis figuris figurari. Si tamen contingat, nos per unam ſpeciem multa intelligere poſſe, ſicut ſi per unam ſpeciem totius ſingulas partes ejus cognoſcamus, tunc ſimul intelligemus multa. Atqui Beati ea, quæ vident in Deo, non ea vident per proprias, & diſtinctas ſpecies, ſed per unicam ſpeciem omnia clarè, & diſtinctè repræſentantem, nimirùm divinam eſſentiam. Ergo omnia ſimul unico actu vident.

§. II.

An de facto videant, quæ virtualiter in Deo ſunt.

V. Dico ſecundò. Beati non vident omnia, quæ virtualiter in Deo ſunt, imò nec videre poſſunt, ſed aliqui vident plura, alii pauciora. Ità S. Thomas *qu. 12. citatâ art.* 8. Tres habet partes hoc aſſertum. Prima, & ſecunda probantur ratione D. Thomæ, quam Dubio præcedente tetigimus. Nam ſi Beatus de facto videret in Deo, aut videre poſſet omnes creaturas poſſibiles in particulari, ſeu quidquid Deus poteſt facere diſtinctè, & ſecundùm particulares rationes, de facto comprehenderet virtutem effectivam Dei, ſeu Omnipotentiam, vel eam comprehendere poſſet; ſed hoc eſſe impoſſibile, Dubio præcedente oſtendimus; ergo &c. Major probatur principio S. Thomæ. Quantò aliqua cauſa perfectiùs videtur, tantò plures effectus in ipſa videntur, & è contra quantò plures effectus in cauſa videntur, tantò perfectiùs cauſa videtur; ergo qui omnes effectus in cauſa videret, perfectiſſimè eam videret, quia eam

eam undequaque penetraret, & omnia in ea latentia detegeret; ergo eam comprehenderet.

VI. Hinc, eſto Beati videntes Omnipotentiam, videant etiam terminum omnipotentiæ, quod eſt quodcumque poſſibile, non ſequitur, quòd eam comprehendant. Nam videntes poſſibile ſub ratione poſſibilis vident quidem terminum formalem Omnipotentiæ, ſed non vident terminos materiales, ſeu rationes particulares omnium eorum, quæ poſſibilia ſunt, quæ in Omnipotentia latent: & quod ad comprehenſionem neceſſarium eſſet.

VII. Similiter eſto videant Filium Divinum, qui eſt terminus adæquatus potentiæ generativæ Patris, non ſequitur, quòd iſtam comprehendant, quia vident illum ſolùm intuitivè, & quidditativè, non verò comprehenſivè, ideſt ſecundùm omnia, quæ exprimit, aut repræſentat.

Et *licèt* inſuper (ait D. Thom. hic ad 3.) *majus ſit videre Deum, quàm omnia alia: tamen majus eſt videre ſic Deum, quòd omnia in eo cognoſcantur, quàm videre ſic ipſum, quòd non omnia, ſed pauciora, vel plura cognoſcantur in eo*. Unde primum infert Dei comprehenſionem, non ſecundum.

VIII. Tertia pars probatur ex Divo Thoma *art. 8. citato in corp.*, ubi concludit: *Sed horum, quæ Deus facit, vel facere poteſt, tantò aliquis intellectus plura cognoſcit, quantò perfectiùs Deum videt*. Illa porrò creatura plura in Deo detegit, & perfectiùs Deum videt, quæ majori lumine donatur, ut dictum eſt. Cur autem ab iſta aliquæ potius detegantur, quàm aliæ, ratio ab intrinſeco traditur à D. Thoma *qu. 8. de potentia art. 4. ad 12.*, quia ſcilicet *quædam ſunt latentiores, quædam manifeſtiores: & ideò ex viſione divinæ eſſentiæ quædam cognoſcuntur, quædam non*. Quod exemplo confirmat dicens: *Sicut patet, quòd ex principiis demonſtrationis ſtatim aliquæ concluſiones eliciuntur, quædam verò non niſi per multa media*. Alia etiam ratio ab extrinſeco eſſe poteſt beneplacitum Dei; Cùm enim cognitio ullius creaturæ non pertineat ad ſubſtantiam beatitudinis, ut docet idem D. Thomas mox relatus, ſicut Deus manifeſtat Beato ex creaturis exiſtentibus, quas ipſi placet, ità ex creaturis poſſibilibus, eſto omnes forent æqualiter viſibiles.

Quæres tamen, an Deus poſſit à Beato videri, non viſâ in eo ullâ creaturâ in particulari?

IX. Reſpondeo affirmativè, quia nullius creaturæ viſio eſt de ſubſtantia beatitudinis. Ità D. Thomas *hac qu. 12. art. 8. ad 4.* Naturale enim deſiderium intellectus non petit *cognoſcere illa, quæ nondum ſunt, ſed fieri à Deo poſſunt. Si tamen ſolus Deus videretur, qui eſt fons, & principium totius eſſe, & veritatis, ità repleret naturale deſiderium ſciendi, quòd nihil aliud quæreretur, & beatus eſſet. Unde dicit Auguſtinus* 5. Confeſs. cap. 4. *Infelix homo, qui ſcit omnia illa* (ſcilicet creaturas) *te autem neſcit: beatus autem qui te ſcit, etiam ſi illa neſciat. Qui vero & te, & illa novit, non propter illa beatior eſt, ſed propter te ſolùm beatus!*

§. III.

An de potentia Dei abſoluta poſſit Beatus videre unum prædicatum Divinum abſolutum, ſive relativum ſine alio, vel abſolutum ſine relativo.

THomiſtæ, aliique plures conſtanter negant. Scotiſtæ affirmant, volentes, quòd videre omnia, quæ in Deo formaliter neceſſariò ſunt, ſit quidem connaturale viſioni, ut intuitiva, quidditativa, & beatificativa, non tamen eſſentiale.

X. Dico tamen. Fieri nullo modo poteſt, ut videatur aliquid in Deo, quin videatur quidquid formaliter neceſſariò in illo eſt; ideòque quin viſâ eſſentiâ videantur attributa, relatio-

nes

nes &c. Hoc primò oſtendunt verba Chriſti ſupra laudata Joann. 14. v. 9., & 10. *Philippe, qui videt me, videt & Patrem. Quomodo tu dicis, oſtende nobis Patrem? non creditis, quia ego in Patre, & Pater in me eſt?* Ubi Chriſtus ſic arguit. Ego ſum in Patre, & Pater in me (propter ſcilicet unitatem eſſentiæ); ergo qui videt me, videt & Patrem; ſed ſi videri poſſet Filius in ſe, non videndo Patrem, hæc Chriſti illatio non eſſet legitima, quia poſſet dari antecedens verum, & conſequens falſum; ergo &c.

XI. Reſpondet Fraiſſen primò, Chriſtum ibi loqui de viſione per fidem ac ſi dicat, qui credit mihi, & operibus meis, neceſſe eſt, ut videndo me nempe Divinitatem meam per fidem, videat & Patrem, quia Pater in me manens ipſe facit opera.

XII. Reſpondet ſecundò, illationem Chriſti eſſe legitimam, ſed tantùm connaturalem, & attentâ potentiâ ordinariâ, non verò neceſſariam.

XIII. Sed contra primum, datâ illâ explicatione (quam dicunt eſſe Chryſoſtomi *homil. 73. in Joann.*, Cyrilli *lib. 9. in Joann. cap. 37.*, & Tertulliani *lib. contra Praxeam cap. 24.*) arguo ſic. Qui credebat Chriſto, & operibus ejus, neceſſe erat, ut videns Divinitatem ejus per fidem, videret & Patrem, quia Pater in eo manens faciebat opera; ergo multò magis qui intuitivè, & clarè videt Filium, neceſſe eſt, ut videns Divinitatem ejus, videat & Patrem, quia Pater in eo manens ei communicat ſubſtantiam.

XIV. Contra ſecundum ſic. Tunc illatio eſt neceſſaria, quando unum ſine altero non poteſt oſtendi, quia unum ſunt; atqui hæc eſt illatio Chriſti; ergo &c. Maj. patet, quia cauſalis æquivalet univerſali, & neceſſariæ propoſitioni. Minorem verò docet Sanctus Auguſtinus lib. 1. de Trinitate cap. 8. ſic: *Sive audiamus, oſtende nobis Filium, ſive audiamus, oſtende nobis Patrem; tantumdem valet; quia neuter ſine altero poteſt oſtendi: unum quippe ſunt; ſicut & ipſe ait: Ego & Pater unum ſumus.* Et enarrat. in Pſalm. 85. *Videtis* (inquit) *quòd in Viſione Patris & Filii viſio eſt, & in viſione Filii, & Patris viſio eſt: ideò conſequenter ſubjecit, & dixit:* neſcitis, quia ego in Patre, & Pater in me eſt? *Ideſt, & me viſo, videtur & Pater, & Patre viſo videtur & Filius. Patris & Filii ſeparari non poteſt viſio. Ubi non unius ſeparatur natura, & ſubſtantia, viſio ſeparari non poteſt.* Ex quibus ità ſubſumo. Sed ſubſtantia unius nempe Filii ſeparari non poteſt, nedum naturaliter, ſed eſſentialiter; ergo viſio unius ſeparari non poteſt à viſione alterius, nedum naturaliter, ſed eſſentialiter.

XV. Secundò. Hoc idem docet Angelicus Præceptor, tùm 2. 2. *qu.* 2. *art.* 8. *ad* 3., ubi de ſumma Dei bonitate ait: *Summa bonitas Dei ſecundùm modum, quo nunc intelligitur per effectus, poteſt intelligi abſque Trinitate Perſonarum. Sed ſecundùm quòd intelligitur in ſeipſa, prout videtur à Beatis, non poteſt intelligi ſine Trinitate Perſonarum.* Tùm 3. *p. qu.* 3. *art.* 3. *in corp.*, ubi loquens de cognitione Dei, ut in ſe eſt, hæc ſcribit: *Sic impoſſibile eſt, quòd circumſcribatur per intellectum aliquid à Deo, & quòd aliud remaneat: quia totum, quod eſt in Deo, eſt unum ſalvâ diſtinctione Perſonarum: Quarum tamen una tollitur ſublatâ aliâ, quia diſtinguuntur ſolis relationibus, quas oportet eſſe ſimul.*

XVI. Probatur ratione primò. Beati vident Deum, ſicut eſt in ſe, ut 1. *Joannis* 3. *v.* 2.; ſed ſi viderent Deum unum, & non trinum, eſſentiam, & non attributa, non viderent Deum, ſicuti eſt, ſed aliter ac eſt: nam illum viderent unum, & non trinum, cùm ipſe ſit unus, & trinus: viderent eſſentiam, & non attributa, cùm in ſe ſit eſſentia, & attributa; ergo &c.

XVII. Confirmatur primò. Si Divina eſſentia tantùm exiſteret in uno ſuppoſito, ea non poſſet videri, ſicu-

ti eſſet, niſi videretur illud ſuppoſitum; ergo cùm reverà exiſtat in tribus ſuppoſitis, impoſſibile eſt, eam videri, ut eſt in ſe, & non videri tria ſuppoſita.

XVIII. Confirmatur ſecundò. Magis diſtinguuntur in Angelo natura, & perſona, quàm in Deo; ſed fieri non poteſt, quin aliquis, videat Angelum, ſicuti eſt, quin etiam videat ejus perſonam; ergo nec quiſpiam videre poterit Deum, ſicuti eſt, quin videat tres Perſonas.

XIX. Confirmatur tertiò ex Divo Thoma nuper allato. Videre eſſentiam Divinam, ſicuti eſt, & non videre attributa, vel Perſonas, eſt attributa, & Perſonas non ampliùs in Deo remanere: videre Patrem, & non Filium, eſt Filium non remanere; ſed hoc eſt impoſſibile, cùm ſit Deum deſtruere; ergo &c. Major probatur. Ut attributa, & Perſonæ remaneant in Deo, debent eſſe unum, & idem realiter cum eſſentia: ut Filius remaneat, debet eſſe ſimul cognitione cum Patre; ſed ſi videretur eſſentia divina, ut reverà eſt in ſe, non viſis attributis, & relationibus, jam attributa, & relationes non eſſent unum realiter cum eſſentia: & ſi videretur Pater, non viſo Filio, Filius non eſſer ſimul cognitione cum Patre; ergo &c.

XX. Probatur ſecundò ratione communi. Viſio Dei debet eſſe intuitiva, quidditativa, & beatificans, ut Scotiſtæ admittunt; ſed, ut talis ſit, non ſolùm connaturaliter, ut fatentur, ſed neceſſariò, & eſſentialiter debet videre omnia, quæ formaliter neceſſariò in Deo ſunt; ergo &c. Minor probatur. Quatenus intuitiva (ad differentiam cognitionis abſtractivæ, quæ apprehendit objectum proportionatè ad captum ſuum) debet videre Deum, ut eſt in ſe, & conſequenter unum ſine altero videre non poteſt, ut jam probatum eſt. Quatenus quidditativa debet ferri ad rem ſecundum omnia, quæ in ſuo conceptu quidditativo importat: non enim eſſet quidditativa, ſi non attingeret omnia, quæ ſunt de illius quidditate; ſed Deo, qui eſt tota eſſendi plenitudo, eſſentialiter conveniunt omnes perfectiones, & attributa; ergo &c. Quatenus tandem beatifica debet eſſe perfectè ſatiativa appetitus, juxta illud Pſalmi 16. v. 15. *Satiabor cùm apparuerit gloria tua*; at non eſſet perfectè ſatiativa, ſi videns eſſentiam, non videret attributa, relationes, aut unam Perſonam ſine alia, quia videns eſſentiam, ut in ſe, non quietatur, niſi videat ejus proprietates, & è contra videns unam Perſonam, non acquieſcit, niſi videat aliam, cùm omnia æque viſibilia ſint; ergo &c.

§. IV.

Reſpondetur Scotiſtarum momentis.

XXI. PRimò arguunt. Quando cognitio habet duo objecta, quorum unum eſt primarium, & aliud ſecundarium, poteſt abſolutè terminari ad primarium, & non ad ſecundarium; ſed eſſentia Dei eſt objectum primarium viſionis beatificæ: attributa autem, & Perſonæ ſunt objectum ſecundarium; ergo &c.

XXII. Reſpondeo in primis, falſam eſſe min., quia attributa, & relationes non ſunt propriè objecta ſecundaria, cùm ſint ejuſdem actualitatis cum eſſentia, ut oſtendemus: ſed, vel æquè pertinentia ad objectum primarium, vel modi eſſentiales objecti formalis, & primarii.

Cæterùm, hoc omiſſo, dico, majorem eſſe veram, quando objectum ſecundarium in ratione cognoſcibilis non habet neceſſariam connexionem cum primario: ſecùs verò, ſi neceſſariò cum eo connectatur. Cùm autem divina eſſentia viſibilis, ut eſt in ſe, eſſentialiter dicat etiam attributa, & relationes, aliàs non videretur, ut in ſe eſt, ideò non poteſt eſſentia videri, quin & iſta videantur.

XXIII.

Digitized by Google

XXIII. Secundò arguunt palmari argumento. Stante identitate inter eſſentiam Divinam, & Paternitatem, Filio æterno communicatur eſſentia, & non Paternitas; ergo ſtante eàdem identitate poterit videri eſſentia, & non videri Paternitas.

XXIV. Reſpondeo, negando conſ. & diſcrimen eſt, quia Paternitas non eſt communicabilis Filio, utpote ei relativè oppoſita. At Paternitas non eſt inviſibilis, ſed æque viſibilis, ac natura, ideòque viſâ naturâ, ut eſt in ſe, debet neceſſariò & ipſa videri: ſicut communicatâ naturâ Filio communicantur ei omnia, quæ communicabilia ſunt. Unde hoc argumentum retorquetur contra Scotiſtas. Primò. Natura Divina de facto communicatur, quin de facto, & connaturaliter Filio communicetur Paternitas; ergo Natura divina ſic videbitur, ut in ſe, quin de facto, & connaturaliter videatur Paternitas; hoc autem Scotiſtæ non admittunt. Secundò. Communicatâ eſſentiâ Filio, communicatur ei quidquid communicabile eſt, ità, ut oppoſitum ſit impoſſibile; ergo viſâ eſſentiâ, ut eſt in ſe, debet videri quidquid eſt viſibile, ità, ut oppoſitum ſit impoſſibile.

Tertiò ex doctrina Scoti in 3. *diſt.* 1. *qu.* 5. Si Incarnatio facta fuiſſet in eſſentia, neceſſe fuiſſet, tres Perſonas incarnari, ità, ut una incarnari non potuiſſet ſine alia, quia eſſentia omnibus convenit: ſicut quia illis convenit Omnipotentia, quæ eſt ratio creandi, neceſſe eſt, tres Perſonas ſimul creare, nec fieri poteſt, quòd una earum creet, & alia non creet; ergo cùm ratio primæ veritatis, ſecundùm quam videntur ſimili modo, eadem ſit in eſſentia, & tribus Perſonis, neceſſe eſt, ut, viſâ eſſentiâ, tres omnes videantur, ità, ut fieri non poſſit, quòd una videatur, & alia non.

XXV. Hæc Scoti doctrina præfocat aliam inſtantiam à Scotiſtis fieri ſolitam, nimirùm. Eſto omnes tres divinæ Perſonæ ſint communicabiles humanitati Chriſti, una tamen poteſt communicari, imò de facto communicatur, aliis non communicatis; ergo licèt omnia in Deo exiſtentia ſint viſibilia, poterit adhuc unum videri, non viſis aliis.

XXVI. Nam reſpondetur ex doctrina Scoti ſupra citati, quia eſto omnes tres divinæ Perſonæ ſint communicabiles humanitati, una tamen eſt immediatè communicata, & non reliquæ, quia communicatio non eſt facta in eo, in quo omnes conveniunt, nempe in eſſentia, vel in alio abſoluto, ſed in eo, in quo una ab alia diſtinguitur, nempe in proprietate Perſonali; unde Scotus: *dico* (inquit) *quòd eſſentia non eſt ratio formalis terminandi iſtam unionem, ſed proprietas Perſonalis*. At omnia Divina communicantur menti beatæ in ea ratione, in qua conveniunt, nempe in ratione ſummæ veritatis viſibilis unicâ, & eàdem viſibilitate; Quare ſicut non poteſt videri color parietis, quin videatur quantitas, & figura ejus, quia licèt ſint accidentia ejus realiter ſeparabilia, in ratione tamen viſibilis ſunt modi inſeparabiles, cùm eàdem ſpecie repræſententur oculo: ità nec poterit unum Divinum videri ſine alio, quia in ratione viſibilis unum ſunt, & eàdem Divina eſſentiâ uti ſpecie omnia repræſentantur.

XXVII. Objiciunt tertiò. Non repugnat, unum divinum ſine alio videri, nec quia Viſio intuitiva eſt, nec quia quidditativa, nec quia beatificativa; ergo &c. Ant. pro prima parte prob. Nam, cùm videmus hominem à longè venientem, talis viſio eſt verè intuitiva: & tamen poteſt cognoſci, quòd ſit animal, & nondum cognoſci, quòd ſit homo, & quòd ſit homo, & non Petrus; ergo &c. Item viſus percipit colorem intuitivè, & ut in ſe eſt, & tamen non percipit rationem qualitatis, eſto illi eſſentialem. Et Angelus intuetur ſuum intellectum, ut eſt, & tamen non videt potentiam obedientialem ejus ad viſionem Dei.

Pro ſecunda probatur. Quia non impli-

plicat, quòd Deus infundat ſpeciem homini, quâ Angelos quidditativè cognoſcat. ità, ut videat, eos eſſe intelligentias ſimplices, & immateriales, licèt eorum differentias non videat.

Pro tertia parte probatur. Tùm quia eſſentia Divina ſeipsâ eſt ſummum bonum, & radix omnium Divinarum perfectionum; ergo ſe ſolâ eſt potens facere Beatum. Tum etiam, quia Pater æternus in illo ſigno, quo intelligitur generare Filium, eſt perfectè Beatus; & tamen tunc nondum videt eſſentiam, ut communicatam Perſonis Filii, & Spiritus Sancti, cùm pro illo ſigno nondum concipiantur productæ; ergo.

XXVIII. Reſpondetur, negando antec. prob. omni ſui parte. Ad prob. primæ partis dico, hic nos loqui de viſione intuitiva clara, & distincta, qualis eſt viſio beata, quâ videbimus Deum, ſicuti eſt; non de viſione obſcura, & confuſa, qualis eſt viſio alicujus venientis à longè. Imò retorqueo inſtantiam. Quia enim, dùm videmus aliquem à longè, non videmus omnia, quæ viſibilia ſunt in ipſo, non videmus eum, ſicuti eſt, ſed ſolùm confuſè; ergo ſi Beatus videret aliquid Dei, & non omnia, quæ viſibilia ſunt in ipſo, viderèt Deum, non clarè, & ſicuti eſt, ſed confuſè.

Ad id, quod additur de oculo, dico, oculum videre colorem intuitivè, & ſicut eſt, non abſolutè, ſed in ratione oculariter viſibilis; unde non mirum, ſi ipſum non videat ſub ratione qualitatis. Imò retorqueo argumentum. Oculus intuitivè videns colorem, neceſſariò videt omnia, quæ circumſtant ipſum in ratione viſibilis, nempe magnitudinem, figuram, motum, quamvis per ſe color non ſint; ergo à pari Beatus videns eſſentiam Divinam &c.

De Angelo dico, eum intuèri ſuum intellectum, non reſpectu omnium actuum, etiam ſupernaturalium, quia ſic lumine naturali viſibilis non eſt, ſed eum intueri, ut præcisè dicentem ordinem ad actus naturales, & ideò non intueri potentiam obedientialem ejus.

XXIX. Ad prob. ſecundæ partis dico ſimiliter, ſpeciem repræſentantem ſolùm gradum genericum Angelorum, & non gradus ſpecificos, fore ſpeciem repræſentativam imperfectè, & confuſè, non clarè, & distinctè; unde non licet trahere argumentum ad viſionem beatificam. Addo, aliud eſſe loqui de viſione Dei actus puriſſimi, aliud de viſione alicujus creati includentis potentialitatem, & compoſitionem. Dato enim, aliquod ens creatum cognoſci poſſe quidditativè ſolum inadæquatè, quia non omnia, quæ ſunt in illo, ejuſdem cognoſcibilitatis ſunt, nec unum formaliter includit aliud; ens tamen Divinum, & actus puriſſimus, ubi omnia ejuſdem actualitatis, & viſibilitatis ſunt, videri non poteſt quidditativè, quin omnia videantur.

XXX. Ad prob. 3. partis pro prima dico, quòd ex eo, quòd eſſentia Divina ſit ſummum bonum, ſequitur eam non poſſe oſtendi, ut eſt in ſe, niſi oſtendantur etiam, quæ in ipſa ſunt; aliàs Beatus aliquod non videns, non videret omne bonum, & non ſatiaretur.

Pro ſecunda verò prob. nego min. Signum enim illud, quo intelligitur Pater generare Filium, non eſt ſignum, *in quo*, vel ſit, vel concipiatur Pater, & non ſit, aut concipiatur non eſſe Filius; aliàs Filius accepiſſet eſſe poſt non eſſe: quod Arianiſmum ſaperet. Eſt ergo ſignum *à quo*, & originis. Ideò dùm Pater intelligit ſcipſum, intelligit, Filium à ſe, & Spiritum Sanctum à ſe, & à Filio procedere. Dici etiam poteſt claritatis ergo, quòd eſto pro illo priori cognitio Patris non reſpiciat Filium, & Spiritum Sanctum in ratione termini exercitè producti, eos tamen reſpicit in ratione objecti ſuæ cognitionis, & ideò non ſtat, quòd Pater videat eſſentiam, & ſe ipſum, & non videat Filium, &

Spi-

Digitized by Google

Spiritum Sanctum. Breviori tamen viâ reſpondeo, datâ min., neg. conſeq. Ideò enim in illo ſigno Pater æternus eſt perfectè beatus, eſto non videat eſſentiam ſuam, ut communicatam Perſonis, quia pro illo ſigno nondum apparet, & nondum eſt viſibilis divina communicatio. Quare retorqueo inſtantiam. Si pro illo ſigno viſibilis eſſet, & appareret communicatio Divinæ eſſentiæ Perſonis, & eam Pater æternus non videret, non eſſet perfectè Beatus, ſicut nec eſſet, ſi aliquod ex eſſentialibus non videret; ſed reſpectu Beati communicatio tribus Perſonis viſibilis eſt, & apparens; ergo ſi eam non videret, non eſſet perfectè Beatus.

DUBIUM III.

Quænam præter Deum Beati in Verbo videant?

§. I.

Quid ſit videre Creaturas in Verbo?

I. Videre creaturas in Verbo, ſive in Deo, ſive in eſſentia Divina idem eſt. Dicuntur creaturæ ſpecialiùs videri in Verbo, quia, ut ait D. Auguſtinus lib. 83. qu. q. 63., *In nomine Verbi ſignificatur, non ſolùm reſpectus ad Patrem, ſed etiam ad illa, quæ per Verbum facta ſunt operativâ potentiâ*. Unde D. Thom. 1. *p. q.* 34. *art.* 3. ſtatuit, in nomine Verbi importari quidem primariò reſpectum ad Patrem, cujus eſt expreſſivum, ſed ex conſequenti etiam reſpectum ad creaturas, quarum expreſſivum eſt, & ſimul operativum, juxta illud *dixit* (per Verbum producendo) *& facta ſunt*: quia importatur in Verbo ratio factiva eorum, quæ Deus facit.

II. Quomodo autem Verbum ſit expreſſivum, ſeu repræſentativum creaturarum, ſeu quomodo creaturæ repræſententur, & videantur in Verbo, hìc quæritur. Volunt propterea alii qui creaturas repræſentari, & videri in Verbo, ſicut in ſpeculo. Alii verò, ſicut in cauſa, & exemplari.

Speculum, ut ait D. Thom. qu. 12. de verit. art. 6., *propriè loquendo, non invenitur, niſi in rebus materialibus, ſed in rebus ſpiritualibus per quandam tranſumptionem dicitur per ſimilitudinem acceptam à ſpeculo materiali, ut ſcilicet in rebus ſpiritualibus dicatur eſſe ſpeculum id, in quo alia repræſentantur, ſicut in ſpeculo materiali apparent formæ rerum viſibilium*. His præmiſſis.

III. Dico. Creaturæ repræſentantur, & videntur in Verbo, non tanquam in ſpeculo, ſed potiùs tanquam in cauſa operativa, & exemplari. Ità D. Thomas loco citato: & probat. Speculum enim poteſt dici illud, in quo rerum ſimilitudines à rebus ipſis reſultant, ut in ſpeculo materiali patet, in quo ſpecies hominis ab ipſo homine imprimitur: illud autem, in quo inveniuntur ſpecies rerum, ut præexiſtentes ad res ipſas (ut eſt in mente artificis ſpecies domus, quæ in eo præexiſtit ad domum faciendam) non poteſt propriè ſpeculum dici, ſed magis exemplar; ſed in Deo ſunt ſpecies rerum, non reſultantes à creaturis, & ab iſtis Deo impreſſæ, ſed præexiſtentes creaturis, & iſtis à Deo impreſſæ; ergo Deus dici non poteſt ſpeculum, ſed magis exemplar creaturarum.

IV. Hinc (infert. S. Doctor) *nuſquam invenitur dictum à Sanctis, quod Deus ſit rerum ſpeculum, ſed magis quòd ipſæ res creatæ ſunt ſpeculum Dei, prout dicitur 1. Cor. 13. v. 12.* Videmus nunc per ſpeculum in ænigmate, *& ſic etiam Filius dicitur eſſe ſpeculum Patris, prout à Patre in ipſo ſpecies divinitatis recipitur, ſecundùm quòd habetur Sap. 7. v. 26.* Speculum ſine macula. Hæc D. Thomas. Et certè manifeſta eſt diverſitas Dei, & ſpeculi. Nam ſpeculum repræſentat ea, quæ ſibi ſunt impreſſa: Divinæ autem eſſentiæ nihil poteſt imprimi. Accedit quòd imagines in ſpeculo reſultantes ſunt ibi in

actu

Digitized by Google

actu diſtinctæ, in Deo autem res ipſæ diſtinctæ unum ſunt per modum, quo multi effectus uniuntur in una cauſa. *Et ideò modus, quo res omnes ſunt in eſſentia divina, ſimilior eſt modo, quo effectus ſunt in cauſa, quàm modo, quo imagines ſunt in ſpeculo*. Vid. S. Doctor. *q. 8. de verit. art. 4. in corp.*, & *qu. 10. art. 4.* etiam *in corp.* In Verbo igitur, quod cognoſcunt, ſicut in cauſa, vel operativa, vel exemplari, vident Beati creaturas, quas vident.

§. I I.

Enumerantur res, quæ à Beato videntur.

V. DIco primò. Beatus videt omnia myſteria fidei, quæ in hac vita creduntur. Probatur. Tùm quia viſio Dei eſt dos animæ ſuccedens fidei, & eam conſummans: juxta illud *Pſal. 47. v. 9. ſicut audivimus, ſic vidimus*. Et Pauli 1. *Cor.* 13. v. 10. *Cùm autem venerit, quod perfectum eſt, evacuabitur, quod ex parte eſt*: & v. 12. *Videmus nunc per ſpeculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem*. Tùm quia quilibet fidelis deſiderat videre res, quas fide credit; ergo cùm beatitudo ſit perfecta quies omnium Juſtorum, & deſideriorum ſatiativa, Beati videbunt in Verbo omnia myſteria, quæ hìc fide crediderunt.

VI. Hinc D. Auguſt. *lib. 20. de civit. Dei cap.* 21. exponens verba Iſaiæ 66. v. 14. *Videbitis, & gaudebit cor veſtrum*: Ait: *nec expreſſit, quid videbimus: ſed quid, niſi Deum? ut impleatur in nobis promiſſum Evangelicum*: Beati mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt; & *omnia illa, quæ nunc non videmus, credentes autem pro modulo capacitatis humanæ, longè minùs, quàm ſunt, atque incomparabiliter, cogitamus*. Et videbitis, *inquit*, & gaudebit cor veſtrum. *Hìc creditis, ibi videbitis*. Et D. Thom. 2. 2. qu. 1. art. 5. *Quæ* (inquit) *de Trinitate credimus, nos viſuros ſperamus .... quam quidem viſionem jam Angeli habent. Unde quod nos credimus, illi vident*.

VII. Quamvis autem non omnes fideles hìc ſint æquales in credendo explicitè myſteria fidei: probabile tamen eſt, quòd in Patria futuri ſint æquales quantùm ad numerum myſteriorum, quæ hìc credimus, & per conſequens quòd omnes Beati videant omnia myſteria, quæ in Eccleſia militante proponuntur credenda, non tamen ſint æquales, quantum ad modum clariùs, & perfectius videndi.

VIII. Eſto igitur omnes videant myſteria fidei quoad ſubſtantiam; non tamen eſt neceſſe, ut illa videant quoad omnes circumſtantias temporis, & loci. Imò de tempore univerſalis Judicii dicitur, Marci 13. v. 32. *De die autem illo, vel hora nemo ſcit, neque Angeli in Cœlo*. Sic eſto à principio ſuæ beatitudinis Angeli myſterium Incarnationis viderint; non tamen viderunt omnes circumſtantias loci & temporis; ſed de his fuerunt ſucceſſu temporis extra Verbum per revelationes edocti.

IX. Pariter licèt videant myſteria, quæ peraguntur in pluribus, non eſt tamen neceſſe, ut ea videant in omnibus individuis, in quibus peraguntur; ſic licèt omnes Beati videant Chriſtum in Euchariſtiæ Sacramento, non tamen eum vident in omnibus hoſtiis, quas quotidie ubique terrarum conſecrant Sacerdotes. Et licèt videant myſterium reſurrectionis; non tamen vident omnes reſurrecturos, ſaltem omnes damnatos: Quia hæc, & ſimilia ad beatitudinem, vel ad ſtatum Beatorum neceſſaria non ſunt.

X. Dico ſecundò. Quilibet Beatus videt in Verbo totum univerſum quoad ejus partes principales, ut Cœlum, & Elementa, & omnia genera, & ſpecies rerum, tùm corporalium, tùm ſpiritualium; non tamen videt omnia individua rerum materialium, niſi fortè ſpectent ad ejus ſtatum. Prima pars probatur. Quia deſiderium rationalis naturæ eſt ad ſcienda omnia

ea,

ea, quæ per ſe pertinent ad perfectionem intellectus; & hæc ſunt partes præcipuæ univerſi, genera, & ſpecies rerum; ergo, cùm in Beatis omne deſiderium impleatur, omnia hæc illis Verbum repræſentat.

Secunda verò pars probatur. Nam ſingularia materialia corruptibilia non pertinent per ſe ad perfectionem univerſi, neque primariò intenduntur, ſed ſolùm ſecundariò, & propter conſervationem ſpeciei, quæ in uno individuo conſervari non poteſt; Cùm autem ſpecies rerum incorruptibilium in uno individuo reperiantur, Beatus videns illam ſpeciem, debet illud individuum videre. Utramque partem docuit D. Tho. hâc qu. 12. art. 8. ad 4. his verbis: *Naturale deſiderium rationalis creaturæ eſt ad ſciendum omnia illa, quæ pertinent ad perfectionem intellectus; & hæc ſunt ſpecies, & genera rerum, & rationes earum; quæ in Deo videbit quilibet videns eſſentiam divinam. Cognoſcere autem alia ſingularia, & cogitata, & facta eorum non eſt de perfectione intellectus creati: nec ad hoc ejus naturale deſiderium tendit: nec iterum cognoſcere illa, quæ nondum ſunt, ſed fieri à Deo poſſunt.*

XI. Dico tertiò. Beati vident ea, quæ pertinent ad proprium ſtatum; non tamen omnia in Verbo, ſed aliqua extra Verbum per revelationem, & illuminationem cognoſcunt. Pro primæ partis probatione adverto, Beatum poſſe tripliciter conſiderari. Primò ut eſt elevatus ad ordinem gratiæ. Secundò ut eſt pars Univerſi. Tertiò quatenus eſt talis Perſona particularis, & quatenus fuit in aliqua dignitate conſtitutus, vel Pontificia, vel Regali &c. Ergo, cùm Beati deſiderium debeat eſſe perfectiſſimè ſatiatum, ut nihil ei ad ipſum pertinens ſuperſit deſiderandum, debet omnia cognoſcere, quæ ad ipſum ſecundùm eam triplicem conſiderationem pertinent. Sicut ergo Beatus, quia elevatus ad ordinem gratiæ, videre debet omnia myſteria gratiæ; quia pars univerſi, omnes partes præcipuas univerſi, genera, & ſpecies videre debet, ut dictum eſt; Ità quatenus particularis Perſona ſpeciali officio decorata, ea, quæ ad ejus ſtatum pertinent, cognoſcet. Hinc D. Thomas 3. *p. qu.* 10. *art.* 2. ex hoc principio: *Nulli intellectui beato deeſt, quin cognoſcat in Verbo omnia, quæ ad ipſum ſpectant:* infert, quòd, cùm *ad Chriſtum, & ad ejus dignitatem ſpectent quodammodo omnia, in quantum ei ſubjecta ſunt omnia, ipſe etiam conſtitutus eſt Judex à Deo*, quia filius hominis eſt, *ut dicitur Joann.* 5., *Ideò Anima Chriſti cognoſcit omnia exiſtentia ſecundùm quodcumque tempus, & etiam hominum cogitatus, quorum eſt Judex: ità, ut quod de eo dicitur Joann.* 2. Ipſe enim ſciebat, quid eſſet in homine, *poſſit intelligi, non ſolùm quantùm ad ſcientiam divinam, ſed etiam quantùm ad ſcientiam animæ ejus, quam habet in Verbo*. Ità D. Thom.

XII. Idem proportione ſervatâ dicendum de Sanctis. B. Virgo, quæ omnium fidelium eſt advocata, videbit omnium fidelium ſtatus, ut illis prodeſſe poſſit. Cæteri Sancti preces, & fidelium cogitatus, qui ad illos diriguntur, cognoſcent, ut pro illis apud Deum, & Chriſtum intercedere poſſint. Quod anno 1528. adversùs Lutherum egregiè declaravit Concilium Senonenſe in decretis Fidei, *Decreto XIII.* aſſerens, quòd, quàm ſit diſſonum veritati contrarium ſentire, *facilè intelligit, qui Beatis pervium eſſe non ignorat omniforme illud divinitatis ſpeculum, in quo quidquid eorum intereſt, illuceſcat*. Porrò cùm, teſte Guillelmo Pariſienſi *cap. unico de retributionibus SS. pag. mihi* 317. *tom.* 1., animæ Sanctorum, *quidquid licebit, vel delectabit eas videre, viſuræ ſint:* fit, ut Summi Pontifices Beati viſuri ſint omnia, quæ ad præſentem ſpectant, vel futurum Eccleſiæ ſtatum, quam aliquando adminiſtraverunt: S. P. Dominicus, ac cæteri Religionum Patriarchæ, omnia, quæ ſpectant ad ſuo-

rum Ordinum gloriam, & ſanctitatem, ac decorem: Reges inſuper, ac Principes, illa, quæ ad Dei gloriam, ac fidei, pietatiſque incrementum in illis Regnis, ac ditionibus, quibus præfuerunt: Et ſimiliter omnes Patres familias, quæ in ſua familia ab uxoribus, filiis, amicis, conſanguineis fiunt, conſpecturi ſint; hæc enim omnia ſtatum reſpectivè ſuum ſpectantia, decebit, & delectabit eos videre.

XIII. Quod ſi dicas: ex his ſequi, eos, qui fuerunt in altiori dignitate, & tamen minoris meriti, plura in Verbo viſuros, & conſequenter fore Beatiores, quàm alios majoris meriti, qui in dignitate conſtituti non fuere; quod tamen falſum eſt, cùm gradus gloriæ unicè ex meritis penſandi ſint.

XIV. Si iterum dicas, S. Auguſtinum *lib. de cura pro mortuis cap. 15.* fusè docere, ſpiritus defunctorum *neſcire, quid hìc agatur: ſed dùm hìc agitur, poſtea audire ab eis, qui hinc ad eos moriendo pergunt; non quidem omnia; ſed quæ ſinuntur indicare &c.* Et cap. 16. dicit: *Martyres opitulari iis, quos per eos certum eſt adjuvari, generaliter orando pro indigentia ſupplicantium, ſicut nos oramus pro mortuis, quibus utique non præſentamur, nec ubi ſint, vel quid agant, ſcimus.* Idem habet Auctor *Lib. de ſpiritu, & anima* apud D. Auguſtinum *tom. 6. cap. 29.* dicens: *ibi ſunt ſpiritus defunctorum, ubi non vident, neque audiunt, quæ aguntur, aut eveniunt in vita iſta hominibus.*

XV. Reſpondetur ad primum, ſequi ſolùm, quòd Beatus minoris meriti, qui dùm viveret, fuit in altiori gradu, plura ſit viſurus quoad *an eſt*, & extenſivè, & fortè etiam extra Verbum, quàm ille, qui majoris meriti, non tamen in gradu dignitatis fuit, dùm viveret. Hic tamen ſuperabit eum in beatitudine, quia intenſiori viſione penetrabit Divinam eſſentiam, eaque pauciora, quæ videbit, videbit in Deo, clariùſque ea conſpiciet. Beatitudinis autem perfectio correſpondens meritis, penſatur, non à majori extenſione, ſed intenſione viſionis, & majori penetratione Divinæ eſſentiæ, non à plurium cognitione extra ipſam; ut enim ſuperiùs dicebamus cum Auguſtino *lib. 5. Confeſſ. cap. 4.* ex Divo Thoma: *Beatus, qui te ſcit, etiamſi illa neſcit* (ſcilicet creaturas) *qui verò te, & illa novit, non propter illa beatior, ſed tantùm propter te beatus.*

XVI. Ad ſecundum reſpondeo cum D. Thoma *1. part. qu. 89. art. 8.*, Sanctum Auguſtinum, vel loqui de animabus ſecundùm cognitionem naturalem, quia animæ mortuorum, ſecundùm ordinationem divinam, & ſecundùm modum eſſendi, cùm ſint ſegregatæ à congregatione viventium, & conjunctæ converſationi ſpiritualium ſubſtantiarum, quæ ſunt à corpore ſeparatæ, ea, quæ apud nos aguntur, ignorant; & hoc etiam videtur tangere Auguſtinus in *lib. de cura pro mortuis agenda cap. 13.* dicens, quòd animæ mortuorum rebus viventium non interſunt. Quod repetit in ſupplemento *3. p. qu. 69. art. 3. ad 1.*, & precipuè *qu. 72. art. 1. ad 1.*, ubi ait: *Verbum Auguſtini intelligendum eſt de cognitione naturali animarum ſeparatarum... non autem loquitur de cognitione, quæ eſt in Verbo, quam conſtat Abraham eo tempore, quo hæc dicta ſunt per Iſaiam, non habuiſſe, cùm ante Chriſti Paſſionem nullus ad viſionem Dei pervenerit.* Videatur D. Thomas *hoc loco per totum articulum*. Et inſuper *qu. 9. de Verit. art. 6. ad 5.*, ubi exponens idem dictum Iſaiæ 63. *Abraham neſcivit nos*, ait, *Auguſtinus loquitur de cognitione naturali animarum, per quam etiam Sancti non poſſunt cognoſcere, quæ hìc aguntur. Sed ex virtute gloriæ ea cognoſcunt, ut expreſſè dicit Gregorius in Moral. exponens illud Job:* Sive fuerint nobiles filii ejus, ſive ignobiles, non intelligent. Et ſubinde aſſignans in hoc differentiam inter animas, & Angelos, ſubdit. *Sed Angeli habent natu-*

ralem

ralem cognitionem magis elevatam, quàm animæ.

XVII. Quòd ſi aliquis inſiſtat, Sanctum Auguſtinum loqui de animabus Beatorum, ac velle, has prorſùs ignorare, quid hìc agatur. Reſpondet Divus Thomas *1. p. qu.* 89. *art.* 8. citato in corp. Quòd *quantùm ad hoc videtur eſſe differentia inter Gregorium, & Auguſtinum. Nam Gregorius ibidem* (12. Moral. cap. 14.) *ſubdit*, quod tamen de Animabus Sanctis ſentiendum non eſt, quia quæ intùs Omnipotentis Dei claritatem vident, nullo modo credendum eſt, quòd ſit foris aliquid, quod ignorent. *Auguſtinus verò lib. de cura pro mortuis agenda cap.* 13., *&* 16. *expreſſè dicit, quòd* neſciunt etiam Sancti, quid agant vivi, & eorum filii. Et poſt aliqua ſubdit. *Sed Auguſtinus hoc dubitando dicit: unde præmittit cap.* 13.: ut volet, accipiat quiſque, quod dicam.. *Gregorius autem aſſertivè: quod patet per hoc, quod dicit:* Nullo modo credendum eſt. *Magis tamen videtur ſecundùm ſententiam Gregorii, quod animæ Sanctorum Deum videntes, omnia præſentia, quæ hìc aguntur, cognoſcant. Sunt enim Angelis æquales: de quibus etiam Auguſtinus aſſerit ibid. c.* 15. *quòd ea, quæ apud vivos aguntur, non ignorant*. Hæc D. Thomas.

XVIII. Quamquam dici etiam poteſt, D. Auguſtinum non negaſſe abſolutè, animas Beatorum videntium Deum cognoſcere, quæ hìc aguntur, ad eorum ſtatum pertinentia. Nam ibi cap. 15. ait: *Poſſunt etiam ſpiritus mortuorum aliqua, quæ hìc aguntur, quæ neceſſarium eſt eos noſſe, & quos neceſſarium eſt ea noſſe, non ſolùm præterita, vel præſentia, verum etiam futura, ſpiritu Dei revelante, cognoſcere*. An verò hæc illis revelentur immediatè in Verbo, an potiùs per ſpecies à Verbo in ipſis impreſſas, parum refert. Hæc ſatis. Plura, dùm, ſi Deus dederit, de invocatione Sanctorum tractabimus, dicenda erunt.

XIX. Secunda verò pars aſſerti, nimirùm quòd Beati non omnia in Verbo, ſed aliqua ex pertinentibus ad ſuum ſtatum cognoſcant extra Verbum, ſive per ſpecies ab ipſo Verbo impreſſas, ſeu infuſas, Ut probetur, Noto, dupliciter intelligi poſſe, quòd Beati aliqua videant in Deo, ſeu in Verbo. Uno modo formaliter, hoc eſt, illâ eâdem viſione, quâ Deum vident, & ſunt beati, ità, ut ipſa Dei viſio, eadem ſit viſio creaturarum, quæ dicuntur videri in Deo. Alio modo cauſaliter, non quidem viſione eâdem, quâ videtur Deus, ſed viſione diſtinctâ, cauſatâ tamen ex hoc, quòd videatur Deus, ſeu viſione cauſatâ ex clara ipſius Dei viſione; Ac proinde quæ iſto modo videntur in Deo, videntur ratione beatitudinis, non quidem formaliter, ſed cauſaliter, in quantum à Verbo clarè viſo fit quædam impreſſio, ſeu ſpecies in intellectum ad intelligendum aliqua, quæ per viſionem beatam formaliter non intelliguntur. Quæ indicavit D. Tho. *qu.* 8. *de Verit. art.* 5. *in Corp.* dicens: *Intellectus Angeli res cognoſcere poteſt, & per ſimilitudines ipſarum rerum, & per ipſam eſſentiam divinam; ſed illa cognitio, quâ cognoſcit res per ſimilitudines ipſarum rerum eſt alia à cognitione, quâ cognoſcit res per Verbum, quamvis etiam illæ ſimilitudines cauſentur ex conjunctione intellectus Angelici ad Verbum, ſive per operationem ipſius intellectus Angelici.... ſive (quod verius eſt) per influxum Verbi*. Et ad ſecundum: *à Verbo* (inquit) *poteſt fieri impreſſio in intellectum Angeli; ſed cognitio, quæ fit per illam impreſſionem, eſt alia à cognitione, quæ eſt per Verbum*.

XX. Inter hos duos cognoſcendi modos hæc eſt differentia, quòd ea, quæ Beati vident formaliter in Verbo, ſeu eâ viſione, quâ formaliter vident Verbum, vident ſimul, & non ſucceſſivè: unde ea, quæ modò ſic vident, viderunt ab initio ſuæ beatitudinis. Ea verò, quæ vident, viſione quidem à Verbi viſione, ſeu à

Verbo cauſatâ, ſed à viſione Verbi diſtinctâ, non eſt neceſſe, ut ſimul videant, ſed vident, ſeu videre poſſunt ſucceſſivè, ſecundùm quòd Verbo placet impreſſionem, ſeu ſimilitudines illorum in intellectum Angeli producere. In quo ſenſu dicit D. Tho. in 2. *diſt.* 11. *qu.* 1. *art.* 2. *ad* 4., quòd *ſpeculum æternum voluntarium eſt, quia in eo non videtur, niſi quod ipſe vult oſtendere*. His prænotatis.

XXI. Probatur dicta ſecunda pars. Si enim Beati omnia, etiam ad ipſos ſpectantia, viderent viſione formali, quâ vident Verbum, omnia viderent ſimul, & non ſucceſſivè, quia, ut docet D. Thom. *qu.* 8. *de verit. art.* 4. *ad* 14., & nos ſuperiùs diximus, *quantùm ad illam cognitionem, quâ Angeli cognoſcunt res in Verbo, non poteſt eſſe ſucceſſio, quia per unum diverſa cognoſcunt*, & conſequenter omnia ea cognoviſſent ab initio ſuæ beatitudinis; ſed multa ſunt, quæ Beati non cognoverunt ſtatim ab initio ſuæ beatitudinis, ſed cognoſcunt, & cognoſcent ſucceſſivè: ut Judicii diem, in quo erunt judicandi, & cum Chriſto judicaturi: tempus etiam generalis reſurrectionis, & aſſumtionis ſuorum corporum: & aliorum, quæ non ad intrinſeca ſuæ beatitudinis, ſed tantùm ad decentiam, pertinent, & ſucceſſu temporis eveniunt; ergo &c.

XXII. Hinc infero primò, nullum Beatorum, præter animam Chriſti, videre formaliter in Verbo omnia præterita, præſentia, & futura, ut 3. *p. qu.* 10. D. Thomas notum relinquit. De Beata autem Virgine Maria an idem dicendum ſit, affirmare non auſim. Certum eſt, eam, utpote Dei Matrem, Cœlorum Reginam, & ſuper omnes Choros Angelorum exaltatam, omnia videre quæcumque Angeli etiam ſupremi vident, & per conſequens, quæ animæ beatæ vident, & alia plura, quæ placet Filio ejus ei revelare, ut teſtantur Divus Bernardus *ſerm. ſignum magnum*, & S. Ildephonſ. *ſermone* 2. *de Aſſumpt.* An verò omnia omnino ſciat, etiam Judicii diem, & hæc formaliter in Verbo, pium quidem eſt cogitare, ſed aſſerere non certum.

XXIII. Infero ſecundò, Angelos Cuſtodes ab initio ſuæ beatitudinis non vidiſſe, quid circa ſingulos ſuæ cuſtodiæ deputandos finaliter ſit eventurum, aliàs ſciviſſent diem Judicii; quod tamen Chriſtus negat: ſed de omnibus his ſucceſſu temporis cognoſcere in Verbo cauſaliter.

XXIV. Infero tertiò, neque Sanctos omnes, omnium quocumque tempore futurorum preces ad ſe fundendas ab initio beatitudinis in Verbo ſimul agnoviſſe. Tùm quia ſtatus eorum non requirit, ut tunc ſciant. Tùm quia ſequeretur, beatos ſcire diem Judicii. Cùm enim notitia illa non poſſet eſſe confuſa, ſed clara, & ordinata, neceſſe foret dicere, quòd & temporum, & hominum ordinem, ac ſucceſſionem, qui eos invocaturi ſunt, noverint, & ità qui futuri ſint ultimi hominum ipſos invocaturi, quæ ultimæ eorum preces, & quàm ardenter eas fuſuri ſint ultimo mundi tempore, & proinde, quòd ſciant etiam tempus, quo ultima Dies futura ſit. Idem dico de Religionum Fundatoribus. Hos enim omnes credendum eſt, non omnia ſtatim ſcire, quæ ad eorum ſtatum pertinent, ſed ſucceſſivè, notitiâ, quidem à Verbo cauſatâ, ſed à viſione Verbi diſtinctâ, & aliquando etiam per revelationem. Et hoc indicare voluit Sanctus Auguſtinus ſupra relatus *l. de cura pro mortuis cap.* 15., & D. Thom. 2. 2. *qu.* 83. *art.* 4. *ad* 2. ſcribens, *Beatis, ut Gregorius dicit* (12. moral. cap. 14.) *in Verbo manifeſtatur illud, quod decet, eos cognoſcere de eis, quæ circa nos aguntur, etiam quantùm ad interiores motus cordis. Maximè autem excellentiam eorum decet, ut cognoſcant petitiones ad eos factas, vel voce, vel corde. Et ideò petitiones, quas ad eos dirigimus, Deo manifeſtante, cognoſcunt*.

§. III.

Digitized by Google

§. III.

An Beati videant in Deo omnia Decreta Dei.

XXV. Dico primò. Beati (unâ exceptâ animâ Chriſti) non vident omnia decreta Dei; ſeu omnia, quæ Deus liberè decrevit facere. Probatur. Qui videt omnia decreta libera Dei, videt omnia objecta à Deo liberè volita; ſed Beatus non videt omnia objecta à Deo liberè volita. Nam de Die Judicii dicitur Marci 13. *de die illa nemo ſcit, neque Angeli in Cælo:* & *Dan.* 10. *v.* 13. dicitur, quòd Angelus Perſarum, & Angelus Judæorum altercati ſunt (contrarietate rerum, non voluntatum, ut explicat D. Thom. 1. *p. qu.* 113. *art.* 8.) quia illis adhuc ignota erat voluntas Dei, circa liberationem Judæorum.

XXVI. Dico ſecundò. Beati vident aliqua decreta, quæ Deus eis voluerit revelare. Probatur, quia Beati, ut diximus, vident ea, quæ pertinent ad ſtatum ipſorum; at multa Dei decreta pertinent ad ſtatum ipſorum, & eorum, qui ad illos pertinent; ergo &c.

XXVII. Dico tertiò. Decreta libera Dei, quæ à Beatis videntur, non omnia videntur ab eis formaliter per viſionem Verbi, & ab initio ſuæ beatitudinis, ſed aliqua videntur in Verbo cauſaliter, ſeu aliâ viſione cauſatâ ex viſione Dei, ut ſupra diximus, vel per revelationem. Prima pars patet ex dictis, aliàs omnia ab initio ſuæ beatitudinis ſimul viderent, & non ſucceſſivè, quia viſio Dei ſucceſſionem in ſe non admittit. Secunda etiam pars explicata manet ex dictis. Quibus addo, lumen gloriæ duo exercere munera. Unum eſt eſſe penetrativum divinæ eſſentiæ. Alterum, eſſe manifeſtativum per modum revelationis reſpectu eorum, quæ Deus voluerit illis manifeſtare. Quod eſt idem ac dicere, lumen gloriæ eſſe eminenter lumen Propheticum. Sicut ergo Angelus per idem lumen, quo cognoſcit ſubſtantiam, & voluntatem alterius Angeli, cognoſcit etiam actus liberos ejus per hoc ſolùm, quòd alter Angelus velit cogitatum ſuum illi manifeſtare, eum dirigendo ad ipſum; ſic per ipſum lumen, quo Beati vident Deum, ſuppoſito, quòd Deus velit dirigere, & manifeſtare Beato actum ſuum liberum, Beatus illum cognoſcet. Si tamen Deus non ſtatim illum Beato manifeſtet ab initio beatitudinis, ſed ſucceſſu temporis, illum cognoſcet: cognitione quidem cauſatâ à viſione Verbi, ſed ab ea diſtinctâ, ut ſuperiùs dictum eſt.

XXVIII. Dices contra primum. Omnia decreta libera Dei ſunt realiter ipſe Deus; ſed quilibet Beatus videt Deum realiter, ut eſt in ſe; ergo &c.

XXIX. Reſpondetur, diſt. maj., ipſe Deus abſolute ſumtus, nego maj., Deus pro ut dicit terminationem liberam ad creaturas, conc. maj. Eſto autem omnes Beati videant Deum, ut abſolutè, & neceſſariò in ſe eſt, non tamén vident omnem terminationem liberam Dei ad creaturas, niſi Deus eam illis manifeſtare voluerit. Sicut unus Angelus alium videt, ut eſt in ſe, & ſecundum aliquos, etſi inferior, etiam comprehendit, & tamen ſecreta cordis ejus libera non videt, niſi ea illi manifeſtare voluerit.

XXX. Dices contra ſecundum. Beatus ex vi ordinationis divinæ non poteſt videre decreta libera Dei; ergo &c. Antecedens probatur. Ordinatio, ſeu Voluntas Divina decreta ſua manifeſtandi non minùs eſt libera, quàm ſint ipſa decreta; ſed hæc, quia libera, occulta ſunt, nec poſſunt à Beato videri, niſi manifeſtentur; ergo à pari &c.

XXXI. Reſpondetur, negando antecedens. Ad probat. diſt. maj., libera per modum tamen manifeſtationis, conc. maj., aliter, nego maj. & diſtinctâ min., nego conſeq. Ordinatio illa Divina, ſeu Voluntas Dei manifeſtandi ſua decreta, eſto libera, eſt tamen per modum manifeſtationis ſui, & aliorum; eſtque ſicut lucerna de nocte lucens, quæ & ſe ipſam, & alia manifeſtat. In tantum enim actus liber eſt occultus, quia agens liberum illum non vult manifeſtare; Cùm ergo Deus directionem illam, ſeu ordinationem erga Beatum velit manifeſtare, ſequitur, quòd illi non ſit occulta, ſed manifeſta. Et his huic Tractatui de Viſione Dei, ad quam Deus nos perducat, finem imponimus.

Tomi Secundi I. Partis finis.

INDEX

Digitized by Google

INDEX

Eorum, quæ in hoc Secundo Tomo I. Partis viſa ſunt notatu digna.

A

Adrianus. vide *Hadrianus*.
Æternitas quid ſit? 133. Dei propria. 134. An creaturæ communicabilis? 135.
Aetius quis? Deum ſe videre dicebat. 138.
Agens, etſi infinitum, debet conjungi paſſo. 123.
Albanenſes. 53.
Albigenſes. 53.
Allatius Leo aſſerit, Deum oculo corporali videndum. 155.
Angeli quomodo Deum videre deſiderant? 153.
Anomæi, ſe clarè Deum videre blaſphemabant. 152. Imò comprehenſivè. *ibid.*
Antropomorphitæ. 63. Eorum deliria. 64. &c.
Apocalypſis oraculum de mille annis non favet Millenariis. 169. 170. 171. Nec viſioni differendæ poſt Judicium univerſale. 177.
Apollonius Tyaneus inſignis Magus. pag. 41. 42.
Appelliti - Appelles. 52.
Armeni viſionem claram Dei in ſe negant. 149.
S. Athanaſius pro unitate Dei. 26. Contra Idololatras. 34. 35. 36.
Atheiſmus an detur? 14. 15.
Atheus perſtringitur. 15. &c. Rationes Athei contra rationes à motu 16. 17. Ab efficientia. 18. 19. A' contingentia. 20. A' gradibus bonitatis. 22. Evincitur à S. Auguſtino. 23.
Attributa Dei. De iis error Gilberti 86. 87. Vide *Diſtinctio*. Error Eunomii. 90. 91. 92. Opinio Scoti. 95. &c. Nominalium. 92. 93. 94. Thomiſtarum. 105. 106. &c.
S. Auguſtinus arguit Atheum. 23. 24. Idololatras. 33. 34. 35. Manicheos. 55. Non favet diſtinctioni Scoticæ. 103. 104. De Viſione Dei oculo corporali loquitur inquirendo, dubitando, & hypotheticè, non aſſerendo. 159. 160. Non vidit clarè Deum in hac vita. 166. Ejus opinio de Beatorum Viſione. 226. 227.

B

Barlaamus à Græcis damnatur. 89.
Beati non vident Deum per ſpeciem creatam. 180 &c. Nec videre poſſunt. 183. &c. Vide *Lumen gloriæ*. Inæqualiter vident. 204. 205. Unde ſumatur inæqualitas viſionis? 208. 209. &c. Omnes ſatiabuntur, etſi inæquales. 207. Deum non comprehendunt. 213. Quomodo eum videant totum? 214. Vident eum unum, & trinum. 216. 217. Nec aliter fieri poteſt. 218. 219. &c. Vident creaturas in Verbo, non ut in ſpeculo. 223. Vident omnia myſteria fidei. 224. Totum univerſum quoad partes principales. 224. 225. Ea, quæ ad proprium ſtatum pertinent: & quomodo? *ibid.* Non tamen omnia decreta Dei. 229. &c. Nec omnia, quæ Verbo repræſentantur. 227. Vide *Viſio*.
Beguardi, Beguinæ Deum ſe clarè videre, dicebant. 138.
S. Benedictus non vidit clarè Deum. 166.
Benedictus XII. vindicat Joann. XXII. pag. 177.
S. Bernardus Gilbertum arguit. 67. 68. 88.
Bonum quotuplex? 109. 110.

Cal-

C

Calvinus quid ſentiat de adoratione Vituli in Deſerto? 44. Refutatur. 45. 46. &c. Impius in Joannem XXII. 170. De tempore, quo Sancti videbunt Deum, malè ſentit. 167. 168.

Carpocratiani. 51.

Cerdoniani. 51.

Cerinthus Millenariorum parens, quale Regnum Chriſti poſuerit? 167. 169.

S. Jo. Chryſoſtomus Deum clarè poſſe videri, non negavit. 151. Non tamen naturaliter, ut Eunomius blaſphemabat. 152. Vel non eſt locutus de Viſione Beata. 153.

Chriſti oculus videt ſe in Euchariſtia, non tamen modum, quo ibi eſt. 161. 162. Latronem eâdem die gloriâ donavit. 173. Cur non aſcendit ad Cœlum ſtatim poſt mortem? 176. Quomodo ejus anima comprehendat ſcientiam Viſionis? 216.

Comprehenſio duplex. 212. Propriè Deus à creatura comprehendi nequit. 213. Quid ſit comprehendere? 214. 215.

Cultus falſus, ejuſque ſpecies. 29. 30. Verum Deum in imagine vetita adorare eſſet cultus falſus. 44. 45.

D

Dæmones oracula, & mirabilia in Idolis edebant. 40. 41.

Decreta Dei non omnia à Beato videntur. 229.

Deus. Nomen. pag. 1. Ejus exiſtentia nota per fidem. 2. Per ſe nota ſecundùm ſe, non verò quoad nos. 4. 5. 6. Quo melius cogitari non poteſt. 5. Quomodo nobis inſita? 6. Aliquâ ſaltem ſuſpicione. 7. Vide *Puer. Ignorantia*. Deum eſſe, à priori probari non poteſt. 13. Benè tamen à poſteriori. 13. 14. Rationes id probantes. 15. Ex motu. *ibid.*, & 16. Ab efficientia. 17. 18. A' contingentia. 19. A' gradibus bonitatis. 20. 21. A' Providentia. 21. 22. 23.

Deus eſt unus. 24. 25. Trinitas unitatem non tollit. *ibid.*, & 38. Aliæ rationes. 26. 27. 28. Vide *Polithei*ſ*mus*. *Idololatria*. Non eſt corpus. 62. &c. Quomodo ea, quæ ſunt corporis, ei tribuantur? 64. 65. &c.

Deus veteris idem eſt ac novi Teſtamenti. 53. 54. Etſi bonus, cur hominem labi permiſerit? 56. Cur ſeverus? 57. Quomodo conditor malorum? *ibid.* Quomodo viſitat iniquitates Patrum in Filios? *ibid.* Legem talionis tulit, cibos vetuit &c. *ibid.*, & 58. Quomodo excæcat mentes infidelium. 59. Fornicationem, furtum non præcepit. 60. Non erat ſibi contrarius, non inconſtans. 60. 61.

Deus non eſt compoſitus ex materia, & forma. 66. Ex Deo & Deitate. 67. Ex Eſſentia & Eſſe. 71. Nec ullo genere compoſitionis. 71. 72. 73. Nec in compoſitionem venit. 74. Ejus conſtitutivum metaphyſicum eſt eſſe à ſe. 75. 76. Non intellectivum. 77. &c. Radix omnium, quæ in Deo ſunt. 76. 78. 79. In Deo omnes perfectiones ſunt. 82. Quomodo? 83. 84. Non eſt melior cum creatura, quàm ſolus. 85. Ejus Attributa. 85. &c. Vide *Attributa*.

Deus ſummè bonus quacunque bonitate. 110. 111. 112. Simpliciter in genere entis infinitus. 113. Ut nihil præter ipſum eſſe poſſit. 114.

Deus ſolus immenſus. 117. Modi, quibus eſt in rebus. 118. 119. Omnibus præſens eſt, quia in omnibus operatur eſſe. 120. 121. 122. &c. Agit per ſuam ſubſtantiam. 123. 124. Non eſt actu in ſpatiis imaginariis. 125. 126. Ante mundum conditum erat in ſeipſo. *ibid.*, & 127. Non fuit mutatus, mundo condito. 128.

Deus ſolus omnino immutabilis. 129. Non mutatus nec per Incarnationem, nec per Generationem Verbi, nec per productionem mundi. 130. 131. Nec prædictionibus, quæ non fuerunt impletæ. 132.

Deus æternus. 132. 133. 134.

Deus non viſibilis naturaliter ab oculo corporis. 136. 137. Nec mentis. 138.

Digitized by Google

138. 139. 140. Nec poſſibilis ſubſtantia eſt, quæ naturaliter illum videat. 141. 142. 143. Nec hoc eſſe poſſibile, naturaliter cognoſci poteſt, aut appeti. 144. 145. 146. 147. 148. Viribus tamen ſupernaturalibus poſſibile eſt. 149. 150. Nec, ex quo infinitus, hoc repugnat. 154. 155. Repugnat tamen, eum videri oculo corporali. *ibid.*, & 156. &c. Per ſpeciem creatam. 183. &c. Sine lumine gloriæ. 193. Quomodo ſe ſolo facere poſſit, quod per cauſam creatam facit? 195. 196. A' creato intellectu comprehendi nequit. 212. 213. &c. Ut comprehenſibilis non cadit ſub objecto intellectus creati. 215. Videtur tamen unus & trinus, nec aliter fieri poteſt. 218. 219. &c.

Dii Paganorum non ſunt, ſicut SS. Trinitatis Perſonæ; nec ſicut Angeli, vel Sancti. 38. 39. 40. Miracula conficta. 40. 41. 42. 43.

Diſtinctio inter prædicata Divina ſecundùm Gilbertum pag. 86. 87. Secundùm Eunomium. 90. 91. Secundùm Palamam. 89. 90. Secundùm Nominales. 92. 93. 94. Secundùm Scotum. 95. 96. &c. Formalis ad ſalvanda contradictoria non requiritur. 98. 99. 100. Virtualis ſufficit. 100. 101. 102. 104. 105. 106. Rationis, alia ratiocinatæ, alia ratiocinantis. *ibid.*, & 107. Qualis ſit inter Divina prædicata? 108. 109.

E

E*Sſe* eſt perfectiſſimum in re. 77.

Eſſentia Divina quomodo communicetur filio, non communicatâ Paternitate? 97. 98. 99. Non obſtante identitate. 221.

Eunomii error negans omnem diſtinctionem inter Divina prædicata. 90. 91. 92. De Viſione Divinæ Eſſentiæ. 138. Se Deum comprehendere, blaſphemavit. 152.

Excæcatio quomodo in impio fiat? 59.

F

F*Ortunatitæ*. 50.

G

G*Aufredus* Clarevallenſis. 67.

Generatio Verbi ſine mutatione. pag. 130.

Gerſon Jo. Joannem XXII. falsò accuſat. 179.

Gilberti Porretani error de diſtinctione Dei à Deitate. 67. 68. Erravit, ſed non fuit hereticus. *ibid.*, & 69. 70. Error de diſtinctione attributorum. pag. 86. 87.

Gnoſtici. 51.

H

H*Adrianus* Imper. falsò cæcum ſanavit. 42.

Hadrianus VI. falsò Joannem XXII. carpit. 179.

Hebræorum Idololatria in Deſerto. 43. in Vitulo non adorarunt verum Deum. 44. 45. Sed falſa Numina Ægyptiorum. *ibid.*, & 46. Voluntariè Dei obliti. 46. 47. Aliæ apud ipſos idololatriæ ſpecies. 49. &c.

I

I*Dola* quando cœperunt. 30. 31. Non ſunt, ſicut apud nos ſacræ Imagines. 40. 48.

Idololatria. Ejus origo. 30. 31. 32. Fuit olim ſine Idolis. *ibid.* Variæ de ea opiniones. 33. Refitantur. *ibid.*, & 34. 35. &c. Hebræorum. Vide *Hebræorum*.

Idololatrarum rationes. Eorum Dii non ſunt, ſicut Perſonæ SS. Trinitatis. 38.

Jeroboamus quid adoraverit in Vitulis? pag. 45.

Ignorantia vincibilis, & invincibilis. 8. Hæc de Dei exiſtentia dari nequit, nec in puero ad uſum rationis perveniente, nec vitæ decurſu, nec ad breve tempus. 8. 9. 10. Nec in barbaris. 11. 12.

Imagines ſacræ non ſunt Idola. 40. 48. In imagine vetita verum Deum cole-

Digitized by Google

colere ſuperſtitio eſſet. 44. 45.
Immenſitas quid ſit? 115. De ea errores. *ibid.*, & 116. Soli Deo convenit. 117. 118. An ab Omnipotentia diſtinguatur? 124. 125.
Immutabilitas Deo ſoli convenit. pagina 129. &c.
Incarnatione Deus non fuit mutatus. 130. Cur una Perſona fuerit incarnata, non omnes? 121.
Infinitus eſt Deus in genere entis, & nihil aliud præter ipſum. 113. 114. 115.
Intellectus creatus Deum clarè viſibilem ſub ſuo objecto continet. 150. Naturaliter non poteſt eum videre. 138. 139. &c. Benè tamen confortatus. 149. &c. Sine Lumine videre Deum nequit. 193. Intellectus, & Lumen non ſunt, ſicut duo trahentes navem. 194. 195. Videt Deum, ſed per Lumen gloriæ. 198. 199. Verè agit in Viſionem. 201. Et quidem principaliter. 203. Quomodo conatur ad viſionem? 211. Non eſt purum inſtrumentum. *ibid.*
Job quomodo videre ſperabat Deum in carne ſua? 158.
Joannes XXII. vindicatur. 177. &c. Aſſertivè non fuit locutus, ſed diſputativè. 178.
Jovinianus aſſerebat, omnes æqualiter Deum videre. 204. ejus fundamenta. 205. 206. &c.

L

Allantius Idololatriæ originem deſcribit. 31. Eam impugnat. 37. 40. 41.
Latro in Cruce &c. Qualem Paradiſum petiit, & obtinuit? 173. 174.
Leo Allatius. Vide *Allatius*.
Lumen Gloriæ poſſibile eſt, quamvis non ſpecies. 188. Neceſſarium ad videndum Deum. 190. &c. Quid ejus nomine veniat? 189. Quomodo ſit diſpoſitio ad Viſionem? 191. Quomodo vitale? 192. 202. Sine illo videre Deum, impoſſibile eſt. 193. Nec extrinſeca Dei adſiſtentia ſufficit. 193. 194. 195. Eſt tota ratio videndi Deum. 199. &c. Ab ipſo unicè ſumitur inæqualitas viſionis. pag. 204. 205. 208. 209.

M

Manichæi à Manete. 52. Expugnantur 55.
Marcionitæ. 52. Marcion quis? *ibid.* Impugnantur. 53. &c. Eorum fundamenta everſa. 56. &c.
Martyrum animæ poſt mortem viderunt Deum. 177.
Millenarii qui fuerint? 167. Exploduntur. 168. 169. &c. Eorum fundamenta. *ibid.* 170. 171.
Miracula à Diis Paganorum conficta. pag. 40. 41. 42.
Molochitæ. 50.
Moyſes non oculo corporali vidit Deum. 158. Oculo tamen mentis in hac vita. 163. 164.
Mundi productio abſque Dei mutatione. 130. 131.
Muſcaronitæ. 49.
Muſoritæ. 49.
Myſteria fidei omnia à Beatis videntur. 224.

N

Nominalium opinio de diſtinctione in divinis. 92. 93. 94.

O

Objectum primarium quando poſſit cognoſci ſine ſecundario? 220.
Oblivio quotuplex? 46. 47.
Oculus corporeus naturaliter Deum videre non poteſt. 137. Nec ſupernaturaliter. 156. Probatur. *ibid.*, & 157. Ratione improportionis eſſentialis. *ibid.*, & 161. Chriſti in Sacramento Altaris. 151. 162.
Operarii vineæ quomodo æquales in mercede? 206. Quid nomine denarii? *ibid.*
Otho Friſingenſis Gilbertum Porretanum defendit. 67. 87.

P

P*Agani* jactabant, multa à ſuis diis ſe conſecutos. 40. 41.
Palamas quis fuerit? ejus error. 89. 90. 149. A' Græcis adoptatus. *ibid.* Palamitæ. *ibid.*
Paradiſus Latroni promiſſus fuit Gloria Beata. 173.
Parentes eſſe colendos, eſt per ſe notum. 6.
Pariſienſis facultas vindicat Joannem XXII. 178.
Patres Millenarii dicti cum Cerinthianis confundendi non ſunt. 167. 171.
D. Paulus vidit clarè Deum in raptu. 163. Hoc ipſe non negat. 164. Nec amiſit fidem. 165. Quo tempore id ei contigerit? 155. Quo ſenſu dixit: *gratia Dei mecum?* 201.
Peccatum Philoſophicum. 9.
Perfectio duplicis generis. 82. Omnes in Deo ſunt. *ibid.* Quomodo? 83. 84.
Politheiſmus. Ejus origo. 30. 31. Apud Hebræos. 43. &c. Apud Christianos. 50. &c.
Præſentia Dei in creaturis eſt ratione operationis. 120. 121. 122. &c. In ſpatiis imaginariis. 125. 126. 127.
Propoſitio per ſe nota eſt duplex, alia ſecundùm ſe, alia etiam quoad nos. pag. 5.
Puer ad uſum rationis perveniens tenetur ſe convertere ad Deum. 6. 7. Nec laborare poteſt ignorantiâ invincibili de Exiſtentia Dei. 8. 11.
Puteorita. 49.

R

R*Amphanita.* 50.
Ranatita. 49.
Remenſe Concilium contra Gilbertum. pag. 87. 88.

S

S*Acrificia* vetera bona erant. 58.
Sancti non ſunt, ſicut Dii. 38. 39.
S. Scriptura quomodo Deo corporis partes, & motum affingat? 65. 66.
Scoti diſtinctio formalis. 95. Rejicitur. 95. 96. Ejus rationes. 97. &c.
Severiani à Severo. 51.
Similitudo rei inferioris rem ſuperiorem quidditativè repræſentare non poteſt. 183. 184. &c. 186. 187.
Species creata impreſſa, ſeu expreſſa in viſione Dei non datur. 180. 181. 182. Nec eſt poſſibilis. 183. &c. Quamvis poſſibile ſit Lumen gloriæ. pag. 187. 188.
Superſtitio. Vide *Cultus falſus.*
Suppoſitum quomodo à natura diſtinguitur? 69.

T

T*Ertullianus* Unitatis Dei aſſertor. 25. Contra Marcionem. 54. 55. An Deum crediderit eſſe Corpus? 62.
Theodoretus negat, Deum poſſe videri oculo corporis, non mentis. 154.
D. Thomas. Ejus rationes pro exiſtentia Dei. 15. &c. Pro unitate Dei. 24. &c. Falſi cultus variæ ſpecies. 29. 30. De prophetis Dæmonum. 41. Et mirabilibus. 42. Et Veſtalibus. 43. Ejus doctrina de diſtinctione ſuppoſiti à natura. 69. Eſſe à ſe maximè proprium Dei aſſerit. 80. 81. Impoſſibilem aſſerit ſpeciem creatam in Viſione Dei. 183. Viſionem fine Lumine gloriæ. 195.
Tophetita. 50.
Trinitas Dei unitatem non tollit. 25. 27. 38.

V

V*Alentiniani.* 51. Valentinus. *ibid.*
Vazquez immeritò carpit S. Joann. Chryſoſtomum. 152.
Verbum Divinum non eſt ſpeculum creaturarum. 223.
Veſpaſianus an cæcum, & ægrum ſanaverit? 42.
Veſtales. Earum miracula. 42. 43.
B. Virgo piè credi poteſt, quòd in hac vita Deum viderit. 165. Quòd videat omnium fidelium ſtatus. 225.
Viſio clara Dei nulli creaturæ nec de facto

Digitized by Google

cto, nec de poſſibili convenit. 137. &c. ad 143. Nec naturaliter cognoſci poteſt, aut appeti. 144. &c. 147. &c. Viribus tamen gratiæ poſſibilis eſt. 149. 150. Non tamen oculo corporeo 155. &c. Aliquibus in hac vita conceſſa. 163. Solis Moyſi, Paulo, & B. V. probabiliter. 166. Non differenda ad diem Judicii extremi. 173. &c. Fundamenta contraria ſoluta. 175. 176. Deum unum, & trinum attingit, quia quidditativa, & intuitiva. 217. 218. 221. 222. 219. 220. Quæ alia videat? Vide *Beati*.

LAUS DEO.

Digitized by Google